BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
255
1 — A
14

NUMISMATA IMPERATORUM, AUGUSTARUM ET CÆSARUM,

à Populis Romanæ ditionis

GRÆCE LOQUENTIBUS

EX OMNI MODULO PERCUSSA:

QUIBUS

Urbium Nomina, Dignitates, Prærogativæ, Societates, Epochæ, Numina, Illuſtres, Magiſtratus, Feſta, Ludi, Certamina, & alia plurima ad eas ſpectantia conſignantur.

Per JOAN. VAILLANT *Bellovacum, Doct. Medicum, & Sereniſſimi Ducis Cenomanenſis Antiquarium.*

LUTETIÆ PARISIORUM,

Ex Typis ANDREÆ CRAMOISY. M. DC. XCVIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

D. 11ª

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO VIRO

D. NICOLAO JOSEPHO FOUCAULT,

REGI A CONSILIIS,

LIBELLORUM SUPPLICUM MAGISTRO,

NEC NON

REGIO IN NEUSTRIA INFERIORE

PRÆFECTO.

BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA

JOANNES VAILLANT.

PRODIT *sub Tuo nomine, VIR ILLUSTRISSIME, exspectatum diu, sed feliciter tandem perfectum, Opus* DE GRÆCIS IMPERATORUM NUMMIS, *quod tum ob Tuam erga me benevolentiam singularem, tum ob Tua immensa in Rempublicam literariam merita, Eruditi, necnon Rei Nummariæ Periti ac Curiosi, jure Tibi debitum haud negaverint. Quid enim, cùm*

insigne sit illis ad studia incitamentum, quod tantum talemque Virum, & Hortatorem, Adjutorem ac Patronum habeant, Tibi deberi non concedant.

Quid ego cætera, tum, publica tum privata decora commemorem? quid singularia in Regem Regnumque ac Religionem? quid compositas difficillimis temporibus insigni cum laude Provincias, Aquitaniam superiorem, Benearniam cum Navarrâ, Pictones, Neustriamque inferiorem, cui etiamnunc Regii Præfecti auctoritate sic præes, ut curæ esse gaudeant omnes, suamque cum Tuâ dignitate felicitatem conjunctam arbitrentur? Celebrabunt hæc populi, quibus ea cum admiratione spectare, ac cum sua summa utilitate experiri concessum fuit.

Nostrum interim unum hoc loco negotium est, quid Antiquorum Numismatum studiosi munificentiæ tuæ debeant, explicare. Quam enim quisque exercet artem, eâ si in unâ hæreat, invidere nemo laude ducere, quivis æquus judex debet. Libet ergo ex eâ Te solâ quoque nunc laude metiri, unde quàm singu-

lare Tibi ornamentum accedat, facilè erit judicare.

Dicam igitur cum eximiâ Tuâ commendatione, VIR ILLUSTRISSIME, ex ampliſſimis opibus, quas alii vulgò uni amplificandæ rei domeſticæ impendunt, Te optimam partem ſepoſuiſſe, quâ pretioſiorem longè, Tuo dignum ingenio, theſaurum incredibilem ſcilicet, tum probatiſſimorum Codicum, tum præſtantiſſimorum Numiſmatum copiam Doctis omnibus veluti ſupellectilem futuram comparaviſti. Dicam nobiliſſima totius Europæ Cimelia in Tuum jam à viginti annis Lutetiæ & in omnibus provinciis ſumptibus magnis collecta confluxiſſe. Dicam, Tuas eſſe non modò univerſæ Galliæ, ſed ipſius etiam Italiæ, ac penè totius Orbis opes. Eas autem quo ſtudio ſis conſecutus, hoc loco commemorare, non parùm è re noſtrâ eſt, ad Tuam verò gloriam longè maximum.

Monumentorum hujuſmodi antiquiorum pretium ſummum, utilitatemque mirificam cùm intelligeret nuper Regis Regnique gloriæ addictiſſimus præ cæteris COLBERTUS,

(*qualis quantusque Vir, & quàm rerum Gallicarum incremento natus!*) *conquirebat undique ab extremis Asiæ Africæque plagis, quæ in Regiam Gazam mitteret Numismata pretiosissima. Ea ubi, ut fit, congeminaverant, in suam derivabat. Paternæ laudis & solertiæ hæres meritissimus* SEGNELÆUS, *suum hoc jure successionis Cimelium auxit deinceps mirum in modum, atque locupletavit. Redemit quippe ab Italis locupletissimum* BRACESII *Abbatis Musæum, qui cùm Romæ apud Antonium Cardinalem Barberinum gratiâ plurimùm posset, illâ usus opportunitate, selectissimorum Nummorum ingentem copiam comparaverat. Parentis hæc ut & filii Gaza in Tuam tota convolavit. Non multò pòst* COMITIS A LAZARA *nihilo inferius Cimelium accessit; illud ipsum nempe, quod olim* ANGELONUS, *veterum Nummorum curiosus indagator, ad illustrandam, quam in lucem dedit,* Augustanam Historiam *adhibuerat. Hæc si sola habuisses modò, vix erat qui Tecum hac in parte contendere ausus foret.*

Sed ecce nova iterùm accessione crevere penè in immensum opes Tuæ; confluxerunt enim velut in sinum Tuum quadringenta Græcarum Urbium medii moduli Numismata, quæ maximo studio PATINUS *noster, rei Medicæ atque Nummariæ peritissimus, tum Parisiis, tum Patavii, congesta penes se servabat, mox illa cum plurimis aliis quæ variis in Musæis observaverat, editurus in lucem, si non illum acerba mors præripuisset.*

Demùm quod summæ felicitatis fuit, quodque Tibi debes uni, venit etiam Tuas in manus quidquid longo tempore diuturnoque collegerat Lutetiæ Cl. Vir DRONIUS, *Div. Thomæ ad Luparam Canonicus. Tu illum, VIR ILLUSTRISSIME, comitate Tuâ sic devinxisti Tibi totum, ut copiosissimam Numismatum, medii præsertim moduil, seriem non modò non recusaverit optanti Tibi concedere, sed ad Te transire suâ cum summâ voluptate viderit, contemptæ dominus nobilior rei.*

Unum modò supererat quod esse Tibi posset in votis, ut nobilissimo Cimelio Tuo accederet

ex Eruditis Custos aliquis, qui & parta tueretur, & multiplicaret etiam atque exornaret. Adfuit opportunè devotissimus Tibi GALLANDUS, *quo peritiorem invenire vix etiam licuisset. Est enim illâ in arte versatissimus, utpote cujus operâ* REX CHRISTIANISSIMUS *totâ latè Græciâ & Asiâ ad ejusmodi tum Numismatum, tum Manuscriptorum Codicum copiam coëmendam diutissimè usus fuit.*

Is ille est, qui mihi ad absolvendum Opus, Tuo nomine, animum addidit. Fateor enim, cùm collata hactenus ad impressionis sumptus subsidia non sufficerent, medio penè in conatu hærebam. Faustis avibus tandem, VIR ILLUSTRISSIME, *Lutetiam venisti, & quod superari non posse credideram, rei perficiendæ impedimentum penitùs submovisti. Tuo ergo efficaci incitamento recreatus, quam imperfectam operam mecum subverebar, bene ac feliciter collocatam, mihi totique Reipublicæ literariæ æternùm gratulabor.*

Parisiis in Musæo nostro,
An. M. DC. XCVIII.

LECTORI.

LECTORI.

ROMA

REDDITURUS hoc loco rationem consilii mei Eruditis omnibus antiquorum Nummorum studiosis, hæc tecum habeo quæ paucis edisseram, LECTOR BENEVOLE, quæque tua scire non parùm interfit. Edidi ante aliquot annos Romanorum Imperatorum Numismata S. C. percussa, tum in Coloniis & Municipiis signata, quotquot diuturno labore colligere potui, & meis quidem unius sumptibus, ita ut expressæ eorum imagini suam explicationem subjicerem; quod quantæ fuerit tum operæ, tum expensæ, satis quivis intelligit. Idem quoque mihi faciendum proposueram in novo isto, quod nunc datur in lucem, Opere, de Græcarum Urbium Nummis quotquot ad Romanos Imperatores pertinerent, qui meas veniissent aliquando in manus, quosque meis ipse oculis usurpassem.

Sed interim dum incumbo Operi, longo sanè atque arduo, ecce tibi exardescere totâ latè Europâ bellum atrocissimum, reique tam literariæ quàm publicæ longè funestissimum. Ruptis enim fœderum commerciorumque legibus omnibus, dum quisque privatis intentus commodis, hostium res disturbare æquum putat & pium, excussa prodierunt exteris in regionibus tum cætera mea Opera, tum præsertim ipse de Nummis Coloniarum Liber, priusquàm distrahi à me ipso potuisset: unde quantum dispendii rebus meis privatis accesserit, satis quisque videt; ego certè nimiùm quantùm sentio.

Tanto igitur meo incommodo deterritus, abjeci consilium perficiendi novi Operis, neque putavi in tenui meâ re familiari, qualis est vulgò literatis viris penè omnibus, licere mihi partem istam quæ supererat, de Græcarum Urbium Nummis, tanto meo sumptu, tamque dispendioso labore prosequi. At enim datam olim fidem non præstare, & Antiquariorum de me exspectationem fallere, ut insolens mihi, sic & permolestum esse debuit,

fateor: sed quid facias difficillimis illis temporibus, cùm præsenti pecuniâ, signatoque Ludovicæâ imagine aureo uno, malè redemptos veterum omnium Augustorum Nummos nemo arbitratur.

Ac centum Græcos curto centussè licetur.

Satis igitur facere visus sum & mihi & reipublicæ literariæ toti, si providerem ne periret omninò fructus laboris mei atque industriæ, ac inter armorum strepitus clangoresque tubarum, mihi saltem canerem ac Musis, meque ad meliora tempora resque secundiores servarem. Statui igitur describere mihi & amicis quidquid antehac publicæ utilitati destinaram, ab ipsis quinquaginta annis; ita tamen ut nec Nummorum formas æri inciderem, quòd non sufficerem sumptibus, nec explicationes subjicerem mihi minimè necessarias, sed solâ Nummorum descriptione contentus essem, cujus memoriam intercidere paulò esset proclivius: atque utcumque res cederet, suam habiturum esset utilitatem. Intelligebam enim non sine laude fuisse persimile Opus, quod de Latinis præstantioribus Nummis æreis edidi jampridem. Cœpi igitur describere eâdem ratione Græca Numismata quotquot collegeram, & suo singula ordine redigere.

Illicò intercedere amici omnes, rem exsuccam esse & inamœnam, ac nullius satis magnæ utilitatis; videndum potius ut Latinis æquè ac Græcis Nummis suam adjicerem explanationem, ut conceptam de me spem non modò alere, sed etiam superare possem. Obtulit se Latinis Numismatibus præstantioribus excudendis denuò Joan. Jombertus Parisiensis Bibliopola, multa pollicitus, si argenteos & aureos elucidare vellem. Victus sum non ægrè æquis precibus, si non omninò, at certè aliquâ ex parte: nam ærei Nummi typis jam erant impressi; illos igitur breviter illustravi, eo successu, quem hic mihi deprædicare meum non est.

Hinc acriores mihi stimulos addi sentiebam ad Græcos etiam, quos descripseram, Nummos edendos in lucem; sed nec Jombertus, nec quisquam è Bibliopolarum grege suis expensis Opus aggredi audebat: ita consenescente partium & Curiosorum & Typographorum studio, videbatur omnis abire in ventos, & cum paucis qui supersunt vitæ meæ annis dilabi.

Eo rerum æstu, qui conveniebant in ædibus Illustrissimi Bi-

GNONII Protopræsidis, antiquorum Nummorum Studiosi, urgere me nihilo seciùs repetitis precibus ad absolvendum Opus. Agitari jam multa de pace Italiæ; spem illucere non dubiam ineundæ quoque non multò pòst cæteros inter Principes concordiæ. Denique quando me potissimùm sola rei nummariæ difficultas deterreret, non esse sine remedio malum: posse enim communibus omnium impensis procurari, offerre se deinceps ut venirent in partem expensarum, polliceri etiam non deficere plures alios, qui suam quoque symbolam conferrent, ubi tota consilii ratio emanasset in vulgus. Non enim tantùm esse metuendum à sequiorum temporum injuriâ, ut non spes longè amplior in eorum munificentiâ collocaretur, qui Historiæ antiquæ illustrandæ intenti, tam insigne adjumentum quod repetitur ex Nummorum notitiâ, perditum nollent. Viderem igitur etiam atque etiam quantùm publicæ utilitati, quantùm privatæ meæ gloriæ accederet, qui Opus hactenus intentatum, omniumque tum Gallorum, tum Exterorum votis expetitum, darem in lucem.

Cessi fateor non invitus me ad Opus, atque ut plura etiam præstarem quàm promiseram, non modò descripsi quidquid habebam Numismatum Græcorum quæ ad Augustos pertinerent, verùm etiam quæ vel Augustis, vel Cæsares repræsentarent, à Julio Cæsare ad Gallieni usque tempora: imò nec eas mihi prætereundas putavi Urbes, quæ etiam Claudii Gotthici Imperatoris imaginem referrent; alias autem quæ sine Augustorum effigie occurrunt, attingere, longioris esse operæ, fortè minimè necessarias existimavi. Erit enim cùm suo tempore reperire universa licebit in accuratissimâ Numismatum omnium delineatione, quam à multis annis meditatur Vir in eo genere versatissimus AND. MORELLIUS Helvetius, cui pro antiquâ necessitudine nostrâ meritas laudes libentissimè rependo.

Jam quæ singularia istius mei Operis sunt, ordine exequar. I. Ne in immensum excresceret, atque ut parcerem impensis, contrahendo mihi putavi communia omnia vocabula quæ frequentiùs iteranda occurrunt in singulis, quæ quivis Eruditus satis per se intelligit. v. g. scripsi ubique, mul. stol. pro, mulier stolata; d. & s. pro, dextrâ & sinistrâ manu; hast. clyp. pro, hastâ & clypeo,

cæteraque id genus: unde credi vix potest, quantum fiat tum operæ, tum pecuniæ compendium. Ipsa autem te vel una voluminis moles id apprimè docebit, longè alioquin futura gravior & amplior, adeòque & carior.

II. Diversos Numismatum modulos, quos magni interest cognoscere ad molem discernendam, quod Volumen dicimus, singulis expressi notis numeralibus Arabicis; ita ut 1. significet primæ magnitudinis Nummum esse, 2. secundæ, 3. tertiæ: M. autem significat maximam molem quæ præstantissimis illis Nummis convenit, quos vulgari Italorum voce *Medaglioni* nuncupamus. Adverso autem à latere descripsimus eorum nomina, apud quos videre Numismata contigit: quâ tamen diligentiâ non potuit omninò satisfieri Eruditorum curiositati; si quidem certò scire velint ubi nunc temporis Nummi repériantur. Quis enim nescit quàm frequenter locum dominumque mutent Numismata, dum vel venduntur, vel donantur, vel commutantur, adeòque diversas in ædes commigrant, ita ut certi nihil hac in parte statui possit, nisi quòd eos ipse meis oculis viderim, eo quem appellavi loco.

III. Non est quod mihi quisquam objiciat multa esse præterea Græcarum Urbium Numismata, quæ meo in Libro non inveniuntur. Quis enim fraudi vertat, quòd unus omnia non vidi? Argus non sum; neque si sim, ea videre potui quæ nondum erant. Atqui multi quotidie Nummi eruuntur de novo è terræ viscéribus; advehuntur multi ab Oriente, advehenturque porrò, si Regis Christianissimi jussis Consulum Gallorum industria respondeat. Emergunt non pauci ex obscuris privatorum Cimeliis; veniuntque in nobiliores manus, quos nec spectare licuit mihi, nec suspicari. Quid quod apud eos qui me humaniter ad capsas suas admisere, multi fuere mihi prætereundi, ne eorum otio inurbanè minùs abuterer, si toto illos detinuissem tempore, quod necessarium ferat ad erosos fugientesque characteres, eâ quâ opus est diligentiâ investigandos & revocandos. Potuissem nihilominùs longè ampliorem hîc seriem texere, si quod fecere alii Nummorum Collectores, præsertim Occo, ejusque locupletor Mediobarbus, credere aliorum oculis voluissem, meamque

ſupellectilem augere adventiis opibus, quarum delineatio ad me miſſa eſſet: ſed intelligebam ſanè quàm proclive eſſe ab aliis in errorem induci, qui non tam vident, quàm ſe vidiſſe putant. Quare firmus in eâ ſententia perſtiti, nullos ut deſcriberem Nummos, quos non ipſe meis manibus contrectaſſem, certus nec falli, nec fallere.

IV. Erit fortè graviùs quod alii mihi objiciant, nimirùm me ipſum interdum non ſatis aſſecutum eſſe quod legiſſe me putavi, neque veritatem quæ latebat, perſpexiſſe. Dicam ingenuè quod res eſt, deceptus ſum aliquando evaneſcentibus elementorum figuris, quas revocare ſatis pro voto non potui. *Scimus* enimverò, *& hanc veniam petimuſque, damuſque vicaſſim.* An non errare & falli humanum eſt? Unum tamen poſſum ſine jactantiâ profiteri, neminem eſſe à tempore quo Nummos exploro, cui aut plures tractare contigerit, aut feliciùs difficillimos quoſque explanare. Certè tam difficile eſt conjicere ſemper feliciter quid ſignificent ſolitarii quidam characteres, præſertim minùs obvii, aut certè ancipitis ſignificatûs: quâ ratione explendæ dimidiatæ plerumque voces & incertæ, ſatis ut mirari non poſſim audaculorum in arte nummariâ Tyronum præfidentiam, qui primo ſtatim obtutu de illis decretoriè pronuntiant, etiamſi prolixior adeòque difficilior inſcriptio grande aliquid latere myſterium ſatis admoneat.

V. Ne fruſtrà operam perderem in deſcribendis Græcarum Urbium Nummis, ſolùm illos exhibui unde illuſtrari poſſet Hiſtoria; ex quibus ſcilicet ediſceremus quæ eſſent Provinciarum ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΣ, nempe Urbes ampliores aut antiquiores, ubi convenire aliæ civitates deberent ad deliberandum de rebus Provinciæ: Quæ eſſent ΠΡΩΤΑΙ, quæ nimirùm Imperatorum beneficio alias in Urbes mitterent Prætores ad Jus dicendum, aut quarum ad Forum ab inferioribus Judiciis provocare fas eſſet: Quæ eſſent ΙΕΡΑΙ, propter conceſſam ſibi vel à Regibus vel ab Imperatoribus immunitatem: Quæ ΑΣΥΛΟΙ, unde neminem per vim educere cuiquam liceret: Quæ eſſent ΑΥΤΟΝΟΜΟΙ, quibus uti legibus patriis Romani Victores permiſiſſent: Quæ eſſent ΕΛΕΥΘΕΡΑΙ, hoc eſt, à quibuſcumque tributis immunes: Quæ eſſent ΝΑΥΑΡ-

ΧΙΔΕΣ, hoc est, maritimæ rei classibusque comparandis aut excipiendis destinatæ: Quæ essent ΝΕΩΚΟΡΟΙ, quòd in illis dicata Diis aut Imperatoribus Festa publica, Ludi, Sacrificia, atque Certamina solennia celebrarentur: Quæ demùm haberent certum inter se fœdus, quod ΟΜΟΝΟΙΑΝ vocant, ut videlicet sibi invicem adesse tenerentur contra communes hostes, si fortè res poscceret, seque mutuis consiliis atque auxiliis adjuvare.

VI. Si quid visum est præterea singulare, aut scitu dignum, id mihi nequaquam prætermittendum putavi, quare observavi diligentius 1. Epochas, hoc est, certas temporum notas, quibus nonnulli signatos voluere aut Urbis suæ conditæ Annos, aut Libertatis sibi concessæ, aut Privilegiorum sibi ab Augustis vel à Senatu impetratorum: 2. Deos Indigetes aut Præsides: 3. Conditores seu Deos, seu Heroas, seu Principes: 4. Insignes Viros qui nati essent suo in sinu, patriæque gloriam illustrassent: 5. Magistratus quorum auctoritate regerentur, ΗΓΕΜΟΝΑΣ, ΑΝΘΥΠΑΤΟΥΣ, ΑΡΧΟΝΤΑΣ, ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΣ, ΓΡΑΜΜΑΤΕΙΣ: 6. Festa singularia tum Deorum, tum Augustorum: 7. Certamina tum ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ, tum ΣΥΓΧΩΡΙΑ: 8. Ludos tum privatos, tum communes, quibus aut solis indigenis, aut etiam exteris palma proposita esset: Adscita Principum nomina, quorum gratiam aut demereri, aut demeritam iis referre studerent.

Fruantur igitur hoc nostro labore felices Antiquarii: discent enim profectò ex tam multis Urbium Nummis, quod ad illustrandam veterem, quam tantopere amant Geographiam mirificè conferat. Intelligent quâ ratione restituenda sint innumera nomina, quæ in antiquioribus Conciliis appellata, Notariorum inscitiâ corrupta sunt. Amplectentur ut genuina, quæ sine teste velut suppositicia rejiciebantur. Deletas temporis injuriâ Urbes non paucas restituent singula suis Provinciis, atque uno isto non adeò magno volumine rediment fastidiosam immumerorum librorum lectionem.

Si quâ verò in parte, quod humanum est, lapsi sumus; si quid minùs scitè sumus interpretati; si quæ irrepserunt Typographiæ menda, quæ oculos nostros fugerint, ferat ea Lector paulò patientiùs, nec pigeat eum ad ad secundas curas, & ad Erratorum In-

dicem recurrere, ut quæ ſunt aut immutata, aut emendata reperiat. Laudet interim induſtriam noſtram vel hoc uno nomine, quòd exemplo poſſit eſſe & incitamento doctioribus Antiquariis, ut quæ habent meliora proferant ipſi, theſaurumque communem augeant. Illos enim quorum doctrinam ſuſpicio, nec recuſo cenſores habere; nec gloriam illis, ad quam præcurrere animus fuit, meâ ampliorem invideo. Neque enim ita me meaque deamo, ut quæ ſenſi ac propoſui, velim haberi pro certis & indubitatis: non ἀξιώματα profero, ſed δόξας: neque ἀποφάσεις, ſed φαντάσιας.

SUMMA PRIVILEGII.

CAUTUM est auctoritate Regis Christianissimi, ne quis in Galliarum regno hæc *Numismata Imperatorum Romanorum per Joannem Vaillant*, absque ipsius consensu, intra quindecim annos excudat, aut divendat; qui secùs fecerit, indictâ mulctâ, prout ampliùs in ipso regio Diplomate continetur, coërcebitur. Dat. Lutetiæ Parisiorum XXVII. Maii an. R. S. M. DC. LXXIV. De mandato Regis, sign. DALENCÉ.

Quod quidem Diploma in Acta Typographorum Parisiensium relatum est die II. *Junii eodem anno à D. Thierry Syndico.*

NUMMI

NUMMI GRÆCI IMPERATORUM.

POMPEIUS MAGNUS.

Nummi Pompeii M. eximiæ ſunt raritatis & pretii.

R. ΠΟΜΠΗΙΟC. Caput Cn. Pompeii M. ſine laureâ. *Card. Maximi.*
ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΙΤΩΝ, *Ciliciæ.* Mulier turrita ſedet veſtitu proprio ornata, pede proræ impoſito. 2.

C. JULIUS CÆSAR.

Nummi Jul. Cæſaris ex ære medio & minimo tantùm occurrunt rariſſimi.

ΘΕΟΣ. *Divus.* Caput Julii ſine laureâ. *Mus.*
ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Theſſalonicenſium.* Caput Auguſti. 3.
ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Pergamenorum, Aſiæ min.* Caput Julii nudum. *Theſ. Reg.*
ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΟΥΙΒΙΟΥ ΠΑΝΣΑ. *Sub Caio Vibio Panſa.* Victoria ad lævam gradiens, d. coronam, ſ. palmam. 2.

TRIUMVIRI.

Capita Triumvirorum Lepidi, M. Antonii, & Auguſti. *Ejuſdem.*
ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΓΛΑΥΚΩΝ ΕΥΘΥΚΡΑΤΗΣ ΕΦΕ. *Pontifex Glaucon Euthycrates Epheſiorum.* Diana Epheſia. 3.

M. ANTONIUS.

Nummi Antonii cum ſolâ ejus effigie ſunt rariſſimi.

Caput M. Antonii cum clavâ ſuper humerum, ſine litteris. *Ejuſd.*
ΡΩΜΗΣ. L. A. *Romæ, anno primo.* Prora navis. 3.
ΑΥΤΟΚΡ. Μ. ΑΝΤΩΝ. ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙΣΑΡ. Capita adverſa M. Antonii & Auguſti, ſine laureâ.
ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. intra coronam quercam, in cujus vertice aquila. *Mus.* 2.

AUGUSTUS.

Nummi Augusti secundæ, & præsertim tertiæ formæ, sunt obvii : primæ verò rarissimi.

Christin. R. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Caput Augusti.
ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ ΛΙΟΥΙΑ. Caput Liviæ Augusti uxoris. 3.

Ejusdem. ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. *Alabandensium*, *Cariæ*. Capita Caii & Lucii Cæsarum, intermedio Agrippa patre. 3.

Fr. Cameli. ΑΛΕΞ. ΑΙΓ. *Alexandriæ Ægypti*. Palma arbor. 3.

Christin. R. ΑΛΙΝΔΕΩΝ. *Alindensium*, *Cariæ*. Pharetra, arcus & clava. 3.

Thes. Reg. ΑΜΦΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Amphipolitarum*, *Syriæ*. Europa supra taurum. 2.

Ejusdem. ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. ΕΚ. *Summum Sacerdotium Antiochensibus. an.* 25. In aliis varii anni, omnes in coronâ. 3.

Fr. Lotti. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΑΛ. *Antiochensium Metropoleos. anno* 31. Canistrum fructibus repletum. 3.

Mens. ΑΠΑΜΕΙΑΣ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ. ΓΚ. *Apameæ sacræ*, *anno* 23. *in Syriâ*. Victoria gradiens, d. coronam, s. palmam. 3.

D. Foucault Alius, ΗΚ. *an.* 27. Caput muliebre velatum & turritum. 3.

Thes. Reg. ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ ΚΩΚ.... ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. *Apollinis Coc... Apolloniatarum*. Apollo muliebri habitu, d. laurum, s. lyram. 3.

Ejusdem. ΑΣΚΑΛΩ. ΓΡ. *Ascalonitarum*, *anno* 103 *in Syriâ*. Semiramis turrita stans supra proram, dextrâ sceptrum : hinc tridens, inde columba. 2.

A. Luparini ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Attalensium*, *Pamphyliæ*. Caput Palladis. 3.

Christin. R. ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΕΩΝ. *Aphrodisiensium*, *Lydiæ*. Caput Liviæ. 3.

Thes. Reg. ΒΑΛΑΝΕΩΝ. *Balanensium*, *Syriæ*. Bacchus in quadrigis. 2.

Christin. R. ΒΥΒΛΙΩΝ. *Bybliorum*, *Phœniciæ*. Mulier seminuda, dextrâ puerulum ducit. 2.

Fr. Lotti. ΚΟΙΝΟΝ ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. *Commune Byzantiorum*. In laureâ. 3.

Nob Corrar. ΓΑΒΑΛΕΩΝ. *Gabalensium*, *Syriæ*. Mulier sedet, dextrâ spicas, sinistrâ hastam. 2.

D. Capponi. ΓΑΔΑΡΑ. ΔΜ. *Gadara. an.* 44 Caput muliebre turritum. 3.

D. Camelii. ΓΝΩΣΣΙΩΝ. *Gnossiorum*, *Cretæ*. Labyrinthus. 2.

Fr. Lotti. ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ. L. ΕΚΤ. *Damascenorum*, *anno* 325. *in Phœniciâ*. Caput turritum. 3.

Mens. ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. *Damascenorum Metropoleos*. Mulier turrita insidet rupibus, d. piscem, s. cornucopiæ, pro pedibus fluvius. 2.

ΔΙΟΕΡΙΤΩΝ. sic, *Diosheritarum*, *Ioniæ*. Senex togatus stat, d. pateram. 3. *Thes. Reg.*

ΕΓΕΣΤΑΙΩΝ. sic, *Segestanorum*, *Siciliæ*. Caput Augusti sine epigraphe. Æneas brachio d. Anchisem gerit, s. palladium, cum sequitur Ascanius puerulus. 2. *Ejusdem.*

ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ. *Edessæorum*, *Syriæ*. In laureâ. 2. *Mus.*

ΗΡΑΣΑΙΟΣ ΑΡΧ. ΕΦΕ. *Heraseus Pont. Ephesiorum* Cervus. 3. *M. Ducis.*

ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΑΣΚΛΗΠ. ΤΡΥΦΩΝ. ΕΦΕ. *Pontifex Asclepiades Tryphonis F. Ephesiorum*. Cervus ut suprà erectus. 3. *Fr. Lotti.*

ΑΡΧ. ΚΟΥΣΙΝΙΟΣ Δ. ΕΦ. *Pontifex Cusinius quartùm Ephesiorum*. Cervus. 3. *Thes. Reg.*

ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΝΙΚΟΣΤΡΑΤΟΣ ΕΦΕ. *Pontifex Nicostratus Ephesior.* Cervus. 3. *Mus.*

ΕΠΙ ΓΡ. ΑΝΤΑΝΔΡΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΕΦ. *Sub Scriba Antandro Alexandri F. Ephes.* Diana Ephesia cum adminiculis. 3. *Thes. Reg.*

ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ ΑΡΙΣΤΙΩΝ ΜΗΝΟΦΑΝΤΟΥ ΕΦ. *Scriba Aristion Menophanus F. Ephes.* Cervus. Omnes hi Ephesiorum nummi capita habent jugata Augusti & Liviæ. 3. *Ejusdem.*

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Thessalonicensium*. In laureâ. 3. *Ejusd.*

Alius. Prora navis. 3. *Mus.*

Al. Victoria gradiens. 3. *D. Rinaldi.*

ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. *Thyatirenorum*, *Lydiæ* Bipennis. 3. *Mus.*

ΚΑΛΛΕΝΤΙΟΣ ΙΛΙΕΩΝ. *Callentius Ilienſium*, *Troadis*. Aquila, inter cujus alam caduceus. 3. *D. Rinaldi.*

ΠΟΛΛΙΩΝ ΚΟΥΠΕΔΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Pollio Cupedii F. Cæsarensium*, *Palæstinæ*. Caput Augusti sine laureâ. *Mus.*

ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΠΑΡΡΑΣΙΟΥ. *Menander Parrhasii F.* Templum octo columnarum, à dextris caduceus. 3.

ΚΛΕΑΝΔΡΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ ΤΩΝ ΚΑΤΩ. *Cleandri Scribæ Cilbianorum inferiorum*, *in Ioniâ* Mulier succincta stans dextram extendit, sinistra demissa. 3. *P. Asseline.*

ΚΥΔΩΝΙΑΤΩΝ. *Cydoniatarum Cretæ* Templum sex column. 2. *D. Foucault*

ΚΥΖΙΚ. *Cyzicenorum*, *Propontidis*. Tæda ardens. 3. *P. Asseline.*

ΚΩΙΩΝ. *Coorum*. Caput Æsculapii laureatum. 3. *D. Galland.*

ΝΙΚΑΓΟΡΑΣ ΑΡ. ΚΩΙΩΝ. *Nicagoras Pontifex*, vel potiùs *Archon Coorum* Caput Æsculapii laureatum. 3. *Thes. Reg.*

ΠΥΘΟΝΙΚΟΣ ΚΩΙΩΝ. *Pythonicus Coorum*. Caput Herculis. 3. *Ejusdem.*

ΣΟΦΟΚΛΗΣ ΚΩΙΩΝ. *Sophocles Coorum*, *in Co insula* Baculus, *Ejusd.*

cui serpens involutus, inde clava. 3.

Meus. ΧΑΡΜΥΔΟΣ ΚΩΙΩΝ. *Charmydus Coiorum.* Caput Æsculapii. 2.

Fr. Lotti. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Laodicensium.* Caput Jovis laureatum. 3.

Meus. ΠΟΛΕΜΩΝ ΦΙΛΟΠΑΤΗΡ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Polemon Philopater Laodicensium.* Bacchus nudus stans, d. cantharum, s. thyrsum. 3.

Thes. Reg. ΣΩΣΘΕΝΗΣ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Sosthenes Laodicensium.* Jupiter stans, d. aquilam, s. hastam. 3.

Meus. ΖΕΥΣ ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Jupiter veritatis amicus. Laodicensium*, ut suprà *Phrygiæ*, aliis, *Cariæ* Idem typus. 3.

Thes. Reg. ΛΑΠΠΑΙΩΝ. *Lappæorum, Cretæ.* Apollo stans, s. lyram. 3.

J. Felice. ΛΕΠΤΙΣ. *Leptis, Africæ.* Caput Mercurii, ponè quod caduceus. 2.

D. Foucault ΣΕΒΑΣΤΟΙ ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΣΙΠΥΛΟΥ. *Augusti Magnetum à Sipylo, in Lydiâ.* Capita jugata Augusti & Liviæ.

ΥΙΟΙ ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΔΙΟΝΥΣΟΣ ΚΟΛΗΣΟΥ. *Filii Augustorum Dionysius Colesi F.* Capita Caii & Lucii adversa. 3.

P. Asseline. ΜΙΛΗΣΙΩΝ. *Milesiorum.* Templum sex columnarum. 2.

D. Galland. Al. Apollo nudus stans, d. plectrum, s. lyram pulsat. 2.

Card. Ursi. ΜΥΛΑΣΕΩΝ. *Mylasensium, Cariæ.* Caput Augusti.

ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΟΝΤΟΣ ΤΕΡΕΟΥ. *Sub Scriba Hyrcea.* In laureâ. 2.

P. Asseline. ΣΕΒΑΣΤΩ ΜΥΛΑΣΕΩΝ. *Augusto Mylasensium.* Augustus in quadr.

ΘΛΑΣΤΟΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ. *Thlastus posuit.* In laureâ. 2.

Thes. Reg. ΜΥΛΑΣΕΩΝ. Bipennis & tridens, quibus involuti serpentes. 3.

Meus. ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Nicæensium, Bithyniæ.* Jupiter sedens, d. pateram, s. hastam: pro pedibus aquila. 3.

P. Bellori. ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΚΤΙΣΤΗΝ. *Augustum Conditorem colit.* Caput Aug.

ΙΕΡΑ ΝΙΚΟΠΟΛΙΣ. *Sacra Nicopolis.* Palma in coronâ rostr. 2.

Thes. Reg. Al. *in Epiro.* Victoria stans, d. coronam, s. palmam. 2.

Ejusdem. ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΚΤΙΣΤΟΥ. *Augusti Conditoris.* Caput Augusti. Eadem epigraphe. Fulmen caduceo intermedio. 1.

D. Quesnel. Alius cum eadem inscriptione circa caput Augusti.

ΝΕΙΚΟΠΟΛΙΣ. *Nicopolis, in Epiro.* Taurus. 3.

Thes. Reg. Al. Victoria medio corpore & turribus ornata. 3.

Card. Ursi. ΝΥΣΑΕΩΝ. *Nysæorum Cariæ.* Tripus. 3.

Thes. Reg. ΟΡΘΩΣΙΕΩΝ. *Orthosiensium, Syriæ.* Pluto Proserpinam rapit. 3.

Ejusdem. ΠΑΝΟΡΜ. *Panormitanorum.* Victoria d. coronam, s. palmam. 2.

Ejusdem. ΠΕΠΑΡ. *Peparethiorum, Insulæ Cycladum.* Caput Jovis barb. 3.

Eq. Gottifr. ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Augustum Pergamenorum.* Caput Augusti.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ. Augustus stans togatus in templo quatuor columnarum. 3. *Mens.*

ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. Caput Augusti. *P. Bellorii.*

ΜΟΥΣΑΙΟΣ ΓΑΜΑΛΙΑΣ. *Musæus Gamalias.* Templum ut sup. 3.

ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. *Pergamenorum Cilbianorum, in Ioniâ*, subaud. *Concordia.* Miles stans, d. coronam imponit togato d. pateram gerenti. 3.

ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΔΗΜΟΦΩΝ. *Augustum Demophon*, subaud. *colit.* Templum 4. column. in quo Augustus paludatus stat. 3. *Thes. R.*

ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. Senex togatus alterum coronat. *Ejusdem.*

ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΚΕΦΑΛΙΩΝ ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΝ. *Augustum* colit *Cephalion Scribæ.* Templum dystilum in quo stat icuncula. 3.

ΕΠΙ ΔΙΟΝΤΣΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΥΙΟΙΣ. *Sub Dionysio Pergamenorum Augusti Filiis.* Capita Caii & Lucii adversa. 3. *Eq. Gottifr.*

ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΠΛΟΥΣΙΑΣ ΥΠΑΤΟΣ. *Cæsar Augustus Plusiæ Consul, in Siliciâ.* Caput Augusti nudum. *Thes. Reg.*

ΑΠΕΛΛΑΣ ΦΑΝΙΟΥ ΑΜΡ. *Apellas Phanii F.* forsan *anno* 141. Roma stans, d. victoriam, s. hastam: pro pedibus captivus. 3.

ΡΑΜΑΘΗΝΩΝ ΒΙΡ. *Ramathenorum, in Palæstinâ, an.* 112. Caput turritum. 3. *Card. Max.*

ΜΟΥΣΑΙΟΣ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Musæus Sardianorum Pergamenorum*, id est, *Concordia.* Augustus paludatus dextram porrigit mulieri turritæ: uterque hastam gerit. 3. *D. Baudoin.*

ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Seleucienſium sacræ & suis legibus utensium, in Syriâ.* Fulmen mensæ impositum, in quâ ΤΛΡ. 2. *Thes. Reg.*

ΣΙΔΩΝΟΣ L. ΖΙΡ. *Sidonis anno* 117. Currus Astartes. 3. *M. Ducis.*

ΘΕΑΣ ΣΙΔΩΝΟΣ. *Deæ Sidonis, in Phœniciâ.* Europa supra taurum, d. velum tenet. 2. *Mens.*

ΕΡΜΟΚΛΗΣ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Hermocles Smyrnæorum.* Vesta velata & tutulata stans, d. scipionem, s. brachio cippo innixo sustinet manu victoriam sibi coronam proferentem. In aræâ, columba scipioni insistit. 3. *Mens.*

ΣΜΥΡΝΑΙΟΙ ΣΕΒΑΣΤΟΙΣ. *Smyrnæi Augustis.* Capita jugata Augusti & Liviæ. *Thes. Reg.*

ΔΙΟΝΤΣΙΟΣ ΚΟΛΥΒΑΣΙΟΥ. *Dionysius Colybasii F.* Typus idem. 3. Eadem epigraphe, & eadem Capita. *Ejusd.*

ΛΕΟΝΤΙΣΚΟΣ ΙΠΠΟΜΕΔΟΝΤΟΣ. *Leontiscus Hippomedontis F.*

Typus idem. 3.

D. Foucault ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΤΙ. ΣΕΒ. ΥΙΟΝ. *Cæsarem Augustum Tiberium Augusti filium* Capita adversa Aug. laureati & Tiberii nudi.
ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΚΟΡΩΝΟΣ ΛΙΒΙΑΝΟΥ. *Smyrnæorum Coronis Libiani.* Typus idem. 3.

Mens. ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΣΥΝΝΑΔΕΩΝ. *Augustus Synnadensium.* Caput Aug.
ΟΥΑΛΕΡΙΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. *Valerius Proconsul.* Jupiter pallio ornatus sedens, d. victoriolam, s. hastam. 3.

Eq. Gottifr. ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛ. *Tarsi Metropoleos.* Templum octo columin cujus frontispicio ΟΡΕΩΙΣ ΚΙΛΙΚΙΑΣ. *Montanis Ciliciæ.* 3.

Thes. Reg. ΚΤΙΣΤΗΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Conditor Augustus.* Caput Aug. nudum.
ΤΗΙΩΝ. *Teiorum, Joniæ.* Bacchus muliebri habitu stans, d. cantharum, s. thyrsum. 3.

M. Ducis. ΕΠΙ .... ΤΡΥΦΩΝΟΣ ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ, *Lydiæ*, aliis, *Cariæ. Sub ... Tryphone Tripolitarum* Aquila. 3.

D. Foucault L. ΗΠΣ. *anno* 388 Caput Augusti laureatum.
ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Tripolitarum, Syriæ.* Castor & Pollux stantes, uterque d. pateram, s. hastam, hinc & inde pileus. 2.

LIVIA seu JULIA.

Nummi Juliæ cum solâ ejus effigie eximiæ sunt raritatis & elegantiæ: alii pro rarissimis habentur.

Eq. Gottifr. ΛΙΟΥΙΑ ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. *Livia Alabandensium.* Caput Liviæ.
ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Caput Augusti. 3.

Mens. ΑΤΤΑΛΟΥ ΣΥΝΑΡΧΙΑ. *Attali Synarchia.* Caput Liviæ.
ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, *Cariæ.* Caput Augusti. 3.

P. Asseline. ΙΟΥΛΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. Caput Juliæ.
ΑΡΤΕΜΙΣ ΕΦΕΣΙΩΝ. *Diana Ephesiorum.* Caput Juliæ. 3.

Nob. Garzo. ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Thessalonicensium.* Caput Juliæ.
ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Divus Augustus.* Caput Augusti. 2.

Mens. ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΣΕΒΑΣΤΗ. Caput Juliæ.
ΤΙ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣΤ. ΥΙΟΣ. *Tiberius Cæsar Augusti F.* Cap. Tib. 2.

Mens. ΘΕΑ ΛΙΒΙΑ. *Diva Livia.* Caput Juliæ.
ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΜΑΚΥδέων. *Augustus Macydensium, Pamphyliæ.* Caput Augusti. 3.

Duc. Canonian. ΙΟΥ. ΘΕΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΜΥΤΙ. *Julia Diva Augusta Mytilenæorum in Lesbo insulâ.* Caput Juliæ.

ΤΙ. ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΜΥΤΙ. *Tib. Divus Augustus Mytilenæorum.* Caput Tiberii. 3.

Caput Liviæ sine epigraphe. *Fr. Lotti.*

ΤΗΙΩΝ. *Teiorum.* Bacchus stans, d. poculum, s. thyrsum. 3.

JULIA Augusti filia.

ΙΟΥΛΙΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ. *Juliam Venerem* Caput Juliæ. *Christinæ R.*

ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ. *Liviam Junonem*, subaud. *colunt.* Cap. Liviæ. 3.

CAIUS CÆSAR.

Nummi Caii Cæsaris ex medio & minimo ære sunt rarissimi.

ΓΑΙΟΣ ΣΕΒ. ΥΙΟΣ. *Caius Augusti F.* Caput Caii Cæsaris nudum. *Nob. Corn.*

ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. *Byzantiorum, Thraciæ.* Uvæ racemus. 3.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. Caput Augusti laureatum. 3. *Nob. Barbæ.*

ΓΑΙΟΝ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΟΙ. *Caium Mytilinæi.* Caput Caii. *Thes. Reg.*

ΛΕΥΚΙΟΝ. *Lucium.* subaud. *colunt Mytilinæi.* Cap. Lucii fratr. 3.

ΓΑΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. *Caius Cæsar.* Caput Caii Cæsaris. *Mens.*

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Caput Augusti laureatum. *In Ægypto cusus.* 2.

LUCIUS CÆSAR.

Nummi Lucii Cæsaris ejusdem sunt ac fratris, elegantiæ.

ΛΕΥΚΙΟΣ. *Lucius.* Caput Lucii, ante quod lituus. *Mens integ.*

ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Cæsarensium* Capricornus, desuper cornucop. 3.

ΓΑΙΟΝ ΛΕΥΚΙΟΝ ΚΑΙΣΑΡΕΣ. Capita Caii & Lucii adversa. *V. Falkner.*

ΣΜΥΡΝΑΙΟΙ. *Smyrnæi.* Astarte stans, d. victoriam. 3.

TIBERIUS.

Nummi Tiberii ex ære mediocri & minimo triti sunt.

ΤΙ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Caput Tiberii laureatum.

ΕΠΙ ΚΟΥΑΙΩΝΟΣ ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΔΗΜ. *Sub Culeone Ægæorum* Ciliciæ *Demetria.* Certamina in honorem Cereris. In laureâ. 2. *L. Agostini.*

ΑΜΦΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Amphipolitarum.* Europa tauro vecta. 2. *Mens.*

ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. in vertice A. in imo ΕΜ. *Sub Silano Antiochensium, an. 1. Tiberii, 45. Urbis.* In laureâ. 2. *P. Præs. Bignonii.*

Mus. Alius in vertice r. in imo ZM. *an. 3. Tiberii, 47. Urbis.* 2.

D. Foucault ΕΠΙ ΦΛΑΚΚΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΒΠ. *Sub Flacco Antiochenſium anno* 82. In laureâ. 3.

R. Chriſtin. ΑΠΑΜΕΙΑΣ ΠΡΟΣ ΜΑΙΑΝΔΡΟΝ. *Apameæ ad Mæandrum, in Phrygia.* Diana Epheſia cum attributis. 3.

Card. Max. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ. *Apolloniatarum.* Templum ſex column. 3.

D. Rigord. ΑΣΚΑΛΩ. ΑΑΡ. *anno* 131. Semiramis ſtans, d. haſtam. ſ. acroſtolium. 2.

R. Chriſtin. ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Attalenſium, Lydiæ.* Caput Palladis. 2.

D. Foucault ΤΙΒΕΡΙΩ ΣΕΒΑΣΤΩ. *Tiberio Auguſto.* Caput Tiberii.
ΓΑΔΑΡΕΙΣ Βq. *Gadarenſes.* 92. Caput turritum. 2.

Ejuſdem. ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ ΕΜΤ. *Damaſcenor. an.* 345. Mul. inſidet rupibus. 3.

Mus. ΕΛΕΣΣΑΙΩΝ ΣΕΒΑΣΤΗ. Caput Juliæ Auguſtæ. 2.

D. Gottifr. ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ. *Aſclepiades Hieropolitarum, Phrygiæ.* Apollo muliebri ornatu ſtans, d. plectrum, ſ. lyram. 3.

Theſ. Reg. Μ. ΣΥΙΛΛΙΟΣ ΑΝΤΙΟΧΟΣ ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ. Idem Apollo. 3.

Pr. Harlai. ΚΟΙΝΟΝ ΚΡΗΤΩΝ. *Commune Cretenſium.* Europa ſupra taurum. 2.

Nob. Miche. ΚΥΔΩΝΙΑΤΑΝ. *Cydoniatarum, Cretæ.* Templum ſex column. 2.

Theſ. Reg. ΛΕΠΤΙΣ. Β. *Leptis, anno* 2. Caput Mercurii pileatum. 2.

Duc. Vernol. ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ. *Panormitanorum, Siciliæ.* Triquetra. 2.

F. Camuli. ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΣΕΒΑΣΤΗΣ. Capita Tiberii & Liviæ jugata.
ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΙ ΘΕΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ. *Pergameni Divum Auguſtum,* id eſt, *colunt.* Auguſtus paludatus in templo 4. col. 3.

Eq. Gottifr. ΕΠΙ ΑΡΧ... ΦΙΛΟΠΑ. ΤΟ Β. ΠΡΙΗΝΕΩΝ. *Sub Pont... Philopatore iterum Prienenſium, in Ioniâ.* Mulier tunicata dextram attollens, ſiniſtrâ quid ignotum. 2.

M. Ducis. ΣΕΒΑΣΤΗΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. Julia ſedens, d. pateram. 3.

Theſ. Reg. ΒΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ZM. *Sub Silano Seleucienſium an.* 47. In laureâ. 2.

V. Falkner. ΤΙΒΕΡΙΑΣ. *Judææ.* In laureâ. 2.

Fr. Lotti. ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ ΑΑΤ. *Tripolitarum, Phœniciæ, anno* 331. Capita jugata Caſtoris & Pollucis ornata aſtris. 2.

ANTONIA Druſi ſen. uxor.

Mus. ΑΝΤΩΝΙΑ ΣΕΒ. *Antonia Auguſta* Caput Antoniæ.
ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. Victoria globo impoſita. 5.

DRUSUS CÆSAR.

Nummi Druſi inter rariſſimos numerantur ex omni modulo.

ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. Caput Druſi, Tiberii filii. *Theſ. Reg.*

ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. Caput Germanici. 3.

ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ. Caput Druſi laureatum, ante quod ſimpulum, ponè verò lituus. 2. *P. Gianetti.*

ΤΙΒ. ΓΕΡ. ΚΑΙΣΑΡΕΣ. Capita Tiberii, Druſi F. & Germanici adv.

ΔΡΟΥΣΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡΕΣ. ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ ΑΔΕΛΦΟΙ. *Novi Dii Fratres.* Druſus & Germanicus ſedentes. *Nob. Corn.*

ΓΑΙΩ ΚΑΣΣΙΩ ΠΟΛΛΙΩΝΙ ΑΝΘΥΠΑΤΩ. *Caio Caſſio Pollioni Proconſuli.* circa coronam querc. in qua ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΚΟΙΝΟΥ ΑΣΙΑΣ. *Sardinianorum Communitatis Aſiæ.* 2.

Al. ΕΠΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΚΛΕΩΝΟΣ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. *Sub Alexandro Cleone Sardianorum. Lydiæ*, circa coronam, in qua ΚΟΙΝΟΥ ΑΣΙΑΣ. *Communitatis Aſiæ.* 2. *Theſ. Reg.*

GERMANICUS.

Nummi Germanici inter præſtantiſſimos habentur.

ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ ΓΟΡΤΥΝ. *Germanicum Cæſarem Gortyn*, *Cretæ*, ſubaud. *colit.* Caput Germanici laureatum. *Meus.*

ΓΑΙΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ. Cap. Caligulæ laur. 3.

ΕΠΙ ΠΟΠΛΙΟΥ ΟΥΙΤΕΛΛΙΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Sub P. Vitellio Proconſ.* *Meus.*

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Nicomedenſium*, *Bithyniæ.* In areâ. 3.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. *Theſſalonicenſium. Germanicus.* 3. *Meus.*

ΤΑΝΑΓΡΑΙΩΝ *Tanagræorum, Bœotiæ.* Apollo expanſis brachiis. 3. *Regius.*

ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. Caput Germanici laureatum. *D. Galland.*

ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ ΕΠΙ Α. ΓΕΣΣΙΟΥ ΑΙΖΑΝΙΤΩΝ. *Agrippina ſub Aulo Geſſio Azanitarum*, *Phrygiæ.* Caput Agrippinæ. 3.

ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ. Capita Germanici & Agripp adverſa. *Ejuſdem.*

ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. Templum quatuor columnarum, in quo figura militaris, d. haſtam. 3.

AGRIPPINA.

ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ ΘΕΑΝ ΜΥΤΙ. *Agrippinam Divam*, ſubaud. *colunt*, *Mytilinæi*, *in Lesbo inſulâ.* Caput Agrippinæ. *Meus.*

ΘΕΟΝ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΜΥΤΙ. Caput Germanici nudum. 2.

C. CALIGULA CÆSAR.

Nummi Caligulæ ſecundi moduli inter rariſſimos: minimi, obvii.

Theſ. Reg. ΓΑΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Caput Caligulæ laureatum.
ΕΠΙ ΛΟΛΛΙΟΥ ΚΛΑΣΣΙΚΟΥ ΑΙΖΑΝΙΤΩΝ. *Sub Lollio Claſſico Azanitarum.* Jupiter cum pallio ſtans, d. aquilam, ſ. haſtam. 3.

Ejuſdem. ΕΠΙ ΡΟΥΦΟΥ ΦΛΑΚΚΟΥ ΑΙΖΑΝΙΤΩΝ. *Sub Rufo Flacco.* Typ. id. 3.

D. Galland. ΕΠΙ ΦΛΑΚΚΟΥ ΑΙΖΑΝΙΤΩΝ. Caput Agrippinæ matris. 3.

Fr. Lotti. ΕΠΙ ΣΤΡ. ΦΛ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. *Sub Prætore Flavio Apolloniatarum, juxta Epheſum.* Templum ſex columnarum. 3.

Mus. ΑΜΦΙΠΟΛΙΤΩΝ. *Amphipolitarum, Syriæ.* Europa ſupra taurum. 3.

Mus. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. *Byzantiorum, Thraciæ.* Duo Pelamides. 3.

Theſ. Reg. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ ΕΠΙ ΑΥΓΟΥΡΕΙΝΟΥ ΓΟΡΓΥΝ. Cap. Germ. 3.

Ejuſdem. ΕΠΙ ΦΛΑΟΥΙΟΥ ΙΕΡΑΠΥΤΝΙΩΝ. *Sub Flavio Hieraputhniorum, Cretæ.* Aquila inſiſtens fulmini, & palma arbor. 3.

Fr. Lotti. ΕΠΙ ΑΥΓΟΥΡ. ΙΕΡΑΠΥΤΝΙΩΝ. *Sub Auguſino*, &c. Typus idem. 3.

D. Feſchii. ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ ΑΣΥΛΟΥ ΑΓΡΙΠΠΑ ΒΑΣΙΛΕΥ. *Cæſareæ Aſyli Agrippa regnante.* Vir togatus ſtans, d. cartham involutam. 2.

Ejuſdem. ΠΟ. ΟΠΤΙΜΟΣ ΕΥΔΑΜΟΣ Β. ΚΩΙΩΝ. *P. Optimus Eudamus iterùm*, intelligè, *Archon Coiorum.* Serpens in gyros. 2.

Mus. ΜΑΓΝ. ΣΙΠΥ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ. *Magnetes Sipyli Germanicum*, ſubaud. *colunt.* Germanicus ſtat velatus, d. pateram: Agrippina duas ſpicas, ſ. haſtam. 3.

Reg. Suecia. ΜΙΛΗΣΙΩΝ. *Mileſiorum, Cariæ.* Templum ſex columnarum. 3.

Regius. ΔΙΔΥΜΕΥΣ ΜΙΛΗΣΙΩΝ. Apollo nudus ſtat, d. lyram pulſans. 3.

Mus. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ ΜΙΛΗΣΙΩΝ. Caput Agrippinæ matris. 3.

D. Galland. ΓΑΙΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΕΠΙ ΑΟΥΙΟΛΑ. *Sub Aviola*, nempe *Proconſule.* Caligula ſtat, d. cartham involutam.
ΦΑΝΙΣΔΡΟΥ ΠΕΡΓΑΜ. *Phaniſdro* magiſtratum obeunte *Pergameni* colunt. Ceres ſedet, d. ſpicas. 3.

D. Dron. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. Victoria gradiens ad lævam. 3.

R. P. de la Chaiſe. Col. Lud. M. ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. Figura ſedens, d. ſpicas. 2.
Eadem epigraphe. Gamarus piſcis genus. 3.

Ejuſdem. ΓΑΙΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ ΕΠΙ ΛΟΥ. ΘΑΛ. *Sub Lucio Thallo.* Petroniæ gentis cognomen eſt. Caput Caligulæ laureatum.
ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΜΥΩΝΟΣ. Victoria d. lauream, ſ. haſtam. 3.

Regius. ΓΑΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΣΕΒΑΣΤΟΙ. *Caius Cæſar, Divus Imperator, Auguſti.* Capita Caligulæ & Auguſti adverſa.

ΘΕΑ ΡΩΜΗ ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ ΙΛΙ. *Dea Roma ſacer Senatus Ilienſium.* Pallas in cippo inter duo capita. 2.

DRUSILLA.

ΘΕΑ ΔΡΟΥΣΙΛΛΑ ΜΙΛΗΣΙΩΝ. Caput Druſillæ. *Com. Laz.*

ΓΑΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡΜΑΝ. ΣΕΒΑΣΤ. Caput Caligulæ. 2.

JULIA Caligulæ ſoror.

ΙΟΥΛΙΑΝ ΝΕΑΝ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ ΜΥΤΙ. *Juliam juniorem Germanici* filiam *Mytilinæi* colunt. Caput Juliæ. *Theſ. Reg.*

Γ. ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΟΙ. Calig. ſtat velatus, d: pat. 3.

CLAUDIUS.

Nummi Claudii ex ære magno vix habentur: ex aliâ formâ, triti.

ΑΥΤ. ΤΙ. ΚΛΑΥΔ. ΓΕΡΜ. ΣΕΒ. Caput Claudii laureatum. *Ejuſdem.*

ΛΟΥ. ΚΛΑΣΟΥ ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΥ ΑΙΓΑΕΩΝ. *Sub Lucio Claſo Artemidoro Ægæorum, Æolidis.* Æſculapius ſtans, d. bac. ſ. ram. 3.

ΕΠΙ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΑΙΖΑΝΙΤΩΝ. *Sub Antiocho Azanitarum, Phrygiæ.* Jupiter ſtans d. extensâ, ſupra quam aquila, ſ. haſtam. 3. *M. Ducis.*

ΕΠΙ ΙΕΡΑΚΟΣ ΑΙΖΑΝΕΙΤΩΝ. *Sub Hierace.* Typus idem. 3. *Theſ. Reg.*

ΕΠΙ ΛΥΣΑΝΙΟΥ ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ ΑΙΖΑΝΙΤΩΝ. *Sub Lyſania Menandri F.* Typus idem. 3. *Ejuſdem.*

ΕΠΙ ΣΩΚΡΑΤΟΥ ΔΙΟΔΟΤΟΥ ΑΙΖΑΝΕΙΤΩΝ. *Sub Socrate Diodoti F.* Figura paludata aquilam habet ut Jupiter. 3. *Mus.*

ΜΥΩΝΟΣ ΣΥΝΑΡΧΙΑ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *Myonis Synarchia Antiochenſium, Cariæ.* Victoria gradiens, ambabus palmam. 3. *Theſ. Reg.*

ΕΠΙ ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ϙ. *Sub Petronio Antiochenſium, Syriæ, anno 90.* In laureâ. *Eorum æra Juliana eſt, & incipit ab Autumno anni U. C. 705.* 2. *Ejuſd.*

ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ. Αϙ. *anno 91.* In laureâ. 2. *Mus.*

ΑΠΑΜΕΙΑΣ ΜΑΙΑΝΔ. *Apameæ Mæandri, Cariæ.* Diana Epheſia. 3. *Mus.*

ΑΣΚΑΛΩ. ϛΝΡ. *Aſcalonitarum anno 156. in Palæſtinâ.* Semiramis turrita ſtans ſupra proram, dextrâ elatâ, ſ. acroſtolium. 2. *Fr. Lotti.*

ΙΕΡΑΣ ΒΥΒΛΟΥ. *Sacræ Bybli, Phœniciæ.* Iſis velum expandit. 2. *Mus.*

ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. Duo Pelamides intermedio delphino. 2. *Mus.*

ΒΡΕΤΑΝ. ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. Caput Britannici nudum. 3. *Ant. Capello N. V.*

Duc. Cenoman. ΘΕΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. *Divus Imperator.* Caput Auguſti radiatum.
ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΙΛΙ. *Ilienſium.* Caput Claudii. 2.

M. Ducis. ΕΠΙ ΜΕΛΙΤΩΝΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ ΚΑΔΟΗΝΩΝ. *Sub Melitone Aſclepiadæ F. Cadoënorum, Phrygiæ min.* Jupiter Laodicenſis ſtans, d. aquilam, ſ. innixâ baculo. 3.

Ejuſdem. ΚΑΙΣΑΡ ΕΤ. Β. *Cæſareæ, Cappadociæ, anno* 2. Mons Argæus, in cujus vertice ſtatua paludata Claudii. 2.

P. Pr. Bign. ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΕΤΟΥΣ Ε. *Cæſarenſium, Paleſtinæ, anno* 5. Mulier turrita & velata inſidet rupibus, d. ſpicas. 2.

D. Dron. ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΕΤΟΥΣ ΙΓ. *anno* 13. Caput turritum & velatum. 2.

R. Chriſtin. ΚΛΑΖΟΜΗΝΙΩΝ. *Clazomeniorum, Ioniæ* Pallas ſt. d. pat. ſ. haſt. 2.

Theſ. Reg. ΕΠΙ ΙΟΥΛΙΟΥ ΤΙΟΥ ΚΟΤΙΑΕΩΝ. *Sub Julio filio Cotyaenſium, Phrygiæ.* Pallas ſedens, d. pateram, ſ. innixâ clypeo. 3.

Card. Max. ΚΥΔΩΝΙΑΤΑΝ. *Cydoniatarum, Cretæ.* Puerulus lactans lupam. 2.

Theſ. Reg. ΕΠΙ ΚΟΜΜΙΟΥ ΠΡΟΚΛΟΥ ΑΝΘΥ. *Sub Commio Procio Proconſule,* circa ambitum. ΚΥΠΡΙΩΝ. *Cypriorum, inſulæ* in areâ. 2.

Mens. ΕΥΔΑΜΟΣ ΚΩΙΩΝ. Æſculapius ſtans, d. baculum, ſ. demiſsâ. 2.

Theſ. Reg. ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. *Imperator Macedonum.* Clypeus. 2.

R. Chriſtin. ΜΙΛΗΣΙΩΝ. *Mileſiorum.* Leo reſpiciens ſtellam. 3.

D. Rinaldi. Al. Templum ſex columnarum. 3.

Theſ. Reg. ΔΙΔΥΜΕΥΣ ΜΙΛΗΣΙΩΝ. *Didymæus Mileſiorum.* Apollo ſtans nudus, d. cervum, ſ. arcum. 3.

Mens. Α. ΜΙΝΔΙΟΣ ΒΑΛΒΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. *Aulus Mindius Balbus Proconſul.* circa ambitum. ΜΗΤΡΟ. ΝΕΙΚΟ. *Metropolis Nicomedia.* in nummi areâ. 3.

A. Pichetti. Al. eadem epigraphe. ΝΕΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. In coronâ civicâ. 1.

Fr. Lotti. Al. Templum ſex col. in cujus fronte ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ. 2.

Joſ. Felicc. ΕΠΙ. Α. ΜΙΝΔΙΟΥ ΒΩΛΑΝΟΥ ΑΝΘΥ. ΠΑΤΡΕΩΝ. *Sub Lucio Mindio Bolano Proconſule Patrenſium.* Caput Jovis barbati. 2.

M. Ducis. Α. ΜΙΝΔΙΟΥ ΒΩΛΑΝΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΡ. Mulier pergens ad ſiniſtram, dextrâ pateram. 2.

D. Sibon. ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΡ. Cap. mulieris velatum. 2.

Nob. Capell. ΕΠΙ ΦΙΡΜΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΡΩΝΟΣ circa ambitum: in areâ verò ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΝΕΙΚΟ. 2.

Chriſtin. R. ΑΡΤΕΜΙΣ ΠΕΡΓΑΙΑ. *Diana Pergæa, in Pamphyliâ.* Diana Venatrix telum depromit è pharetrâ, ſ. arcum. 2.

D. Galland. ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. *Perinthiorum, Thraciæ.* In coronâ querceâ. 1.

D. Foucault ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΕΩΝ Θ. *Ptolemaidenſium anno* 9. *in Phœniciâ.* For-

tuna ſtans, d. temonem, ſ. cornucopiæ. 2.

ΔΗΜΟΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ιγ. *Populus Romanorum anno* 13. Sic ſe vocant Alexandrini Ægypti à M. Antonio. Mulier ſtans. 2. *V. Polazzi.*

ΣΙΔΩΝΟΣ ΘΕΑΣ ΑΞΡ. *Sidonis Deæ an.* 161. *in Phœniciâ.* Europa tauro vecta. *Urbis æra inchoat ab Autum. anni U.C.* 643. 2. *Fr. Lotti.*

ΕΠΙ ΒΑΣΙΛΕ. ΑΓΡΙΠ. ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ. *Sub Rege Agrippa Tiberienſium, in Cœleſyriâ.* Intra lauream. 2. *D. Sibon.*

ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣ. ΓΕΡΜ. ΣΕΒ. Caput Claudii laureatum. 2. *Meus.*

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙ ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ ΣΕΒ. Capita Neronis & Agrippinæ.

ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΛΑΥΔ. ΓΕΡ. ΑΝΤΩΝΙΑ. Cap. Druſi patris & Antoniæ. 2. *Meus.*

ΑΓΡΙΠ. ΣΕΒ. ΚΟΤΙΑΕΩΝ ΑΡΧΟΝΤ. ΔΙΟΓΕΝΟΥΣ. *Agrippina Auguſta Cotyaenſium, Archonte Diogene.* Mul. ſed. d. cornuc. 3. *D. Galland.*

MESSALINA uxor Claudii.

Nummi Meſſalinæ ex omni formâ, raritatis ſunt eximiæ.

ΟΥΑΛΕΡΙΑ ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. Caput Meſſalinæ. *Theſ. Reg.*

ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Caput Claudii. 2.

ΘΕΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. Caput Meſſalinæ. *Meus.*

ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡΜΑ. ΣΕΒΑ. Caput Claudii. 3.

ΤΙ. ΚΛΑΥΔ. ΓΕΡ. ΣΕΒ. ΜΕΣΣΑΛ. ΣΕΒ. Capita Claudii & Meſſalinæ. *Theſ. Reg.*

ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *In Paleſtinâ.* Britannicus prætextâ inſignis ſtans, d. pateram. 3.

ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΝΕΑ ΗΡΑ. *Meſſalina Auguſta nova Juno.* Caput Meſſalinæ, ante quod duæ ſpicæ. *Nob. Corra.*

ΓΕΛΛΙΟΣ ΡΟΥΦΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΝΕΙΚΑΕΩΝ. Ædificium pulcherrimum, velut porticus. Nummus ſtupendæ raritatis. 1.

BRITANNICUS Claudii Imp. filius.

Nummi Britannici eximiæ raritatis ſunt ex omni formâ.

ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. Caput Britannici nudum. *Com. Laza.*

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ. Caput Neronis ſine laureâ. 2.

ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. Vir nudus ſtans, d. vas, pro pedibus cervus. 1. *Theſ. Reg.*

ΕΠΙ ΜΙΝΔΙΟΥ ΒΑΛΒΟΥ ΑΝΘΥ. ΝΕΙΚΟ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. Triremis ſupra quam caput Britannici galeatum cum thorace. 1. *V. Falkner.*

ΒΡΕΤΑΝ. ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. Caput Britannici nudum. *Nob. Capell.*

ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. ΚΛΑΥΔ. ΓΕΡΜ. ΣΕΒ. Caput Claudii laureatum. 2.

AGRIPPINA Claudii uxor ſecunda.

Nummi Agrippinæ inter præſtantiores reponuntur.

Theſ. Reg. ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑ ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΓΥΝΗ. *Agrippina Claudii uxor.* Cap. ejus.
ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΓΕΡ. ΣΕΒ. Caput Claudii. 3

Mens. Capita Claudii & Agrippinæ, detritis litteris.
ΑΙΓΕΩΝ. *Ægæorum, Ciliciæ.* Pallas ſtans, d. noctuam, ſ. haſt. 3.

Theſ. Reg. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ. Caput Agrippinæ, ante quod ſpicæ duæ.
ΕΠΙ ΣΕΡΟΤΙΝΙΟΥ ΚΑΠΙΤΩΝΟΣ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΟΥΗΡΑΣ ΑΚΜΟΝΕΩΝ. *Sub Serotinio Capitone & Juliâ Severâ Acmonenſium, Phrygiæ.* Diana Venatrix telum depromit, ſ. arcum: pro pedibus cervus & Nympha caput cervi gerens. 3.

Com. Laza. ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤ. Cap. Ner. & Agripp.
ΕΠΙ ΜΑΡΙΟΥ ΚΟΡΔΟΥ ΚΟΙΝΟΝ ΦΡΥΓΙΑΣ ΑΠΑΜΕΙΣ. *Sub M. Cordo Commune Phrygiæ Apamenſibus.* Aquila ſerpentē unguibus. 2.

V. Falkner. ΚΟΤΥΑΕΩΝ. *Cotyaenſium, Phrygiæ.* Pallas ſedens, d. noctuam, adſtat haſta. 3.

Theſ. Reg. ΕΠΙ ΙΟΥΛΙΟΥ ΥΙΟΥ ΚΟΤΥΑΕΩΝ. *Sub Julio Filio Cotyaenſium.* Cybele turrita ſedet, d. pateram, ſ. tympanū: hinc & inde leo. 3.

D. Galland. ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΝΕΡΩΝΑ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ ΣΕΒ. Capita adverſa.
ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. Figura paludata d. haſtam in templo 4. col. 3.

Theſ. Reg. Capita Claudii & Agrippinæ.
Α. ΓΕΣΣΙΟΣ ΦΙΛΟΠΑΤΗΡ ΣΜΥΡ. *Aulus Geſſius Philopater Smyrnæorum.* Victoria ſtat, baculo ſerpentem regens. 3.

NERO.

Nummi Neronis ſecundæ & tertiæ formæ triti, primæ rari.

Com. Laza. ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣΑΡ ΝΕΡΩΝ ΣΕΒΑΣΤ. Caput Neronis laureatum.
ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. *Alabandenſium, Cariæ.* In laureâ. 3.

D. Foucault ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ. ΔΙΡ. *Sub Ceſtio Antiochenſium an.* 114. In laureâ. *Vide Epocham in Claudio.* 3.

Ejuſd. ΕΠΙ ΜΑΡΙΟΥ ΚΟΡΔΟΥ ΚΟΙΝΟΝ ΦΡΥΓΙΑΣ ΑΠΑΜΕΙΣ. *Vide in Agrippina.* Aquila alis expanſis ſerpentem tenet unguibus. 2.

Nob. Moroſ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΕΡΕΙΤΩΝ. *Apollonieritarum, Lydiæ.* Apollo muliebri habitu ſtans, d. pateram, ſ. citharam. 3.

Regius. ΑΣΚΑΛΩ. ΑΟΡ. *Aſcalonitarum, Palaſtinæ, an.* 171. Semiramis turr. ſupra proram, d. ſceptr. ſ. acroſtol. in areâ, columba. 2.

ΑΣΚΑΛΩ. ΒΟΡ. *anno* 172. Mulier insidet temoni. s. cornucop. 2. *Com. Lax.*

ΡΟΕ. *anno* 175. Caput Neronis laureatum sine epigraphe. *D. Dron.*

ΑΣΚΑΛΩ. Semiramis ut suprà: in areâ, columba. 2.

ΓΑΔΑΡΑ. ΑΑΡ. *an.* 131. Mul. turr. stans, d. coron. s. cornucop. 3. *Thes. Reg.*

ΓΑΔΑΡΑ ΒΑΡ. *Gadara an.* 132. *in Cœlesyriâ.* Cap. turritum. 3. *D. Lavocat.*

ΓΑΔΑΡΕΩΝ ΑΑΡ. *Gadarensium an.* 131. Duplex corn. decussatim. 3. *Thes. Reg.*

ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΩΝ. *Commune Galatarum.* Templum sex col. 2. *Com. Laz.*

ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ ΖΟΤ. *Damascenorum an.* 377. Mul. insidet rup. 2. *V. Falchner.*

Eorum æra cœpit ab Autumno anni U. C. 442. *M. Ducis.*

ΔΟΚΙΜΕΩΝ. *Docimensium, Phrygiæ.* Cybele sed. inter leones. 3.

ΑΡΤΕΜΙΣ ΕΦΕΣΙΩΝ. *Diana Ephesiorum* D. Venatrix d. telum. 2. *Meus.*

ΑΙΧΜΟΚΛΗ ΑΟΥΙΟΛΑ ΑΝΘΥΠΑΤΩ ΕΦΕ. *Æchmocli Aviolæ Pro consuli Ephesiorum.* Templum 4. col. à latere. 2. *Thes. Reg.*

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Thessalonicensium, Macedoniæ.* In querceâ. 3. *Ejusdem.*

ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. Caput Claudii nudum. *Meus.*

ΤΙ. ΚΛΑΥ. ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Caput Neronis laur. 2.

ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. *Thyatirenorum, Lydiæ.* Bipennis. 3. *P. Asseline.*

ΙΛΙΕΩΝ ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΣ. *Ilienssium Scamander.* Fluvius d. proram, s. cornucopiæ. 2. *D. Foucault*

ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Cæsarensium, Palæstinæ.* Equus gradiens. 3. *Meus.*

ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΕΤΟΥΣ Β. *Anno* 2. *Imperii.* Figura velata sedens, pro pedibus vas. 3. *M. Ducis.*

ΚΑΙΣΑΡΙΑ Η ΠΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΩΝ Μ. L. ΙΔ. *Cæsarea ab Augustis magna, an.* 4. Astarte tutulata, pede saxo imposito, d. Osiridis caput sustinet, s. hastam. *Vide Ep. ad Europæ Antiq.* *Thes. Reg.*

ΖΕΥΣ ΚΩΙΩΝ. *Jupiter Coiorum.* Caput Jovis barbati. 2. *Meus.*

ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ. Capita Castoris & Pollucis cum astris. 2. *Fr. Lotti.*

ΝΕΡΩΝ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. Caput Neronis laureatum. *P. Cattanei.*

ΕΤ. ΙΓ. ΖΗΝΩΝΟΣ ΠΟΛΙ. ΤΟ Δ. *An.* 13. *Zenone Præfecto Urbis quartùm.* Jupiter Philalethes stans d. aquilam, s. hastam. 3.

ΓΑΙΟΣ ΠΟΣΤΥΜΙΟΣ ΛΑΟΔΙΚΕΙΑΣ Β. *Caius Postumius Laodiceæ secundùm.* forsan *Præfectus Urbis*, ut suprà. Typus idem. 3. *Thes. Reg.*

ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΣΙΠ. Caput juvenile Senatus. 3. *Ejusd.*

ΜΑΙΩΝΩΝ. *Mæonum, urbis in Lydiâ.* Deus Lunus stans, d. pateram, s. hastam. 3. *R. Christin.*

ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Figura galeata stans: pro pedibus clypeus. 2. *D. Magnav.*

ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. *Imperator Macedonum.* Clypeus. 2. *D. Foncault*

ΜΑΡΩΝΕΙΤΩΝ. *Maronitarum, Thraciæ.* Bacchus pectore tenus. 3. *Thes. Reg.*

Christin. R ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Metropolitarum, Phrygiæ.* Caput Palladis. 2.

Thes. Reg. ΕΠΙ ΤΙ. ΔΑΜΑ. ΜΙΛΗΣΙΩΝ. *Sub Tito Damasia Milesiorum.* Apollo nudus stans, d. telum, s. arcum. 3.

Eq. Gottifr. Al. Apollo muliebri habitu stans, d. lyram, s. plectrum. 3.

Thes. Reg. Μ. ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ ΠΡΙΣΚ. ΑΝΘΥΠΑΤΟ. ΠΡΑΤΤΟΝΤΟΣ ΝΕΙΚ. *Marco Tarquitio Prisco Proconf. faciente Nicæenstium.* Ara ignita. 2.

D. Foucault ΕΠΙ ΑΤΤΙΟΥ ΛΑΚΩΝΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ. *Sub Attio Lacone Proconsule Nicæensium.* Ara, Capricornus, cornucopiæ, globus, papaver, & fascia. 1.

D Galland. ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. Imperator eques milite præeunte, altero seq. 1.

Fr, Lotti. ΝΕΡΩΝΙ ΠΑΤΡΕΩΝ. *Neroni Patrensium.* Spes in templo distylo.

Card. Max. ΡΟΔΙΩΝ ΔΕΜΑΡΑΤΟΥ. *Rhodiorum Demarati.* Victoria gradiens. 1.

Thes. Reg. ΔΗΜΟΣ ΡΩΜΑΙΩΝ. *In Ægypto cusus.* I. E. Genius stans. 2.

P. Bellori. ΣΑΜΙΩΝ. Vulcanus super incudem, coram Pallade arma cudit. 2.

Thes. Reg. ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ ΣΥΡΙΑΣ ϘΑ. *An.* 91. Astarte turrulata stans, d. caput Osiridis sustinet, s. hastam, pede fluvii figuræ imposito. 3.

Sebastenor. æra Augustana est, in hoans ab Aut an. U. C. 729.

Christin. R ΣΙΔΗΤΩΝ. *Sidetum, Pamphyliæ.* Pallas st. d. hastam, s. clyp. 3.

P. de la Ch. ΘΕΑΣ ΣΙΔΩΝΟΣ ΕΟΡ. *An.* 175. Europa supra taurum. 3.

Card. Max. ΕΠΙ ΖΗΝΩΝΟΣ ΕΦΕΣ. ΣΜΥΡΝ. ΟΜΟ. *Sub Zenone Ephesiorum Smyrnæorum Concordia.* Diana & Serapis dextras jungunt. 2.

gnatur. Metropolim diximus urbem fuisse, cui aliæ ejusdem provinciæ parebant. Prima autem denotat secundùm Dionem Prusæum Orat. 38. quæ tributa quædam ab aliis accipiebat. Conventuum ac Judiciorum sedes erat, in quâ disceptarent aliæ urbes, & Prætores in oppida mitteret, unde ad eam illorum provocationes spectarent: quod jus codicillis, à Cæsaribus aut Senatu secundùm eorum provincias obtinebatur, sed amoveri poterat. Sacrorum pro Augustis & Certaminibus curam etiam habebat, ex Aristide.

AMACIA, *Amasia*, Ponti urbs, quam diximus factam ab Hadriano Principe, quando pro câ Pamphyliam provinciam Populo Romano dedit, Primatus dignitatem accepisse sub Commodo Imperatore docemur, in cujus nummis dicitur MHT. AMACCEΩN, & in posterioribus AMACIA ΠΡΩ. ΠΟΝΤΟΥ. Quod autem jus aut Cæsarum codicillis, aut Senatusconsulto acquirebatur.

ΕΦΕCΟC, *Ephesus*, Ioniæ civitas in provinciâ Proconsularis Asiæ, apud Ulpianum Prima Metropoleon dicitur; quam dignitatem in nummis nunquam accepit. Primam Asiæ se tantùm sub Severo inscribere cœpit; & cùm sub Caracallâ aliæ quædam ejusdem provinciæ urbes Primatûs titulum sibi arrogassent, sub Macrino se appellarunt Ephesii ΕΦΕCIΩN ΜΟΝΩΝ ΑΠΑCΩΝ ΑCIAC. De quibus vide apud Aristidem, Dionem Chrysost. & alios, contentiones.

ΛΑΟΔΙΚΕΙΑ, *Laodicea*, Syriæ urbs, non modò provinciæ facta est Metropolis in locum Antiochiæ constituta, sed & Primatum ei concessit Severus, ut nos docet elegans Caracallæ nummus, ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΠΡΩΤΩΝ CYPIAC; quod confirmare videtur Herodianus. *Byzantium urbs, omni cultu atque honore detracto, Perinthiis adjudicata est, quemadmodum Antiochia Laodicenis.* Sed posteà omnia jura Antiochenis sunt reddita.

ΝΙΚΑΙΑ, *Nicæa*, urbs Bithyniæ, æmula Metropoleos Nicomediæ, Primatûs dignitatem obtinuit sub Domitiano, ut arguit insignis illius nummus, ΝΕΙΚΑΙΕΙC ΠΡΩΤΟΙ ΤΗC ΕΠΑΡΧΕΙΑC: sed cùm Nicomedienses rem in Senatu disceptarent, Nicæenses ipsis ultrò conferre voluerunt, modò ejus essent participes, quod illi noluerunt, & Nicæenses causâ decidisse videntur, cùm in nullis deinceps nummis hunc titulum sibi arrogarunt, & Nicomedia passim inscripserit.

ΠΕΡΓΑΜΟC,

ΠΕΡΓΑΜΟC, *Pergamus*, urbs Asiæ Minoris, valdè illustris, & Attalicorum Principum olim Regia, Ephesi æmula, cum quâ plurima habebat communia, ut nos docet ὁμονοία in eorum nummis sæpè signata, postquàm Ephesum sub Severo, Asiæ Primatûs titulum obtinuisse animadvertit, illum etiam sub Caracallâ est assecuta, unde inter eas magnæ contentiones, de quibus Dio & Aristides.

CAMOC, *Samus*, una ex duodecim Ioniæ urbibus fuisse narratur à Strabone. Samios in Penatium suorum societatem Ionas recepisse idem tradit. Pausanias illis in Athleticis certaminibus & navalibus pugnis præ cæteris Ionibus, laudem summam tribuit. Nihil mirum igitur, si Gordiani tempore Primos Ioniæ factos, ex eorum nummis docemur, quo adhuc titulo sub Decio ornatos esse observamus.

CMTPNA, *Smyrna*, cùm una esset de duodecim Æolensium urbibus, insequentibus deinde temporibus concilii sui jus cum Smyrnæis Iones communicarunt, apud Pausaniam. Id auctoribus Ephesiis factum narrat Strabo; nam unà, ait, antiquitùs habitarunt, ita ut Ephesus etiam Smyrnæ nomen gesserit; unde cùm se æqualem existimaret Smyrna cum Epheso, de Primatu Asiæ simul contenderunt, & postquàm in Severi nummis hæc titulum scripsisset, sub Caracallâ filio eum illa obtinuit. Porrò Ephesii sub Macrino in nummis apposuerunt, ΕΦΕCΙΩΝ ΜΟΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑCΙΑC.

URBES SACRÆ.

IEPA vox, id est *Sacra*, seu *Sacrosancta*, in nummis quibusdam, ut sequentibus, sola apposita, aliquam urbis prærogativam ab Asylo, cum quo confunditur, separatam declarare videtur, quod in aliis conjunctio καὶ haud dubiè confirmat. Ἱερὰ igitur dicitur urbs *Elæa* apud Polybium lib. 4. quorum populi erant *omni periculo exempti, omnisque belli expertes*, tanquam esset in urbe securitas & pax: unde populis vita beata.

ΒΥΒΛΟC ΙΕΡΑ, *Byblus Sacra*, Phœniciæ urbs antiquissima, varios ideò casus sortita, ut meminit Eminentiss. Norisius, tandem à Tyranno per Pompeium, quando Syriam in Romanam pro-

vinciam redegit, liberata, *ex Strabone*. An verò ab Augusto; unde Æram in Elagabali nummis urbs computavit, prærogativam receperit; nam idem Imperator Nicopolim à se in Epiro conditam, pariter Sacram appellavit. *Vide Byblorum nummos.*

ΝΙΚΟΠΟΛΙC ΙΕΡΑ, *Nicopolis* simpliciter *Sacra*, ut Byblus, in nummis dicitur. Urbs erat Epiri, quam Augustus in Actiacæ victoriæ contra M. Antonium & Cleopatram relatæ monimentum condidit. Historiæ quidem Scriptores de privilegiis ab illo urbi concessis plura retulerunt; sed nulli Sacram dictam præter nummos nos docuerunt. Augustus illic Quinquennales instituit, Græcos imitatus, qui Elæam, ex Polybio supra laudato, ob Ludorum Olympicorum Sacram declaraverant: ita Nicopolim, ut Ludi non turbarentur, pariter Sacram esse voluit. *Vide urbis nummos.*

ΝΥΣΣΗ ΚΥΘΟΠΟΛΙΣ ΙΕΡΑ, *Nyssa Cythopolis Sacra*. Urbs hæc Cariæ antiquum Cythopoleos nomen exhibet, corruptum apud Stephanum, ex aliis in voce ΚΥΘΟΠΟΛΙC, ut apud Antigonum ΜΥΘΟΠΟΛΙC, lib. Hist. cap. 178. Verum autem nobis restituit nomen Gordiani nummus, ut & priscam Sacræ prærogativam urbi concessam, forsan ob Oecumenica Theogamia Certamina in Proserpinæ honorem celebrata; quod innuere videtur Strabo, dum non procul ab urbe lucum esse refert Plutonium, & templum Πλούτωνος καὶ Ηρας. Sed pro eâ voce reponendum videtur Κώρας, *Proserpinæ* Doricè, apud quos κώρη, *puella*, pro Proserpinâ absolutè dicebatur.

URBES ASYLO GAUDENTES.

ASYLUM erat locus quivis consecrationis Lege inviolabilis, unde illi nomen ab *α* privativo, & verbo συλλάω, quod est *rapio*, quasi esset locus à direptione tutus. Servius tamen putat quasi ἄσυρον, tanquam à verbo σύρω, quod est *traho*, quia inde extrahi, qui in locum confugerat, nefas esset. Aliquando templum, sacellum, urbs tota, & etiam ager ejus, prout apud Historiæ Scriptores legere est. Urbes quæ solam Asyli epigraphen exhibent, præterimittimus, aliis post Αὐτονόμους remissis, cùm Ἱερᾶς, Ασύλου & Αὐτονόμου inscriptionem simul inscribant.

ΕΦΕCΟC, *Ephesus*, Ioniæ urbs notissima, antiquum sibi jus Asyli concessum, in Senatu sub Tiberio cum aliis urbibus, apud Tacitum, retulit; sed nimia eorum licentia & impunitas effecit, ut Imperator Asyla aboleverit, narrante Suetonio: quod de Asiæ Minoris urbibus intelligendum. Ephesus tamen in nummis exhibet ΑΡΤΕΜΙC ΕΦΕCΙΑ ΑCΥΛΟC, quam ei prærogativam mediis tantùm temporibus restituisse videtur Philippus Imperator, cùm in eam urbem appulit, ut nos docent eorum nummi.

ΠΕΡΓΗ, *Perge*, urbs Pamphyliæ antiquissima, fanum Dianæ ab urbe *Pergæa* dictæ sanctissimum habuit, ex Cicerone Orat. I. in Verrem, & ex Pomponio Mela. Dianæ & templi iconem exhibent nummi cum epigraphe ΠΕΡΓΑΙΑC ΑΡΤΕΜΙΔΟC ΑCΥΛΟΥ. Hi nos edocent fanum jure Asyli donatum, sub Tiberio quidem cum aliis abolitum, sed à Gordiano Pio tandem restitutum. Plurima fuere Dianæ templa, apud Historiæ Scriptores, cum Asyli prærogativâ, sed sola hujus urbis numismata apud Pergam extitisse nobis indicant.

URBES LEGIBUS SUIS UTENTES.

QUÆDAM urbes cùm in Romanam potestatem venerunt, ut suis legibus uti possent, aliquando pretio redemerunt, sic loquente Cicerone ad Atticum, revixisse videbantur, unde Autonomiam illam in nummis utplurimùm signarunt, Ærâ aliquando ex ea dinumeratâ, se liberas adhuc quodammodo esse reputantes.

ΑΝΑΖΑΡΒΟC ΑΥΤΟΝΟΜΟC, *Anazarbus suis legibus utens.* De hac Ciliciæ urbe jam in Metropolibus dictum est. Cùm illam dignitatem, ut Tarsus, cum quâ aliquando de Primatu contendebat, assequi non posset, illius æmula, à Commodo Imperatore Autonomiam emisse videtur, ut nos docent ejus nummi, in quibus illi primùm hanc prærogativam, nullâ ejus in L. Veri nummis mentione factâ. Posteà Tarsus sub Caracallâ Eleutheriam consecuta est, ut hæc sub Elagabalo Metropoleos dignitatem.

ΔΙΟΚΑΙCΑΡΕΙΑ ΑΥΤΟΝΟΜΟC, *Diocæsarea suis legibus utens.* Duæ sunt apud Geographos hujus nominis urbes, altera Phrygiæ, altera Cappadociæ. Hæc verò à priori Αὐτονόμου prærogativâ distin-

guitur, tertiam in Ciliciâ Aſperâ addit Ptolemæus. Noſtra nomen ſuum antiquaſſe videtur poſt Cappadociæ regnum ſub Tiberio in provinciam redactum : & ſi mihi conjicere liceat, à Nerone in Claudii recens conſecrati honorem Diocæſarea dicta eſt, illam cùm Hadrianus novam Imperii formam poſt Auguſtum conſtituiſſet, Princeps beneficus Tyanam & Diocæſaream ſuis legibus uti permiſit, unde in ejus nummis Latinis CAPPADOCIA, ADVENTVI CAPPADOCIAE, RESTITVTORI CAPPADOCIAE, EXERCITVS CAPPADOCICVS.

ΚΟΡΥΚΟΣ ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ, *Coryceus ſuis legibus utens*, urbs ſcilicet Ciliciæ Aſperæ, & Portus cum promontorio hujus nominis. An hæc ſub primis Imperatoribus obtinuerit ſuis legibus vivendi arbitrium, dubium eſt, licèt Cicero referat ſe, cùm in Ciliciam Proconſul advenit, ut urbium benevolentiam ſibi conciliaret, eiſdem Autonomiam conceſſiſſe; ſed cùm nulli extent nummi Coryci ante Valeriani tempora, Seleucia ejus provinciæ primaria tantùm ΕΛΕΥΘΕΡΑ ſub Gordiano facta videtur. Corycus hoc tantùm tempore, aut ſub Valeriano, hanc prærogativam adepta eſt, quòd Cilices olim ΕΛΕΥΘΕΡΟΚΙΛΙΚΕΣ dicerentur.

URBES ſimul SACRÆ, INVIOLABILES, & SUIS LEGIBUS UTENTES.

ΑΝΤΙΟΧΕΙΑ ΠΡΟΣ ΙΠΠΟΝ ΙΕΡΑ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΣ, *Antiochia ad Hippum Sacra & Inviolabilis*, urbs Syriæ juxta Hippum montem ſita, Hippos primùm dicta; à quo Principe has prærogativas obtinuerit, difficile eſt pronuntiare, cùm apud Scriptores pauca ejus ſit mentio. Semiramis illam condidit, ex Stephano: an ipſa frenum equi, à quo nomen habuit, retinet? Antiochia deinde ab aliquo Syriæ denominata eſt; & cum Pompeius urbem à Judæorum ſervitute liberavit, prærogativas Sacræ & Inviolabilis conſervaſſe videtur ex ejus Epochâ, de quâ nobis infrà dicendum.

ΑΠΑΜΕΑ ΙΕΡΑ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΣ, *Apamea Sacra & Inviolabilis*. Urbs in Syriæ Tetrapoli, primùm à Syromacedonibus Pella in patriæ Alexandri memoriam dicta eſt; at eam deinde Seleucus prolato

illius pomœrio, Apameam de uxoris nomine appellavit, quam novo & ampliſſimo Jovis templo ſe ejus Dei filium prædicans conſtructo, Sacram & Inviolabilem pronuntiavit, cujus prærogativas Pompeius conſervavit, ut in ejus Epochâ infrà videro eſt.

ΔΩΡΟC ΙΕΡΑ ΑCΥΛΟC ΑΥΤΟΝΟΜΟC ΝΑΥΑΡΧΙC, *Dora Sacra, Inviolabilis, ſuis legibus utens, Navarchis.* Dora fœminini generis, vel neutrius in plurali, urbs Phœniciæ, à Doro Neptuni filio nomen habuit, ſi Artemidoro apud Stephanum fides, ſed Scillaci Δῶρος Σιδωνίων πόλις, *Dora Sidoniorum urbs.* Hæc antiquiſſima, utpote quæ proprios olim Reges habuerit, Ptolemæis poſt Alexandrum paruit; illam Antiochus Deus Epiphanes, Syriæ Rex octavus, ei adjecit, & in illâ templum Διὸς Ολυμπίου extruxit, ut nos docent urbis nummi, quam ideò Sacram & Inviolabilem eſſe voluit. Pompeius ei Autonomiam conceſſit. De Navarchidis dignitate infrà nobis erit ſermo.

ΚΑΙCΑΡΕΙΑ CΕΒΑCΤΗ ΙΕΡΑ ΚΑΙ ΑCΥΛΟC, *Cæſarea Auguſta Sacra & Inviolabilis.* Nulla inter urbes nomine Cæſareas, Sacræ & Aſyli prærogativâ, præter eam quæ in Phœniciâ ſub monte Panio ſita eſt, inſignitur. Hæc antiquiſſima, diverſa habuit nomina; ſed cùm Herodes Judææ Rex in Zenodori terrâ, quâ fuerat ab Auguſto donatus, elegantiſſimum templum in ejus honorem prope Panium conſtruxiſſet, Philippus ejus filius Tetrarcha ab eodem Auguſto in hac parte conſtitutus, urbem templo proximam novis ædificiis auxit, & Cæſaream Auguſtam appellavit, cui Aſyli jus congeſſiſſe videtur.

ΚΑΠΙΤΩΛΙΑC ΙΕΡΑ ΑCΥΛΟC ΑΥΤΟΝΟΜΟC, *Capitolias Sacra, Inviolabilis, ſuis legibus utens.* Hæc urbs Cœleſyriæ antiquato nomine ſub Domitiano Principe Capitoliadis nomen aſſumpſit, ab illo beneficiis cumulata, poſtquàm ille templum Jovis Capitolini ſub Vitellio arſum reſtauraſſet Domitianus. Capitolienſes in Principis illius gratiam templum Jovi Capitolino è fundamentis erexerunt, & quidem pulcherrimum, ut Sept. Severi nummus exhibet: ideò Imperator Sacræ, Inviolabilis, & ſuis legibus utendi prærogativas conceſſit, *ut infrà in urbis Epochâ videbimus.*

ΜΟΚΑ ΙΕΡΑ ΑCΥΛΟC ΑΥΤΟΝΟΜΟC, *Moca Sacra, Inviolabilis, ſuis legibus utens.* Hæc urbs laudatur à Ptolemæo lib. 5. cap. 15. Tra-

janus per Palmam Legatum Arabiam Imperio adjecit. Petra ejus Metropolis facta est ab Hadriano ejus successore, ut indicat Hadrianæ nomen in ejus nummis. Fortasse ab eo, aut à Trajano, Sacræ & Inviolabilis prærogativæ urbi conservatæ sunt, & ut illa suis legibus uteretur, permissum.

ΣΑΜΟΣΑΤΑ ΙΕΡΑ ΑΣΥΛΟΣ ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ ΚΟΜΜΑΓΗΝΗΣ, *Samosata Sacra, Inviolabilis, suis legibus utens, Metropolis Commagenæ.* Hæc urbs fœminini generis Ammiano, neutrius in plurali Straboni, qui Commagenam suo tempore factam provinciam sub Tiberio narrat; sed illam Antiocho Regi suo reddidit, quam ejus filio Vespasianus ademit; at ut novæ provinciæ sibi gratiam conciliaret, Samosatorum urbi antiquum Sacræ & Inviolabilis privilegium conservavit, imò suis legibus utendi arbitrium concessit, & civitatem Metropolim, de quâ jam dictum, fecit; unde memor, Flaviæ nomen assumpsit.

ΣΕΛΕΥΚΕΙΑ ΙΕΡΑ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ, *Seleucia Sacra & legibus suis utens.* Inter novem urbes nomine Seleucias, quas Imperii Syriaci Fundator appellavit, hanc ad mare in confinio Ciliciæ, augurium fulminis secutus Seleucus condidit, in quâ fulmen tanquam numen consecratum, hymnis propriis, ibi deinceps cultum est sub nomine Διὸς Κεραυνίου. Urbem ideò Sacram pronuntiavit Rex, ut in eam cives undique convocaret. Pompeius verò illam Αὐτονόμην, quòd Regem Tigranem non recepisset, esse voluit, teste Eutropio lib. 6.

ΤΥΑΝΑ ΙΕΡΑ ΑΣΥΛΟΣ ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ, *Tyana, Sacra, Inviolabilis, suis legibus utens.* Hæc Cappadociæ urbs ad Taurum montem, Thoana à Thoante Taurorum Rege dicta est, ex Arriano; sed deinde juxta paragrammatismum Tyana: posteà Eusebia vocata est ab Ariarathe quinto Cappadociæ post Alexandrum Rege, cognomento Eusebe, in quâ ille pari concordiâ cum filio regnans, templum extruxit, cujus iconem videre est apud Seguinum edit. 2. unde urbem Sacram, & templum Inviolabile pronuntiavit, cujus prærogativam Tyanensibus restituisse videtur Hadrianus, cùm Cappadociam invisit, eique insuper suis legibus uti, sicut Diocæsareæ in eâdem provinciâ, permisit.

URBES LIBERÆ.

Ἐλευθερία & Αὐτονομία urbium inter se multùm apud Græcos differunt; utraque sæpè per Latinos Scriptores explicatur *Civitas Libera*. De Autonomiâ earum suprà diximus, cùm illis suis legibus uti permissum erat, sed erant vectigales; at Ἐλευθέραι seu Liberæ dicuntur, quæ nullum omnino vectigal cuiquam penderent.

ΑΜΙCΟC ΕΛΕΥΘΕΡΑ, *Amisus Libera*. Hæc Galatiæ urbs, Atheniensium Colonia, dum maris imperium ipsi tenerent, sub Persarum dominio deinde subjecta, Libertatem conservavit. Illam iis Alexander confirmavit. Lucullus Regis erga Atticos favorem æmulans, quando eam Ponticis Regibus eripuit, Liberam eam jussit, apud Appianum in Mithrid. Nil mirum si Augustus, postquàm illa Stratonem Tyrannum ejecisset, Libertate in posterum donavit, ex Strabone lib. 12. unde sub Maximino adhuc occurrunt ejus nummi cum ΑΜΙCΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑC epigraphe.

CΕΒΑCΤΗ ΕΛΕΥΘΕΡΑ, *Sebaste Libera*, inter plurimas quas præfert prærogativas, se Liberam vocat. Navarchidis appellatio littoralem esse urbem denotat. Hæc priùs Eleusa de nomine insulæ Ciliciæ Asperæ continenti proxima, dicta est, cùm Archelaus Cappadociæ Rex ab Augusto Tracheam Ciliciam accepisset, quam habitatoribus frequentavit, mutato ejus in Augustam nomine: ideò Sacram & Inviolabilem fecit, templo in eâ Dianæ ad instar Ephesiæ, cujus Deæ iconem videre est in nummis Crispinæ, extructo. Illius maritus Imperator Commodus privilegia ejus abolita illi restituit, imò Navarchidis dignitatem addidit, & ut legibus suis uterentur cùm Libertate, permisit: an pecuniâ? nam de ejus Principe ait Lampridius: *Vendidit etiam provincias & administrationes*. Omnia sub eo Principe vænalia fuere.

CΕΛΕΥΚΕΙΑ ΠΡΟC ΤΩ ΚΑΛΥΚΑΔΝΩ ΕΛΕΥΘΕΡΑ, *Seleucia ad Calycadnum Libera*. Hæc ex novem urbibus à Seleuco Rege de nomine suo conditis, in Ciliciâ Asperâ fuit ad Calycadnum fluvium sita, uti indicant ejus nummi; sed primùm sub Gordiano Pio illa sibi Liberæ nomen vendicat, quam immunitatem à muni-

fico Principe videtur accepisse, dum ille eam invisit, ad bellum Persicum properans, memor quòd olim Cilices à Myrinâ Amazone liberi fuissent facti, apud Diodorum lib. 3. cujus privilegio plurimas urbes donavit Cicero, dum Proconsul Ciliciam administraret.

ΤΑΡΣΟΣ ΕΛΕΥΘΕΡΑ, *Tarsus Libera.* Splendidissima hæc Ciliciæ civitas, varios experta casus, Libertate, ut alii Eleutherocilices, gaudebat; posteà ademptam restituit M. Antonius, de quo Appianus lib. 5. *Tarsensibus libertatem cum immunitate concessit publicè.* Et de iis dicendum, quod de Rhodiis narrat Tacitus: *Redditur libertas adempta sæpe aut firmata, prout meruerant.* Nummus Caracallæ cum epigraphe ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ innuit ab hoc Principe, cùm ad bellum Parthicum proficisceretur, Libertatem urbi iterùm concessam.

URBES NAVARCHIDES.

CIVITATES ambitione semper inter se decertantes, titulos & honores quibus alias præcederent, avidè optabant, Mediterraneæ Metropoleos aut Primatûs, maritimæ Navarchidis dignitatem. Navarchis autem urbs dicebatur, quæ Classi provinciæ præerat, seu quòd Navarchus in provinciâ ab Imperatore constitutus, qui maritimas ejus partes à piratis defenderet, in eâ staret; seu quòd Imperator stationem navium in urbe haberet.

ΑΙΓΑΙ ΝΑΥΑΡΧΙΔΕΣ, *Ægæ* urbs, *Navarchis.* Hæc dignitas civitatis ad mare situm, & in illâ Naustathmum, id est navium stationem, indicat; si quidem Lucanus lib. 3. de eâ sic loquitur:

Et externæ resonant navalibus Ægæ.

At si tunc temporis urbs tantæ dignationis in mari erat, nil mirum si Gordianus Pius Princeps æquissimus, qui tot beneficiis & honoribus tam multas urbes cumulavit, Ægis Navarchidis dignitatem concesserit, ut Cilicia Campestris etiam haberet Navarcham, uti Sebaste in Ciliciâ Asperâ, qui ei præerat.

ΔΩΡΑ ΝΑΥΑΡΧΙΣ, *Dora Navarchis.* De hujus Phœniciæ urbis prærogativis suprà diximus; sed cùm Navarchidis titulo insigniatur, à nobis investigandum est à quo Principe illam dignitatem acceperit. Hæc urbs nullis Imperatoribus nisi Trajano nummos

nummos cudit, beneficii memor, quòd ab illo Navarchidis titulum accepisset in gratiam Sidonis, cujus erat filia, ut inquit Scillax, Δῶρος πόλις Σιδωνίων. quam Syriæ fortasse Navarchidem appellaverat, Doram verò Phœniciæ nominavit.

ΚΩΡΥΚΟC ΝΑΥΑΡΧΙC, *Corycus Navarchis.* De hac Ciliciæ Asperæ urbe inter civitates suis legibus utentes, nobis jam sermo fuit; nunc de illius Navarchidos dignitate dicendum. Mediterraneæ urbes mediis temporibus Metropoleos titulum in eâdem provinciâ ad honores tantùm ab Imperatoribus postulavere, maritimæ etiam Navarchidis dignitatem pariter ambivisse videntur: nam Sebaste in Ciliciâ Asperâ, & Ægæ in Ciliciâ Majori, cùm Valerianus Navarchidis titulum Coryco concessit; navibus provinciæ præerant illæ.

ΝΙΚΟΠΟΛΙC ΝΑΥΑΡΧΙC, *Nicopolis Navarchis.* Illam Epiri urbem ab Augusto in memoriam Actiacæ victoriæ conditam diximus, qui eam Sacram esse voluit, tum ut habitatoribus frequentaret, tum ut Ludi ab illo instituti tutè celebrarentur: sed Alexander Severus, dum ad bellum Parthicum proficisceretur, in tanti Principis memoriam illi Navarchidis dignitatem contulit, ut nos docent ejus nummi.

CΕΒΑCΤΗ ΝΑΥΑΡΧΙC, *Sebaste Navarchis.* Hanc Ciliciæ Asperæ civitatem antiquas à Commodo prærogativas recepisse suprà retulimus, novam verò Navarchidis in provinciâ suâ ab eodem Imperatore dignitatem impetrasse verisimile videtur, cùm ejus Principis nummus ab illâ civitate percussus omnes simul hos titulos exhibeat.

CΙΔΩΝ ΝΑΥΑΡΧΙC, *Sidon Navarchis.* Antiquissima Phœniciæ urbs fuit, si quidem à Sidone pronepote Noë condita dicitur à Josepho lib. 2. Antiq. Ipsi triremium inventum tribuit Clemens Alexandrinus Strom. lib. 10. Ejus in mari tanta fuit potentia, ut classem integram haberet: unde Trajanus antiquæ ejus gloriæ memor, illam Navarchidem provinciæ fecit, & (si mihi conjicere liceat) Syriæ, cùm Doram ejus filiam eodem tempore in Phœniciâ Navarchidem constituerit.

Phrygiæ, perhibetur condita ab Acmone Manci filio, apud Stephanum ex Polybio. Hæc ob diversos quos plurimis Augustis nummos percussit, non pauci nominis fuisse videtur; sed cur à Philippo facta est Neocora, nisi quòd cùm ultimi Imperatores hanc gratiam multis urbibus concesserant, ut ille sibi populorum benevolentiam conciliaret, id feciſſe proferamus.

ΑΔΡΙΑΝΗ ΑΜΑΣΙΑ ΝΕΩΚΟΡΟΣ, *Hadriana Amasia Neocora*. De Amasiâ Ponti urbe in Metropolibus civitatibus jam nobis sermo fuit, quam ab Hadriano Metropolim & Primam Ponti factam diximus, postquàm ipse Pamphyliam populo pro Bithyniâ, cum quâ Pontus erat annexus, eidem provinciæ reddidit: nil mirum si urbi ita caræ, ut Neocora etiam esset, concesserit; unde ipsa tot beneficiorum memor, Hadrianæ nomen sibi imposuit.

ΑΝΚΥΡΑ ΝΕΩΚΟΡΑ, *Ancyra Neocora*. Illa est Metropolis & Prima Ponti, de quâ suprà diximus. Eam restauraſſe Augustum narrat Tzetzes, cujus testis est Lapis ille celeberrimus, supra quem tota illius Imperatoris gesta adhuc visuntur exarata. A Caracallâ primam Neocoriam accepisse indicant frequentes ejus nummi cum Ludorum sub illo celebratorum inscriptione. At objiciet aliquis, in tot nummorum huic Augusto cusorum congerie nulla ΝΕΩΚΟΡΟΥ inscriptio. Forsan tantùm erat Principis permissus, dum ad bellum Parthicum proficiscereturr, & Senatusconsultum nondum erat factum: adde quòd multi occurrunt nummi aliis Imperatoribus signati usque ad Valerianum, qui eos secundam sub eo recepisse Neocoriam nos edocent.

ΕΦΕΣΙΩΝ ΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ, *Ephesiorum ter Neocorum* (subauditur ΣΕΒΑΣΤΩΝ) *& Dianæ*. Ephesii Reipublicæ tempore Dianæ Neocori fuerunt, ut Acta Apostolorum cap. 19. v. 35. innuunt. Deinde nummi sub Nerone illos fuisse Neocoros indicant, forsan ob Claudii apotheosim, in cujus honorem templum S. C. condiderant. Secunda Ephesiis Neocoria ab Hadriano concessa est, quem ob plurima sibi collata beneficia appellavere ΟΛΥΜΠΙΟΝ. Ter denique ab Ant. Caracallâ, cùm ad bellum Parthicum properaret, facti sunt Neocori. Sic in eorum nummis modò ter, quando ΣΕΒΑΣΤΩΝ tantùm Neocoros se appellant; modò quater, quando se etiam Artemidis Neo- Γ.

coros nominant: unde illorum inscriptio, ΜΟΝΩΝ ΑΠΑΣΩΝ ΤΕΤΡΑΚΙ ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Heracleensium Neocororum* Plurimæ sunt nominis Heracleæ urbes, sed hæc in Cariâ esse fertur, de quâ loquitur Strabo lib. 14. Eam sub Latmo collocat: navium stationem cùm haberet, in eam appulisse videtur Elagabalus ex Syriâ victor rediens, quæ ab Imperatore in hospitii præmium, ut esset Neocora, postulavit: unde civium nummi Augusto benefactori percussi cum novâ dignitate Senatusconsulto decretâ.

B. ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Thessalonicensium bis Neocororum.* Thessalonice urbs Macedoniæ maritima, priùs Herme, aliis Halia, à Cassandro restaurata, & à Thessalonice uxore, Philippi Macedoniæ Regis filiâ, sic denominata, primam accepit à Gordiano Pio Neocoriam; quare plurima Certamina sub ejus imperio, ut videre est in illius nummis, edidit. Secundam verò Neocoriam sub Valeriano, ut testantur illius nummi, obtinuit.

B. ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ Β. ΝΕΩΚΟΡΟΣ, *Cæsarea Metropolis iterùm Neocora.* Hæc Cappadociæ Metropolis ab Antonino Pio facta, à Sept. Severo ut Neocora esset, impetravit, & Ludos Certaminaque, sicut testantur illius nummi, in Imperatoris honorem edidit: tandem sub Gordiano Pio secundam accepit Neocoriam, reclamantibus pariter istius Principis nummis.

ΚΛΑΥΔΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΝΕΩΚ[ό]ΡΩΝ, *Claudiopolitarum Neocororum.* Ubi sint ipsi Claudiopolitani qui Neocoriam obtinuerunt, non videntur esse illi qui in Bithyniâ collocantur, apud quos Antinous sit natus, cùm urbs ejus Bithynium in nummis vocetur; sed potiùs ii sunt, qui in Isauriâ ab Ammiano Marcellino recensentur. Horum urbem priùs dictam Andrapam, à Claudio Coloniam factam narrat, sed potius restauratam, unde illi Claudiopoleos nomen. Ipsa à Caracallâ, qui plures urbes fecit Neocoras, eo titulo insignita est.

B. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Cyzicenorum bis Neocororum.* Cyzicus urbs Propontidis, cùm insula priùs esset, continenti ab Alexandro juncta est, teste Plinio lib. 5. Varios experta est casus, quos apud Historiæ Scriptores legere est. Illam appellat Ammianus lib. 26. urbem inexsuperabili mœnium ambitu monu-

mentis veteribus cognitam. Hadrianus Princeps munificus, inter plurimas urbes quas Neocoras fecit, illam selegit. Caracalla secundam illi concessit Neocoriam; unde beneficii memores Cyziceni, se Aurelios Antoninianos in ejus nummis cognominarunt.

ΚΟΜΟΔΟΥ ΚΕ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΔΟΓΜΑΤΙ ΣΥΓΚΛΗΤΟΥ, *Commodo Cæsare Antonino Laodicensium Neocororum Senatusconsulto.* Laodiceæ nomine vrbes fuere sex, à Seleuco de matris appellatione vocatæ. Hæc, Diospolis priùs dicta, Cariæ est in Phrygiæ confiniis ad Lycum & Caprum sita. Ille eam interluit, hic alluit. Laodiceni in hoc nummo se Neocoros Principis gratiâ & Senatûs auctoritate factos fuisse jactant, Caracallæ adulantes, quòd Severus ejus pater se Divi Marci filium esse prædicaret, filium ejus Commodum & Antoninum appellant: & ut Commodus maximum cuderat nummum cum epigraphe, TEMPORVM FELICITAS; Laodiceni suum novum Commodum in altero nummo exhibuerunt cum epigraphe, ΕΥΤΥΧΕΙΣ ΚΑΙΡΟΙ, *Felicia tempora.*

ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΠΡ. ΣΥΡΙΑΣ, *Julienſium Laodicensium Neocororum Primorum Syriæ.* Ex urbibus sex quas à Seleuco suprà diximus fuisse appellatas, duæ fuerunt in Syriâ, una ad Libanum, ut indicant nummi; hæc ad mare, Julia cognominata à beneficiis in se à Julio Cæsare collatis, unde Æram desumpsit usque ad Severum, qui Laodicenis jura & privilegia Antiochensium Pescennii Nigri partibus faventium attribuit: sed cùm Caracallæ interventu Antiochia suos recepisset titulos & honores, Caracalla factus Imperator Laodicenos Neocoros fecit; quæ gratia nullis Syriæ populis concessa est, imò & honorificum iis Primatûs titulum nondum in Oriente auditum tribuit.

ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ, *Magnetum Neocororum Dianæ.* Magnesiæ duæ, una ad Sypilum montem ita semper in nummis distincta; altera ad Mæandrum fluvium, quæ nostra est, dicitur ΝΕΩΚΟΡΟΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ, Dianæ, quæ ΛΕΥΚΟΦΡΥΣ, id est, *habens candida supercilia*, dicebatur, ut Hadriani nummus præfert, ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΛΕΥΚΟΦΡΥΣ, Ephesiæ ad instar cum adminiculis & cervis, sed Victoria hinc & inde ad latera volitans, & columba pro pedibus, ejus fanum ex Strabone lib. 14.

magnitudine templi, & multitudine donariorum Ephesio cedens, concinnitate autem & artificiosâ delubri structurâ longè superius, magnitudine etiam omnia Asiatica superans duobus exceptis, Ephesio à quo xv. mill. distabat, & quod Didymis erat. Magnetes ab Alexandro Severo impetrasse videntur, ut Dianæ suæ Neocori essent, ut Ephesii, qui se Dianæ scilicet Polymammæ Neocoros in nummis etiam prædicabant.

ΜΑΝΤΑΛΗΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Mantalenorum Neocororum.* Mantalus urbs Phrygiæ, à Mantalo ejus Conditore nominata perhibetur à Stephano ex Alexandro Polyhistore. Hæc exigua & pauci nominis mihi videtur, ut à nullis Scriptoribus memoretur, & Neocoriam obtinuerit; inde dubium ingens, quòd nummus antiquus hanc epigraphen à novo artifice acceperit, suspicionem auget ille sub M. Aurelio percussus. An verò urbs, si nummo adhibenda fides, ab hoc Principe Neocoriam habuerit, alterum est dubium, cùm nullus alter nummus ab his populis signatus occurrat?

Γ. ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΤΡΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Nicomediensium ter Neocororum.* De Nicomediâ Bithyniæ inter Metropoles & urbes Primatu insignes jam locuti sumus. Ei ex honoribus urbium supererat ut Neocora esset; at cùm Bithyniæ provinciam accepisset Hadrianus, & alteram Ponti Metropolim feciſſet Amasiam, ut Nicomediæ dignitates augeret, ipsi Neocoriam concessit, quem ideò ΘΕΟΝ ΟΛΥΜΠΙΟΝ in nummis vocavit. Commodus secundam ei Neocoriam tribuit, unde illi templum dedicavit, & Certamina in illius honorem edidit, ut testatur Xiphilinus: *Nicomedienses per Saoterum popularem suum impetrarunt à Senatu ut Certamina celebrarent, & Templum Commodo facerent.* Tertiam verò sub Valeriano accepit Neocoriam, & tria templa, unum Valeriano patri, alterum Gallieno, tertium Valeriano Juniori extruxit, & tria Certamina in eorum honorem instituit.

ΝΥCΑΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Nysæorum Neocororum.* Nysa Cariæ urbs, priùs Athymbra ex Athymbro Lacedæmoniensi Conditore, uti Strabo lib. 14. & nummus Maximini confirmat, ΝΥCΑΕΩΝ ΑΘΥΜΒΡΟC, cum illius stantis effigie. Hæc urbs Neocoriam accepisse videtur à M. Aurelio, ut indicat illius nummus sub Scribâ M. Aurelio Musonio, qui Ἱέρεως dignitate ornatur, non quòd

ob Ἱερείαν illum cuderit, sed quòd esset Scriba; nam Sacerdotis dignitas Magistratûs tantùm est comes.

ΠΕΡΓΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Pergensium Neocororum.* Perga urbs Pamphyliæ, de quâ nobis sermo fuit inter urbes Asylo gaudentes ob Dianæ Pergensis fanum celeberrimum. Hæc Neocoriam tantùm ultimis temporibus sub Valeriano accepit, & Certamina in honorem Valeriani & filiorum Gallieni & Valeriani Junioris, quæ appellavit ΑΥΤΟΚΡΑΤΕΙΑ, instituit, ut nos docet Gallieni cum Saloninâ nummus, in quo mensa ludorum, supra quam sunt inscripta. Alii ejus urbis nummi alia Certamina illam celebrasse nobis indicant; sed hæc in civitatibus sine Neocoriâ edi poterant, ut plurima in Nicææ nummis observamus, cùm illa nunquam Neocora fuerit, ut ipsi nummi testantur, in quibus nulla fit Neocoriæ mentio, forsan cum Nicomedia concordiâ juncta: nam illa urbs plurima in eorumdem Augustorum Valeriani & filiorum honorem Certamina edidit.

ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΤΡΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Pergamenorum ter Neocororum.* De Pergamo Asiæ urbe celeberrimâ, inter civitates Primatu insignes jam locuti sumus; an primam Neocoriam sub Augusto, cui templum dicaverat, an sub Hadriano accepit: nam ante ejus tempora nulla apud eos Neocoriæ mentio, Trajano illius patri templum ædificavit, ut præfert ejus elegans nummus, ΘΕΩ CΩΤΗΡΙ ΚΑΙ ΤΩ ΘΕΩ CΕΒΑCΤΩ. Templum quatuor columnarum, in quo Victoria coronat Imperatorem stantem. Secundam habuit sub M. Aurelio, in gratiam Æsculapii, cui Pergameni sacra pro salute Principis sæpè infirmi publica fecerunt. Tertiam obtinuit sub Caracallâ, cùm hic ad bellum Parthicum properans, Pergamum invisit. Pergameni templum in illius honorem extruxerunt, cujus iconem videre est in ejus nummis, & Certamina pariter Olympia & Pythia, ut alii nos docent, celebrarunt. Γ.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Perinthiorum bis Neocororum* Perinthus Thraciæ urbs celebris, cui Byzantii jura & privilegia tribuit Severus, quòd hæc urbs tam acriter Pescennii partibus studuisset; & præterea illam Imperator Neocoram fecit, unde templum, & alterum Caracallæ & Getæ filiis extruxit; plurima etiam Certamina edidit, ΑΚΤΙΑ, ΠΥΘΙΑ, & de fratrum perpetuâ optandâ concordiâ dicta ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. Elagabalus, qui se Β.

Caracallæ filium prædicabat, urbi Perinthio favens, ut secundam acciperet Neocoriam, concessit; ideò illi templum ædificavit, & Certamina ΑΚΤΙΑ & ΠΥΘΙΑ pariter celebravit, quorum sunt testes illius Imperatoris nummi superstites.

Γ. ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Sardianorum ter Neocororum.* Sardis Lydiæ urbs, Asiæ se Metropolim inscribit, quippe Lydia sub provinciæ Asiæ Proconsulatu continebatur; nec Ephesus, Smyrna & Pergamus hanc dignitatem habuerunt, sed inter se omnes de Primatu decertarunt, & Neocoriam ab Imperatoribus, ut eorum gratiam sibi conciliare potuerunt, tandem obtinuere, Sardis quidem sub Hadriano Principe munifico primam Neocoriam, secundam sub Caracallâ, tertiam sub Valeriano, ut eorum nummi nos edocent.

ΣΙΔΗΤΩΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗΣ ΕΝΔΟΞΟΥ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Sidetum splendidissimæ illustris* civitatis *Neocororum.* Sida Pamphyliæ urbs, Splendidissimæ titulum sibi assumit, ut Neocoriam mereri uti Pergen ejusdem provinciæ urbem, quæ illam à Valeriano acceperat, quam Sida sub filio Gallieno obtinuit, in cujus honorem Certamina Prima totius provinciæ nomine edidit, ut nos docet ejusdem Principis nummus ab eâ cusus, in quo ΠΡΩΤΑ ΠΑΜΦΥΛΩΝ ΣΙΔΗΤΩΝ.

Γ. ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Smyrnæorum ter Neocororum.* Smyrna Ioniæ urbs celeberrima, ut antiquissima de Primatu cum Epheso & Pergamo sæpè contendit, quippe prima fuit Augustorum Neocora sub Tiberio. Ephesus quidem erat, sed Artemidis Neocora. Decrevere, apud Tacitum lib. 4. Asiæ urbes templum Tiberio, matrique ejus, ac Senatui, & permissum statuere. Rogati sententiam Patres, Smyrnæos prætulerunt. Hi secundam acceperunt Neocoriam sub Hadriano per Antonium Polemonem civem suum, ut eruitur ex Marmore Oxoniensi pag. 95. Tertiam verò sub Caracallâ obtinuere, ut præferunt maximi & insignes ejus Imperatoris nummi, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ, cum tribus templis, forsan Tiberii seu Romæ, Hadriani & Caracallæ.

Β. ΤΑΡΣΟΥ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΥ, *Tarsi bis Neocoræ.* De Tarso Ciliciæ Metropoli jam à nobis dictum est. Eam tot beneficiis cumulavit Hadrianus, ut nomen illius in perpetuum acceperit. Inter ea præcipuè quæ ipsi contulit, Antinoi nummus nos docet ab eo primam

primam Neocoriam obtinuisse; ideò ei commune Ciliciæ templum extruxisse videtur. Illa autem secundam habuit sub Commodo Neocoriam, cui pariter templum extruxit, & Certamina nuncupata de Imperatoris nomine ΚΟΜΜΟΔΕΙΑ celebravit.

ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Trallianorum Neocororum.* Trallis Cariæ urbs, Plinio & Ptolemæo, quod ex nummis confirmatur, quæ Scribam, ut in Cariæ urbibus, solitum earum Magistratum scribit, præcipuum habuit pro numine Apollinem: inde in ejus nummis ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ ΠΥΘΙΟΣ, in cujus honorem Tralliani Pythia Certamina sæpiùs celebrarunt, & præcipuè quando à Caracallâ facti sunt Neocori, ut præfert singularis ejus nummus, ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΩΝ CEBACTΩN. Nec te turbet vox ea, ΤΩΝ CEBACTΩN, cùm duo templa in nummo exarata sint, unum in quo Caracalla paludatus, alterum in quo Julia Augusta ejus mater: ideò Tralliani Augustorum Neocori dicuntur.

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Philadelphensium Neocororum.* Philadelphia urbs ter gemina, una Cœlesyriæ, quæ in nummis ΚΟΙΛΗC CYPIAC inscribitur ad distinctionem; altera in Ciliciâ, ex Ptolemæo; tertia Lydiæ, de quâ nunc loquimur. Hæc ab Attalo Bithyniæ Rege cognomine Philadelpho appellata, Neocoriam ab Hadriano de tot civitatibus bene merito accepit, ut nobis indicant Antinoi nummi. In his templum quatuor columnarum visitur, in quo ipse Antinous sub Harpocratis effigie. Deum vocant illum Bithynienses, Hostilius Marcellus Antinoi Sacerdos perhibetur in nummis ab Achæis percussis: ita ejus Neocori fuisse videntur Philadelphenses.

ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΩC ΝΕΩΚΟΡΟΥ, *Philippopolis Neocoræ.* Hæc Thraciæ urbs, Eumolpias priùs dicta, à Philippo Alexandri patre restaurata, nomen tulit; cùm verò Caracalla contra Parthos bellum per provincias pararet, Alexandri Magni æmulator, Macedoniam lustrando, ex ejus populis phalangem comparavit, in quâ erat hominum sedecim millia, ex Dione: deinde Philippopolim Thraciæ ingressus, illam declaravit Neocoram, & ipsa Certamina edidit ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ in illius gratiam, nomine totius provinciæ.

URBES CONCORDIA JUNCTÆ.

Cum nihil vulgarius quàm dissidia, rixas & contentiones inter urbes apud Historiæ Scriptores & Græcos Oratores legere, ita nihil frequentius quàm ex nummis concordiam plurimarum civitatum edisscere. Per illam, quam Ὁμόνοιαν appellant, solennibus pactis societatem inter se & sacrorum communionem sanciebant, hocque cognationis vinculo tanquam sorores de rebus ad se spectantibus agebant.

ΟΜΟΝΟΙΑ ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ, *Concordia Athenienssium Smyrnæorum*, Minerva cum hastâ, ex adverso Nemesis ori dextram admovens. *Num. Ant. Commodi.*

Disjunctæ plurimo terrarum, imò maris, spatio Athenæ & Smyrna, societatem in nummo denotant, quod jus commercii spectaret inter duo Græciæ & Asiæ nobiliora nempe Emporia. Præsides urbium Deæ, Minerva Athenarum, & Nemesis Smyrnæ, sunt in illo sculptæ. Notandum intereà, nummum apud Smyrnæos percussum, quòd Athenienses Imperatorum effigies in monetis suis haud signarent, forsan liberi, nullumque nisi sub Vespasiano euderunt, qui post Neronem Græcis libertatem ademerat, quam iis Domitianus restituit.

ΑΜΙCΟC ΑΜΑCΤΡΙC, *Amisus, Amastris*. Duæ Amazones turritæ dextras jungunt, arâ intermediâ. *Num. Ant. Pii.*

Duæ sunt ejusdem provinciæ urbes societatem inter se contrahentes, in originis suæ memoriam. Duæ enim illæ Amazones in nummo depictæ, urbes illas à duabus Amazonibus, scilicet Amiso & Amastri, fuere denominatas denotant: illæ Paphlagoniæ & Ponti partem olim occuparunt, si quidem *Themiscyra* planicies versùs Amisum à Strabone dicitur *Amazonum olim domicilium*, Amastris Oxyathræ Darii fratris filia, Dionysii Heracleæ Ponticæ Tyranni uxor, in nominis gratiam, ex quatuor pagis seu urbibus proximis Sesamo, Cytora, Cromna & Teio Amastrim auxit; unde illa magnam crevit in urbem. Amisus à Milesiis, deinde ab Athenienssibus occupata, Piræum dicta est, posteà pristinum nomen Amisi resumpsit.

ΑΜΙCΗΝΩΝ ΜΙΛΗCΙΩΝ, *Amiſenorum, Mileſiorum*, ſubaud. *Concordia*. Apollo ſedens cum lyrâ, ex adverſo Serapis ſtans cum ſpicis & haſtâ. *Num Maximini.*

Altera prodit Amiſi cum Mileto, ex quâ receperat olim Coloniam, Societas ſub Maximino. Utraque civitas ſua exhibent peculiaria numina, Amiſus Serapim, qui idem cum Sole putabatur, ex Macrobio lib. 1. Saturn. & Miletus Apollinem, qui pro Sole etiam accipitur, ut refert Cicero de Nat. Deor. Apollo autem Mileti cultus, Didymæus vocatus eſt, cujus templum erat ita magnum, ut ſine culmine manſerit. *Ex Strabone.*

ΑΝΚΥΡΑΝΩΝ ΝΥCΑΕΩΝ, *Ancyranorum, Nyſæorum*, ſubaud. *Concordia*. Deus Lunus ſtans cum paterâ & haſtâ. *Num. Hadriani.*

Ancyra Phrygiæ cum Nyſæâ Cariæ ſocietatem inter ſe ſub Hadriano habuerunt, ex ejus nummo; ſed Lunus ſacrorum inter ſe communionem denotat, cùm Lunus Nyſææ in ſummo honore eſſet, qui ex aliquo ejus urbis nummo vocabatur ΚΑΜΑΡΕΙΤΗC à Camarâ Cretæ urbe, cujus cultus à Mileto, quando in Cariam ex illâ inſulâ appulit, videtur allatus.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Antiochenſium & Laodicenſium Concordia*. Duæ mulieres dextras jungunt. *Num. Commodi.*

Antiochia & Laodicea hujus nominis multæ perhibentur; ſed illæ duæ in Cariâ ſunt, à Seleuco Nicatore conditæ, illa à à patre Antiocho, hæc à matre Laodice denominatæ; ideò in nummo ſub ſpecie ſororum cum turribus ſupra caput exaratæ ſunt, dextras in ſocietatis gratiam ſibi porrigunt, quaſi jurejurando inter eas facto. Antiochia ad Mæandrum ſita eſt, Laodicea ad Lycum & Caprum fluvios.

ΑΡΑΔΙΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ϘΤ. *Aradiorum & Laodicenſium*, ſubaud. *Concordia*, *anno* 390. Duo capita muliebria turrita & jugata. *Num Hadriani.*

Elegans & perrarus eſt hic nummus, qui Phœniciæ & Syriæ urbes in concordiâ ac ſocietate junctas exhibet; inſolita nempe eſt earum civitatum ὁμονοία in nummis. Aradus antiquiſſima fuit, & à quibuſdam Sidoniis exulibus condita dicitur apud Strab. lib. 16. Ad ejus ſcopulum belluæ objectam Andromedam narrat Plinius lib. 5. Laodicea Seleuci opus, à matre urbs ita denominata: utraque per mulierem turribus inſignem, utpote ambæ validis muris cinctæ, mutuum ſibi auxilium fœdere pollicentur.

ΑCIA ΟΜΟΝΟΙΑ CMΥΡΝΑ, *Asia Concordia Smyrna.* Amazon siniſtrâ bipennem, dextram jungit cum muliere turritâ. *Num. Gordiani.*

Ad Smyrnam ſolam ſpectat nummus. Hæc ſub Fundatricis Amazonis habitu cum bipenni ſolito illarum armorum ſymbolo dextram jungit cum Aſiæ provinciæ Proconſularis effigie, ſuarum omnium civitatum ſocietatem ſtipulante. Ab Ariſtide vocatur, Ἰωνίας στέφανος, Ἀσίας κόσμος, *Ioniæ corona, Aſiæ ornamentum.* Plinius eam alterum Aſiæ lumen dicit. *Vide infrà Smyrnæ cum aliis civitatibus Societates.*

ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ ΝΙΚΑΙΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Byzantiorum Nicæenſium Concordia.* Ara ignita inter duas lampades. *Num Valeriani.*

Byzantium urbs Aſiæ notiſſima, cum Nicæâ Bithyniæ civitate celeberrimâ ſocietatem deſignat. Lampades illæ in Dianæ Luciferæ memoriam, quæ eas in obſidione urbis à Philippo Macedonum Rege obtulit, ut refert Conſtantinus Porphyr. lib. 2. Them. unde Lampadiferæ Dianæ ſimulacrum fecere Byzantii, teſte Heſychio. Ara verò intermedia ſacrum forſan in ejus honorem factum indicat, ad quod admiſſi videntur Nicæenſes tanquam fœderati; ideò Nicæa nullum in nummo ſymbolum exhibet.

ΔΙΟΚΑΙCΑΡΕΩΝ ΚΕΡΕΤΑΠΕΩΝ, *Diocæſarenſium Ceretapenſium*, ſubaud. *Concordia.* Cybele ſedens inter duos leones. *Num. Commodi.*

Diocæſarea gemina urbs, una Cappadociæ, altera Phrygiæ. Hæc cum Ceretapenſibus ejuſdem provinciæ ſocietatem per nummum denotat, & quidem ſacrorum communionem, nempe Cybeles, quæ Dea Phrygiæ vulgò appellatur, cui coronam turritam tradunt, propter urbes & arces quæ in ſummitate montium fiebant antiquitùs; & leones ei comites adjungebant, ut nullum genus eſſe terræ tam remotum ac vehementer ferum, quod non ſubjici cuique conveniat, oſtenderent.

ΕΦΕCΙΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ, *Epheſiorum Alexandrenſium*, ſubaud. *Concordia.* Capita Serapidis & Iſidis. *Num. Antonini Pii*

Locorum inter Epheſum Ioniæ & Alexandriam Ægypti intervallum, earum urbium ſocietatem inter ſe ſancitam, primùm ob commercii utilitatem, ſatis arguit; ſi quidem illa celebre erat Aſiæ, hæc Africæ Emporium: & ne dubitare liceat de quâ Alexandriâ intelligi debeat, Serapis & Iſis præcipua Ægypti numina indicant. At cur eorum capita in Epheſi num-

mo signata sint, eorum in urbe cultum in gratiam Alexandriæ admissum denotant.

ΚΟΙΝΟΝ ΕΦΕCΙΩΝ ΚΑΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ, *Commune Ephesiorum & Alexandrensium.* Mensa, supra quam urna ludorum cum duabus palmis. *Num. Ant. Caracallæ.*

Hic nummus societatis inter Ephesum & Ægyptum sub hoc Imperatore adhuc permanentis locuples est testis, imò ludi Ephesi, cùm ille in urbem appulit ad bellum Parthicum proficiscens, communibus Ephesiorum & Alexandrinorum impensis celebrati. Quæ fuerint illa certamina, heu numinus non indicat.

ΕΦΕCΙΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Ephesiorum Alexandrensium Concordia.* Imperator sacra faciens super aram. *Num. Macrini.*

Vota pro Macrini salute Ephesi facta esse publica ante templum quatuor columnarum, denotant alii ejus Principis nummi; sed hic Imperatorem ut Pontificem Maximum sacra alicui numini Ephesiis & Alexandrinis in urbe communi fecisse arguit, in cujus rei memoriam maximus ille fuerit percussus.

ΕΦΕCΙΩΝ ΤΥΧΗ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ, *Ephesiorum Fortuna Alexandrensium.* Fortuna calatho insignis humi decumbens, lævâ caput sustentat, dextrâ temonem: pro pedibus cornucopiæ. *Num Gordiani Pii.*

Inter plurimos Gordiani Pii nummos ab Ephesiorum & Alexandrinorum Societate ipsi percussos, quos in ejus serie observare est, hunc quippe singularem selegimus. Exhibet Fortunam Deam insolito more humi decumbentem, nempe ut stabilem. Dextrâ caput sustinet, tanquam secura: adsunt alia temonis & cornucopiæ symbola, ut denotet utramque urbem fortunatam propter inter se societatem & concordiam, quasi esset Fortuna Ephesiorum, Fortuna Alexandrinorum.

ΕΦΕCΙΩΝ ΚΑΙ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΟΜΟΝ. *Ephesiorum & Hierapolitarum Concordia.* Diana Ephesia cum cervis: ex adverso Apollo nudus dextrâ cervum sustinet, sinistrâ plectrum gerit. *Num. M. Aurelii.*

Ephesi denotat cum Hierapoli Phrygiæ societatem nummus. Hæc urbs, teste Philostrato lib. 2. in iis censenda, quæ florebant in Asiâ, sic dicta, ex Stephano, quòd templa multa haberet, inter quæ præcipuum erat Apollinis, ex Damasio apud Photium, sub quo antrum erat maximè nocuum; id Plute-

nium appellare videtur Strabo lib. 13. Apollo dextrâ cervum, ad denotandam Solis celeritatem, lævâ plectrum; cithara autem, illius inventum.

Alius Commodi nummus cum simili epigraphe eandem Dianam Polymammam cum cervis, ex adverso Apollinem muliebri habitu ornatum exhibet.

ΕΦΕCΙΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Ephesiorum bis Neocororum Cyzicenorum Concordia.* Diana Polymamma: ex adverso Hercules stans, dextrâ clavam, sinistrâ spolia leonis. *Num. Antonini Pii.*

Ephesus cum Cyzico Propontidis urbe insigni concordiam signat. Hæc nempe, apud Strabonem lib. 12. comparari potest cum principibus Asiæ urbibus ob magnitudinem, pulchritudinem & legum bonitatem. Duo habuit præcipua numina, Proserpinam, cui urbs in dotem à Jove data est, & Herculem, qui cum eâ illos qui ex Gigantibus relicti fuerant, evertit, apud Stephanum pag. 163. Nummus Domitiani Herculem Τὸν Κτίστην Κυζικηνῶν, *Conditorem Cyzicenorum*, appellat.

ΕΦΕCΟC ΚΥΖΙΚΟC ΟΜΟΝΟΙΑ, *Ephesus Cyzicus Concordia.* Duo Joves barbati dextras jungunt seminudi, lævâ quisque hastam. *Num. Antonini Pii.*

Ephesus & Cyzicus suos Joves in nummo exhibent tanquam concordes. Ephesus suum in nummo Sept. Severi Ephesium appellat, ΖΕΥC ΕΦΕCΙΟC ΠΡΩΤΟC ΑCΙΑC: Cyzicus suum signat in Commodo tanquam Præsidem loci. Urbes autem, etsi tutelares alios haberent Deos, plurimæ tamen Jovem colebant ut præcipuum numen.

ΕΦΕCΙΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Ephesiorum & Laodicensium Concordia.* Diana Polymamma cum cervis: ex adverso Jupiter stans, dextrâ aquilam, sinistrâ hastam. *Num. L. Veri.*

Cum urbibus certè nobilioribus concordiam inivit semper Ephesus; si quidem Laodicea apud Strabonem lib. 12. inter maximas Phrygiarum urbium recènsetur, à Seleuco de nomine matris Laodicea dicta, cùm priùs ex Plinio lib. 5. appellaretur Diospolis, *Jovis civitas*, quòd in illâ maximè coleretur Jupiter, qui in nummo Augusti Philalethes, id est *Amans veritatis*, cognominatur.

ΕΦΕCΙΩΝ ΜΕΙΛΗCΙΩΝ, *Ephesiorum Milesiorum*, subaud. *Concordia.*

Diana Ephesia : ex adverso Apollo nudus stans, dextrâ cervum. *Num. M. Aurelii.*

Hæ urbes Ephesus & Miletus societatem forsan inierunt ad sacrorum communionem, fratris nempe & sororis, cùm in illâ Dianæ cultus esset celeberrimus, in hac Apollinis. Utriusque templa, antequam Iones eorum terram occupassent, jam erant constructa, ex Pausania lib. 7. Xerxes Ephesio pepercit, Milesium verò arsit, Apollinemque æneum ademit, quem multis post annis Seleucus Milesiis restituit. Apollo verò apud Milesios utplurimùm nudus exhibetur. De illius cervo Solis symbolo suprà diximus.

ΕΦΕCΙΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Ephesiorum Pergamenorum Concordia.* Diana Ephesia, à sinistris Æsculapius stans cum baculo & serpente. *Num. Gallieni.*

Ephesi cum Pergamenis Concordiam iniere, ex eorum nummis constat, cùm adhuc de Primatu non contenderent, unde inter eos magnæ contentiones, apud Dionem & Aristidem : sed cùm Ephesii sub Severo, & Pergameni sub Caracallâ illum obtinuissent, simul eos in gratiam rediisse testis est nummus ejusdem Principis apud Sponium in Itiner. & hic eorum societatem sub Gallieno adhuc stare denotat. Ambo tutelaria exhibent numina, Ephesii Dianam solitam, Pergameni Æsculapium, qui secundam è Græciâ, apud Aristidem, in urbem deduxit Coloniam.

ΕΦΕCΙΩΝ ΚΑΙ CΑΡΔΙΑΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Ephesiorum & Sardianorum Concordia.* Diana Ephesia, ex adverso figura muliebris tutulata stans, ornatu singulari decora, Proserpina credita. *Num. M. Aurelii.*

Ephesios cum Sardibus sub M. Aurelio Concordiam habuisse testis est hic nummus. De hac urbe ait Strabo, *ob virtutem Soli præclarè refecto, ut nulli vicinarum gloriâ cederet.* Non mirum igitur si Ephesii cum Sardibus societatem inierint, & sua in nummo præcipua cuderint numina. De Dianâ passim ; sed Proserpinam summopere Sardibus cultam nos docent plurimi ejus urbis nummi, & marmor apud Gruterum pag. 373. ΘΕΑΝ ΚΟΡΗΝ CΑΡΔΙΑΝΟΙC . . . . . ΑΝΕΘΗΚΕΝ, *Deam Proserpinam Sardianis . . . . . posuit.*

Alter nummus cum eâdem epigraphe & iisdem nominibus in Ca-

racallâ, fœderis inter Ephesios & Sardianos renovationem indicare videtur.

ΕΦΕΣ. ΣΜΥΡ. ΟΜΟ. *Ephesiorum Smyrnæorum Concordia.* Diana Venatrix & Serapis dextras jungunt. *Num. Neronis.*

Ephesii cum Smyrnæis societatem antiquis etiam temporibus habuisse verisimile est, cùm Smyrnæorum urbs inter Ionicas ex Strabone, auctoribus Ephesiis assumpta sit; nam unà olim habitarunt. Diana Venatrix etiam apud Ephesios culta est, & in nummis vocatur etiam ΑΡΤΕΜΙC ΕΦΕCIΩΝ, ut illa Polymamma. Serapidis cultum apud Smyrnæos nisi in eorum nummis haud observavimus. *Vide infrà in societate Milesiorum & Smyrnæorum, & nummum maximum Ant. Pii Regium.*

ΕΦΕ. CΜΥΡ. *Ephesiorum Smyrnæorum*, subaud. *Concordia.* Duæ Amazones dextras jungunt, lævâ bipennem utraque gerit. *Num. Domitiani.*

Suam Concordiam iterùm Ephesii & Smyrnæi sub Nerone, & antiquitatem urbium exhibent; si quidem utramque ab Amazonibus, nempe Epheso & Smyrnâ, conditam denotant. De Smyrnâ sic ait Strabo lib. 14. *Smyrna Amazon fuit, à quâ nomen hominibus urbique factum:* cùm priùs dixisset de Epheso lib. 12. *Aiunt urbes quasdam Amazonum esse cognomines, Ephesum, Smyrnam, Cumam*, &c. quod nummus confirmat.

ΕΦΕ. CΜΥΡ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Ephesiorum Smyrnæorum Concordia.* Diana Ephesia. *Nummus alius Domitiani.*

Diana Ephesia in hoc nummo sola scalpta est, non, ut putamus, ob sacrorum inter Ephesum & Smyrnam communionem, cùm in nullo Smyrnæorum nummo, etsi frequentes sint admodùm, sed quòd ille Ephesi percussus sit, quæ suam tutelarem exhibuit, mentione tantùm Concordiæ inter se & Smyrnam factâ: imò quando nummus ab urbis nomine concordiâ cum alia juncta incipit, eum ab illa cusum existimamus.

ΕΠΙ CΤΡ. ΟΥΕΩΝΟC ΕΦΕ. CΜΥΡ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Sub Prætore Opseone Ephesiorum Smyrnæorum Concordia.* Diana Ephesia inter duas Nemeses. *Num. Domitiani.*

Tertius prodit Ephesiorum cum Smyrnæis Concordiam denotans Domitiani Imperatoris nummus sub Prætore Opseone percussus. Diana potrò Ephesia medium ut nobiliorem occupat locum, quippe nummus apud Ephesios non modò cultus,

sed

sed quòd ii Primatum inter Ioniæ urbes sibi, seu ob civitatis splendorem vel antiquitatem, vendicaverant. *Smyrnæi*, inquit Pausanias in Achaïcis, *Nemeses quidem plures, non unam tantùm venerantur, & earum matrem Noctem perhibent.*

ΕΦΕCΙΩΝ CΜΥΡ. ΠΕΡΓΑΜ. *Ephesiorum Smyrnæorum Pergamenorum*, subaud. *Concordia*. Nemesis à dextris, Diana in medio, & Æsculapius à sinistris. *Num Domitiani.*

En celebriorum Asiæ urbium Concordia, quæ posteà inter se discordes fuere; sed postquàm omnes Primatum sub variis Augustis obtinuere, tandem in gratiam secum rediere: porrò Ephesii se ΠΡΩΤΩΝ ΜΟΝΩΝ ΑΠΑCΩΝ in nummis appellarunt. De Dianæ Ephesi cultu sic loquitur Pausanias in Achaïc. *Amazones templi auctores neutiquam fuere. Cræsus enim homo indigena, & Ephesus (quem Caystri fluminis filium fuisse censent) templum erexerunt.* Strabo lib. 13. Adrastum Regem Troadis primum Nemesi templum posuisse narrat: Smyrnæi autem, inde cultum posteà receperunt, & urbs ad Nemeseon fanum Alexandri Magni jussu transducta est. Pausanias in Corinth. refert Archiam Aristæchnii filium, à convulsionibus membrorum in Epidauriâ sanatum, ex quâ hujus Dei religionem Pergamum traduxisse.

ΕΦΕCΙΩΝ Β. ΝΕΩΚ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ. *Ephesiorum bis Neocororum Trallianorum Concordia.* Diana Ephesia à dextris: ex adverso Jupiter sedens, dextrâ Victoriam. *Num. L. Veri.*

Ephesii suam cum Trallianis denotant societatem, utpote cum urbe, teste Strabone lib. 14. *Civibus optimè frequentatâ, ut ulla Asianarum urbium alia, opulentis.* Civitas ab Argivis & quibusdam Thracibus, à quibus ei nomen, est condita. Alii illam in Lydiâ, alii in Cariâ collocant; sed nummi pro Magistratu Scribam in Cariæ urbibus signare soliti, pro eâ certant in Lydiæ haud saltem confinio; nummi etiam Jovem ipsius urbis præcipuum fuisse numen nos edocent.

ΕΦΕCΙΩΝ ΚΑΙ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Ephesiorum & Trallianorum Concordia.* Typus idem. *Num. Commodi.*

Concordiæ Ephesiorum cum Trallianis alterum sub Commodo monimentum est hic nummus. Tralliani autem iterùm Jovem suum victoriæ signum gerentem exhibent, non ob victoriam contra Barbaros à Commodo, nec in superiore L. Veri nummo adversùs Parthos relatam; sed quòd illi Deam Victo-

riam colerent ; ejus in urbe templum memorat Dio lib. 42. *Trallibus in templo Victoriæ palma enata est, ipsaque Dea ad simulacrum Cæsaris, cui ex obliquo collocata fuerat, sese obvertit.* Jovis filiam fuisse perhibent.

ΖΕΦΥΡΙΩΤΩΝ ΕΙΡΗΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, *Zephyriotarum Irenopolitarum*, sub. *Concordia*. Hercules stans, dextrâ pateram, sinistrâ clavam inversam & spolia leonis. *Num. Treboniani Galli.*

Rara admodùm est inter provinciæ Ciliciæ urbes Concordia in nummis. Zephyrium Ciliciæ Campestris urbs Straboni & Livio, societatem cum Irenopoli ejusdem tractûs Ptolemæo, iniviſſe demonstrat hic Treboniani Galli nummus; sed hæ civitates inter se non longè aberant, Zephyrium quidem ad mare in confinio Ciliciæ Campestris versùs Asperam, Irenopolis verò mediterranea in Lacanatide ad Sarum fluvium. Hercules Zephyrii cultum indicat, in quâ urbe cusus est nummus, ut & alter Treboniani Galli nummus.

ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ ΚΑΙ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Thyatirenorum & Smyrnæorum Concordia*. Duo capita muliebria turrita. *Num. Gordiani Pii.*

Thyatira Lydiæ urbs alluitur Lyco, priùs Pelopia & Evippa apud Plinium lib. 5. cognominata, Straboni Macedonum Colonia; sed, si mihi conjicere liceat ex ejus nummis, ab Amazone Thyatirâ nomen habet. Bipennis solitum earum symbolum in ejus urbis nummis frequens id arguit: sed Genius urbis sub specie mulieris turritæ, Amazonem dextrâ sustinentis, in nummo sacri Senatûs maximo apud Patinum in Thes. pag. 97. cum eâdem epigraphe opinionem nostram confirmat, si quidem duo capita muliebria in nummo Gordiani nostri pro Geniis Thyatiræ & Smyrnæ habentur, quæ tanquam sorores repræsentantur.

ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΚΕΡΕΤΑΠΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Hierapolitarum Ceretapensium Concordia*. Hercules cum clavâ & spoliis leonis. *Num. Commodi.*

Duarum Phrygiæ urbium Concordiam exhibet hic nummus; alium suprà vidimus Hierapoleos cum Epheso societatem nos docentem. Sic illa ex Philostrato censebatur in Asiâ inter civitates quæ maximè florebant: sed Ceretapa parvi videtur fuisse apud Geographos nominis, si ab iis nulla illius fiat men-

tio; Philostorgius & Notitia Ecclesiastica hanc memorant, ut nummi, qui Herculis cultum in eâ denotant: ideò legendum in hoc arbitramur ΚΕΡΕΤΑΠΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ, cùm Ceretapenses, qui nummum cuderunt, Herculem solum exhibuerint.

ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ Κ. ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Hierapolitarum & Smyrnæorum Neocororum Concordia.* Duæ urnæ, unaquæque duos habet palmæ ramos. *Num. Otaciliæ.*

Hierapolitarum cum Smyrnæis societatem nummus, & quidem in ludis seu certaminibus celebrandis, denotat. Urnæ binæ duo certamina in eâdem urbe demonstrant: ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ Smyrnæ, ΠΥΘΙΑ verò Hierapoli edebantur. An illæ duæ urbes sociæ utraque ediderint in quâlibet urbe; an verò Hierapolis Smyrnæ communibus impensis, & Smyrna Hierapolis utriusque sumptibus celebrarint? Alterum manet dubium in voce ΝΕΩΚΟΡΩΝ: si ad Hierapolitas nomenclatio spectaret, nummus exhibuisset ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ Κ. ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: si verò ad Smyrnæos attineret nummus, debuisset addere ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, quòd illi ter sub Philippo essent Neocori. Igitur Hieropolitæ se ut Smyrnæi Neocoros prædicant, fortasse ab hoc Imperatore facti, in cujus honorem Certamina celebrant, seu cùm illi non essent Neocori, Smyrnæos tantùm Neocoros nominant: eruditi Antiquarii eligant.

ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΣΥΝΝΑΔΕΩΝ, *Hierapolitarum Synnadensium*, subaud. *Concordia.* Mulier stolata & turrita stans, dextrâ spicas. *Num. Elagabali.*

Hierapolitani altero fœderis vinculo cum aliis ejusdem Phrygiæ populis, nempe Synnadensibus, conjuncti, in hoc nummo perhibentur. Stephanus urbis nominis etymum refert ἀπὸ τῆς συναγωγῆς ἢ συνοικήσεως ΣΥΝΑΙΑ προσαγορευθῶν, *à congregatione & cohabitatione* ΣΥΝΑΕΑ, *deinde corrupto nomine* ΣΥΝΝΑΔΑ, in rei forsan memoriam. Conventus provinciæ fuit, de quo posteriore Plinius lib. 5. *Alter Conventus à Synnadâ accepit nomen*, deinde Salutaris Phrygiæ Metropolis fuit, sub quâ erat Hierapolis, & ad cujus Conventum tunc conveniebat. Mulier turrita cum spicis, Genius est Hierapoleos, qui frumenti abundantiam in agris suis ad Synnadæ fœderatæ usum denotat.

ΙΕΡΟΚΑΙCΑΡΕΩΝ ΚΟΜΑΝΕΩΝ, *Hierocæſarenſium Comanenſium*, ſubaud. *Concordia*. Templum octo columnarum, in quo Victoria ſtans, dextrâ coronam, ſiniſtrâ palmam. *Num. Sept. Severi.*

En Lydiæ urbis Hierocæſareæ cum Comanâ Piſidiæ civitate ſocietas. Hierocæſarenſes apud Tacitum, delubrum Dianæ memorant antiquiſſimum, quod Pauſanias refert fuiſſe ampliſſimum; ſed noſtrum in nummo Victoriæ dicatum eſt, quippe quæ illa cippo inſideat, cujus templum etiam Trallibus in alterâ Lydiæ urbe ſuprà obſervavimus, quod in illis regionibus hujus Deæ cultum fuiſſe familiarem denotat, ſi quidem ſacrorum cum Comanâ Piſidiæ communionem indicare videtur templum in hoc nummo.

ΤΙ. ΒΑΣΣΙΛΑΟΥ ΕΦ. ΑΙΤΗΣΑΜΕΝΟΥ ΟΥΟΛΟΣΕΝΝΑ ΑΝΘΥΠΑΤΩ ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΑΝΚΥΡΑΝΩΝ, *Tito Baſſilao Ephoro poſtulante Voloſennæ Proconſuli* poſuit *Julienſium Ancyranorum* Concordia. Jupiter nudus ſtans, dextrâ anchoram, ſiniſtrâ haſtam. *Num. Neronis & Poppææ.*

Multa exponit hic nummus inquirenda. Ancyra & Julis duæ erant Phrygiæ civitates, quarum exhibet ſocietatem. Ancyram Phrygiæ à Mida Gordii filio conditam, eique nomen ob anchoram ab illo inventam refert Pauſanias in Attic. Julienſes Phrygiæ adſcribuntur à Plinio lib. 5. Jovis hæc ſtatua anchoram tenentis, quòd in ejus templo aſſervaretur communibus fœderatarum urbium impenſis, Tito Baſſilao Ephori Magiſtratum tunc obtinente & poſtulante, conſecrata videtur ſub Proconſule Aſiæ Voloſennâ huic dedicationi præſente: ſed ex quâ gente, & quo anno Conſul ille fuerit, ejus haud frequens nobis obtegit cognomen, forſan ei datum, quòd ex Volonibus olim civitate donatis & Sennâ Umbriæ urbe oriundus, unde Voloſenna appellatus.

ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, *Cilbianorum Pergamenorum*, ſubauditur *Concordia*. Imperator paludatus coronatur à muliere tunicatâ. *Num. Commodi.*

Cilbiani in Ioniâ fuere gemini, unde alii in nummo Auguſti ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ ΤΩΝ ΚΑΤΩ, Cilbiani inferiores, alii verò in nummo Juliæ Domnæ dicuntur ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ ΤΩΝ ΑΝΩ, Cilbiani ſuperiores; qui autem ex iis ſocietatem cum Pergamenis iniere ad ſtatuam Commodo communibus impenſis dedicandam, Cilbiani

nummum cudisse videntur, cùm eorum nomen præponatur, & urbis Genius coronam Imperatori Commodo imponat. *Vide infrà in voce* ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ.

ΚΛΑΥΔΙΟ. CΕΛΕΥΚΕΩΝ, *Claudiopolitarum Seleucensium*, subauditur *Concordia*. Deus Lunus in equo. *Num. Gordiani Pii.*

Claudiopolitani nostri sunt in Isauriâ, qui cum Seleucensibus Ciliciæ Asperæ ad Calycadnum sitis societatem contraxerunt. De eorum urbibus hoc refert Ammianus lib. 14. *Et hanc quidem* (de Isauriâ loquens) *præter oppida multa, duæ civitates exornant, Seleucia opus Seleuci Regis, & Claudiopolis.* Deus Lunus apud fœderatas urbes communem indicat cultum: nam ipse eques in altero Gordiani Pii nummo Seleucensium ad Calycadnum exhibetur, ut suo loco videre est.

ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Colophoniorum Pergamenorum Neocororum*, subaud. *Concordia*. Apollo stans cum lyrâ à dextris: Æsculapius cum baculo à sinistris. *Num. cum capitibus Caracallæ & Getæ adversis.*

Colophon, una ex duodecim Ioniæ urbibus, ab Andræmone Pylio condita, apud Strabonem lib. 14. fœdere cum Pergamo Æolicâ urbe illustri conjuncta perhibetur. Utraque præcipua sua numina exhibet. Colophon, apud quam nummus est percussus, primum occupat locum nomenclatione, & Apollinem à dextris signat, quem summo honore colebat, ob Apollonii Clarii lucum sibi proximum antequàm fuisset condita, in quo oraculum erat antiquitùs, ut ipse Strabo refert. Pergamus suum Æsculapium toties decantatum repræsentat. Vox ΝΕΩΚΟΡΩΝ ad solos Pergamenos spectare videtur, cùm Colophonii in suis nummis nullam Neocoriam antè & deinceps scripserint.

ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΕΦΕCΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Cyzicenorum Ephesiorum Concordia.* Diana Ephesia: ex adverso Ceres stans, utrâque tædam. *Num. M. Aurelii*, & alius similis *L. Veri.*

Jam prodiit Ephesiorum cum Cyzicenis societas sub Antonino Pio; sed hic nummus Cyzici cusus. Cyziceni, ideò primi nominantur: porrò nobiliorem in eo locum Dianæ Ephesiæ concedunt, vel ob splendorem Ephesi urbis, vel quòd Dianæ Ephesiæ cultum ipsi recepissent, ut quidam Cyziceni nummi testantur. In Ant. Pio modò Jovem, modò Herculem, & in his signant Cererem matrem Proserpinæ, cui in dotem à Jove ur-

bem fuisse datam narrat Appianus.

ΚΩΙΩΝ ΜΕΙΛΗCΙΩΝ, *Coiorum Milesiorum*, subaud. *Concordia*. Æsculapius cum baculo, & Apollo nudus, stantes. *Num. Ant. Pii.*

Cos, urbs & insula maris Ægæi, ipsa, teste Strabone lib. 14. magna non erat, sed optimè condita, & appellentibus conspectu jucundissima, cum Mileto Ioniæ fœdus iniisse videtur, quòd ambæ terræ motu quassatæ, ab eodem Imperatore restitutæ fuerint. Utraque urbs suorum numinum imaginibus adumbratur; Cos quidem Æsculapium, cujus erat in suburbio ædes admodùm celebris, & multis donariis plena; Miletus suum Apollinem Didymæum, oraculo insignem, Branchoidis, cujus templum combussit Xerxes.

ΛΑΚΕΔΑΙΜΩΝ CΑΓΑΛΑCCΟC, *Lacedæmon Sagalassus*, subaud. *Concordia*. Vir paludatus & galeatus, dextrâ globum, sinistrâ hastam, coronatur à muliere lævâ cornucopiæ gerente. *Num. M. Aurelii.*

Lacedæmonis olim Spartæ, Peloponnesi urbis, concordia cum Sagalasso Pisidiæ civitate indicatur hoc nummo, ut in aliis, ΑΜΙCΟC ΑΜΑCΤΡΟΙC, ΕΦΕCΟC ΚΤΖΙΚΟC, & CΜΥΡΝΑ ΚΤΖΙΚΟC. Non mirum si Lacedæmon urbs celeberrima cum Sagalasso Pisidiæ, *& hæc non parva urbs erat*, teste Arriano lib. 1. societatem inierit; si quidem Lacedæmonii Selgen ejusdem Pisidiæ urbem proximam condiderint, apud Strabonem. Igitur mater cum filiâ fœdus renovat; ideò hæc Lacedæmonem tanquam patrem communem exhibet, quem laureâ ut summum ducem coronat. Lacedæmon ille Semeles filius, Moysis tempore illam condidisse refertur à Comestore in cap. 10. Exod. Lacedæmonii originem ab Judæis & Abrahamo ducere gloriabantur, ut testatur Arei eorum Regis ad Oniam Judæorum Pontificem Epistola, apud Joseph. lib. 12. & Diodor. Eclog. ex lib. 40.

ΛΑΚΕΔΑΙ. ΟΜΟ. CΜΥΡ. *Lacedæmoniorum Concordia Smyrnæorum.* Vir paludatus & galeatus lævâ clypeum & hastam gerens, dextram porrigit Cybeli turritæ sedenti, sinistrâ Amazonis clypeo innixâ. *Num. Commodi.*

Ut Ephesi Ioniæ cum Athenis Atticæ civitate concordiam suprà observavimus, nunc Lacedæmonis Peloponnesi cum Smyrnâ alterâ Ioniæ civitate societatem proferimus. Lacedæmon suum iterùm conditorem seu restauratorem exhibet, ut in

superiori nummo, galeatum, dextram Cybeli Smyrnæ tutelari Deæ in fœderis vinculum porrigentem, cujus templi meminere Strabo lib. 14. & Plinius lib. 16. *Vide in voce* ΣΕΛΓΕΩΝ *eorum cum Lacedæmoniis concordiam.*

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Laodicensium Ephesiorum Concordia.* Jupiter Philalethes stans, ex adverso Diana Ephesia. *Num. Commodi, Elagabali & Otaciliæ.*

Ephesiorum in L. Veri nummo cum Laodicensibus concordiam suprà retulimus, quia illi eum cuderant, nunc nummos suos in ejusdem fœderis societatem Laodicenses ipsi signari curavere. Fuit quidem Laodicea ex urbibus Phrygiæ celeberrima, quæ nobilissimas tot urbes secum fœderatas habuit. Jovem suum in omnibus exhibet, ideò Diospolis vocabatur, antequàm à Seleuco fuisset restaurata, qui eam de matris nomine Laodiceam appellavit.

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΚΑΙ ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Laodicensium & Nicomediensium Concordia.* Jupiter dextrâ aquilam, sinistrâ hastam: & Ceres dextrâ spicas, sin. tædam, arâ intermediâ. *Num. Commodi.*

Laodiceni suam etiam cum Nicomediensibus Bithyniæ societatem in hoc nummo declarant, suo Jove Philalethe à dextris, & Cerere tutelari Nicomediensium Deâ ex adverso percussis. De Jove suprà dictum est. Cereris oppidum vocat Nicomediam Libanius in Vitâ suâ. Illius templi quatuor columnis suffulti iconem nobis exhibet alter Commodi nummus in hac urbe percussus. Ara autem inter hæc numina apposita, in Jovis & Cereris templis pro Imperatoris salute communibus fœderatarum urbium impensis sacra facta fuisse denotat.

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Laodicensium Pergamenorum Concordia.* Jupiter dextrâ aquilam: à sinistris Æsculapius cum baculo, stantes. *Num. M. Aurelii, & alter Faustinæ ejus uxoris.*

Iterùm prodeunt Laodiceni cum Pergamenis societate conjuncti; ambo tutelares deos exhibent; illi Jovem, qui, ut sæpè diximus, ab iis dictus est Philalethes. Quælibet autem civitas Jovem suum peculiari nomine designabat, ita ut Tertullianus trecentos Joves fuisse referat. Lylius Gerardus ducentos & triginta dinumerat, inter quos noster haud scribitur. Pergameni suum Æsculapium, nempe urbis symbolum, exhibent. Pergamus urbis conditor, ejus cultum ex Græciâ attulit.

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Laodicensium Smyrnæorum Concordia.* Jupiter stans inter duas Nemeses. *Num. M. Aurelii.*

Cum nobilioribus Asiæ civitatibus Laodicenos societatem eodem tempore habuisse testes sunt tot eorum nummi superstites: Smyrna enim cum Epheso de Primatu contendit. Laodiceni suum semper Jovem signari curarunt, Smyrnæi diversa ipsi numina, utpote tutelaria. In hoc nummo adsunt duæ Nemeses; nam ex Pausania lib. 7. *non unam tantùm venerabantur Smyrnæi, & earum matrem Noctem perhibent.* An quòd Rhamnusia & Adrastia eadem vocaretur, ideò duas fecerint?

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ, *Laodicensium Concordia Trallianorum.* Diana Ephesia cum adminiculis: ex adverso Jupiter sedens, dextrâ victoriam, sinistrâ hastam. *Num. Philippi Sen.*

Diana Ephesia in Laodicenorum nummis cultum suum ab Ephesiis sacrorum inter eos communione admissum denotat: illam forsan cudi curaverunt Tralliani ob alteram inter Ephesios concordiam, quam suprà retulimus cum eodem typo; nam haud dubiè Jupiter ille sedens, dextrâ victoriam gerens, ad Trallianos pertinet, ut eo loco videre est. Jupiter autem Laodicenorum Philalethes semper stans depingitur.

CEBACTOC MAKEΔONΩN KAI ΛAOΔIKEΩN NEΩKOP. *Augustus Macedonum & Laodicensium Neocororum.* Quatuor pueruli quatuor anni tempora designantes ante templum sex columnarum, in quo figura sedens, à dextris arbor. *Num. Alex. Severi.*

Infrequens est communis provinciæ cum aliâ civitate societas, nisi dicamus eo nomine cum omnibus totius provinciæ urbibus illam intelligi: ideò Laodiceni Phrygiæ in Macedonum gratiam solitum Imperatoris latum ab iis elogium CEBACTOC MAKEΔONΩN cudi curaverunt. Pueri felicia sub Imperatore tempora denotant, ut in nummo Caracallæ à Laodicenis cuso, EYTYXEIC KAIPOI, qui eos fecerat Neocoros, etiam observatur. Templum videtur esse Cybeles, seu quòd dicta sit Dea Phrygia, seu quòd Laodicea Phrygiæ in plurimis suis nummis eam exhibuerit. Arbor templo proxima, malum est punicum ob Atym Cybeli carum, de quo vide Arnob. lib. 5.

MIΛHCIΩN EΦECIΩN, *Milesiorum Ephesiorum*, subaud. *Concordia:* Apollo nudus stans cum lyrâ: ex adverso Diana Ephesia. *Num. Domitiani, Faustinæ Jun. & L. Veri.*

Miletus

Miletus Ioniæ urbs, cum Epheſo pariter Ioniæ civitate in his nummis ſocietatem iterùm indicat, quum priùs Epheſi cum Mileto concordiam ſub M. Aurelio retulerimus, quam Domitiani tempore vel ſancitam vel renovatam declarat hic nummus. Has etiam urbes copulat Strabo lib. 14. *Miletum dico & Epheſum: hæ enim urbes ſunt optimæ & nobiliſſimæ.* In nummis ab Epheſiis cuſis, eorum Diana dextrum occupat latus; in iis verò quos percuſſerunt Mileſii, Apollo Didymæus primum locum obtinet.

ΜΙΛΗCΙΩΝ ΚΩΙΩΝ, *Mileſiorum Coiorum*, ſubaud. *Concordia*. Apollo nudus & Æſculapius ſtantes. *Num. Gordiani Pii.*

Coiorum cum Mileſiis concordiam ſub Antonino Pio in ejus nummo exhibuimus, ob eorum urbes terræmotu quaſſatas, & ab illo Imperatore reſtauratas, fortaſſe pactam. De iis audi Pauſaniam. *Præterea cùm Lyciorum & eorum urbes, Coon etiam & Rhodon terræ vehemens motus evertiſſet, eas Antoninus propè ſumptibus & ſummâ in coloniis deducendis diligentiâ reſtituit.* Apollo hic à dextris eſt, quia Miletus nummum percuſſit; in ſuperiore verò Æſculapius, quòd Coi nummum cuderant.

ΜΕΙΛΗCΙΩΝ CΜΥΡΝΑΙΩΝ, *Mileſiorum Smyrnæorum*, ſubaud. *Concordia*. Apollo nudus, ei adſtant Nemeſes ſeſe reſpicientes. *Num. Antonini Pii.*

Miletus Ioniæ urbs nobiliſſima, cum alterâ etiam urbe Ioniæ ſplendidiſſimâ, nempe Smyrnâ, ſocietatem iniiſſe aut renovaſſe per nummos denotat. Mileſii apud Pauſaniam lib. 7. ſuam à Mileto Cretenſi originem commemorant, tum Cares eam Aſiæ partem incolebant, & ab iis Cretenſes in domicilii ſocietatem recepti. De Smyrnâ dicturi ſumus in ejus ſocietatibus, ut ſuprà de duarum Nemeſium apud eam cultu ex eodem Pauſania retulimus.

ΜΕΙΛΗCΙΩΝ CΜΥΡΝΑΙΩΝ, *Mileſiorum Smyrnæorum*, ſubaud. *Concordia*. Jupiter & Serapis ſtantes dextras jungunt. *Num. Ant. Pii.*

Non ſolita in hoc nummo exhibentur Mileti & Smyrnæ urbium numina. De Jovis cultu apud Mileſios in Scriptoribus altum eſt ſilentium, ſed nova quotidie nos edocent nummi, ut alter Neronis jam Serapin à Smyrnæis ſignatum fuiſſe nobis eſt teſtis. Mileſii autem ita potentes olim fuere, ut nulla civitas frequentiores eâ Colonias emiſerit. Plinius lib. 5. *Miletus*

Ioniæ caput supra 70. *urbium per cunctas maria genitrix.* Seneca Consol. ad Helviam: *Miletus* 75. *urbium populum in diversa effudit.*

ΝΙΚΑΙΕΩΝ ΑΔΡΙΑΝΩΝ, *Nicæensium Hadrianorum*, subaud. *Concordia.* Æsculapius & Hygia stantes cum attributis. *Num. Tranquillinæ.*

Nicæa & Hadriani, Bithyniæ provinciæ urbes suam in hoc nummo societatem demonstrant. Illa à Lysimacho de Nicæâ uxore, Antipatri filiâ, sic denominata est, teste Strabone lib. 12. Hæc ab Hadriano Imperatore, postquàm Bithyniam provinciam accepisset, appellata, de quâ Suidas: Ἀδριανοί, πόλις Μυσίας, τῆς νῦν Βιθυνίας, *Hadriani, urbs Mysiæ, nunc Bithyniæ.* Æsculapius cum Hygiâ sacrorum in urbibus communionem denotat, si quidem Æsculapium Nicæenses in nummis ΤΟΝ ϹΩΤΗΡΑ appellant, & Hygia ΘΕΑ ΥΓΕΙΑ vocitatur. Hadriani verò urbs in nummis ejusdem Tranquillinæ eadem Æsculapium & Hygiam numina exhibet.

ΝΙΚΑΙΕΩΝ ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ. *Nicæensium Byzantiorum Concordia.* Duæ Pelamides. *Num. Trebonian. Galli.*

Nicæensium alteram cum Byzantiis Thraciæ societatem exhibet nummus. Porrò Byzantii illum cuderunt ex piscibus in eo signatis, quorum copiam in ejus cornu denotat, præsertim Pelamidum, de quibus Strabo lib. 7. *Est autem in cornu Byzantio sinus qui in alios findituv, in quos incidens Pelamis facilè capitur, & Byzantiis & Populo Romano reditum memorabilem præbet.* In nummo Gallieni, inter Pelamides Delphin adjicitur ob eorum etiam in cornu Byzantio copiam.

ΝΙΚΑΙΕΩΝ ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Nicæensium Byzantiorum Concordia.* Arula ignita inter duas lampades. *Num. Treboniani Galli & Gallieni.*

Jam prodiit similis typus in altero Byzantiorum cum Nicæensibus fœderatorum nummo, quem ad Dianæ Luciferæ apud Byzantios cultæ honorem retulimus. Illi per lampades à Deâ obsidione liberati, quotannis diem festum celebrabant, quo lampades accendebantur, & sacra celebrabantur, ad quæ Nicæenses admissi erant tanquam fœderati; ideò honoris causâ primi nominantur.

ΝΙΚΑΙΕΩΝ ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ, *Nicæensium Cilbianorum*, subaud. *Concordia.*

Fluvius decumbens, dextrâ arundinem. *Num. Hadriani.*

Nicæa urbs multiplex apud Stephanum, sed nummi nostram collocant ΕΝ ΚΙΑΒΙΑΝΩ, *in Cilbiano*, scilicet agro, quem Plinius lib. 5. versùs Ephesum laudat, & Caystrum amnem: hic videtur in nummo signatus; sed an Nicæenses illi distincti sint à Cilbianis, & concordiam inter se habeant, Eruditi dijudicent. Porrò id innuere videtur sequens Juliæ Domnæ nummus, in quo ΝΕΙΚΑΕΩΝ ΠΕΡΓ. ΚΙΑΒΙΑ. *Nicæensium Pergamenorum Cilbianorum*, sub. *Concordiæ*. Cilbianorum societatem cum Pergamenis suprà vidimus, quidni Cilbianorum concordiam cum Nicæensibus proximis non indicarent tot nummi?

ΝΕΙΚΑΕΩΝ ΚΙΑΒΙΑΝΩΝ, *Nicæensium Cilbianorum*, subaud. *Concordia*. Fortuna stans cum attributis. *Num. Getæ.*

Nicæenses cum Cilbianis pro sacrorum communione conjuncti videntur: in superiori enim nummo simulacrum Fluvii, nempe Caystri, illum numinis vice cultum ab ambobus populis, quòd eorum urbes alluebat, indicat: sed cùm Cilbianum urbs gemina sit, inferior scilicet & superior, ΚΙΑΒΙΑΝΩΝ ΑΝΩ, & ΚΙΑΒΙΑΝΩΝ ΚΑΤΩ, ad inferiorem spectare videtur nummus, in cujus agris Cayster defluit. Fortunæ signum, utramque civitatem illam deam venerari denotat.

ΝΕΙΚΑΕΩΝ ΠΕΡΓ. ΚΙΑΒΙΑ. *Nicæensium Pergamenorum Cilbianorum*, subaud. *Concordia*. Cayster amnis decumbens, dextrâ arundinem, sinistrâ urnæ impositâ. *Num. Juliæ Domnæ.*

Tres videntur sejuncti hi populi, Nicæenses Phrygiæ, Pergameni Æolidis, Cilbiani in Lydiæ confiniis, fœdere scilicet conjuncti. Cilbianorum cum Pergamenis concordiam suprà vidimus, deinde eorumdem Cilbianorum cum Nicæensibus. Hic verò nummus trium istorum simul societatem exhibet, quem Nicæenses cudi curaverunt cum solito fluvii Caystri symbolo: alterum cum iisdem urbibus à Pergamenis fœderatis signatum cum ejus urbis numinibus infrà proferemus.

ΝΕΙΚΟ. ΜΗΤΡ. ΑΜΑΣΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Nicomediensium Metropoleos Amasensium Concordia*. Amazon succincta & turrita dextram porrigit mulieri stolatæ & turritæ, sinistrâ temonem inversum supra humerum. *Num. Commodi.*

Nicomediæ Bithyniæ Metropolis, cum Amasiâ Ponti primariâ urbe societas hoc nummo indicatur: at cùm Pontus ejusdem

esset provinciæ cum Bithyniâ, Nicomedia se Metropolim tantùm nominat, licèt Amasia fuisset in Ponto Metropolis ab Hadriano facta, cùm Provinciam pro Pamphyliâ à Populo accepit, ut in Plotinæ nummo vidimus, & Hadrianæ nomen quod assumpsit, illud confirmat. Nicomedia per urbis Genium muliebri habitu turritum, solitum provinciæ symbolum, repræsentatur, ut indicant Hadriani nummi cum inscriptionibus, ADVENTVI BITHYNIAE, & RESTITVTORI BITHYNIAE, in quibus similis mulier turrita cum temone inverso exhibetur. Amazon pro Fundatrice urbis Amasiæ, à quâ nomen accepit, ut in illis tractibus Amisus & Amastris, repræsentatur, ad antiquitatem suam denotandam.

NEIKOMHΔEIA BOYAH ΔHMOC OMONOIA, *Nicomedia Senatus Populus Concordia.* Mulier turrita & stolata dextram porrigit homini barbato, sinistrâ hastam transversam. *Num. Ae. Aurelii.*

Cum plurimis urbibus societatem iniisse Nicomediam testantur superstites earum nummi, sed ipsa paucos fœdera sua cum illis denotantes percussit, contenta suam cum civibus suis, id est Senatu & Populo, concordiam indicare. Homo ille barbatus, Senatûs Genius est, qui barbâ insignis exhibetur, tanquam ex senioribus compositus, hastam gerit ad urbis defensionem. Sunt & aliæ urbes, quæ solam urbis etiam concordiam designant.

ΠEPΓAMHNΩN EΦE. *Pergamenorum Ephesiorum*, subaud. *Concordia.* Jupiter stans dextram porrigit Dianæ Ephesiæ, post quam cervus, ille sinistrâ hastam tenet. *Num. Domitiani.*

Pergamus, una ex celeberrimis Asiæ urbibus, de Primatu provinciæ posteà contendens, cùm Epheso Asiæ primariâ societatem hoc nummo denotat. Suum Jovem, quem modò in nummis ZEYC ΠEPΓAMHNOC, modò ZEYC ΦIΛIOC appellat, à dextris exhibet. Suprà autem omnes civitates Jovem ut numen præcipuum venerari, sed peculiari nomine ab aliis distinctum, diximus. Hic Jupiter ΦIΛIOC, id est *Amans veritatis*, nominatur, quem COTHPA urbs aliquando vocat. Pro Epheso Diana à sinistris repræsentatur Venatricis habitu, & non Polymammæ formâ: nam utroque modo illa in hac urbe exhibetur apud Pausaniam.

EΠI CT. Π. AIΠIOY KOINON OMONOIA ΠEPΓAMHNΩN KAI EΦECIΩN, *Sub*

Prætore Publio Ælio Commune Concordia Pergamenorum & Ephesiorum. Jupiter togatus, ad pedes aquila, dextrâ sustinet Æsculapii signum, (*in nummo Nob. Morosini* Hercules pro Jove exhibetur) ex adverso Commodus nudus dextrâ Dianæ Ephesiæ signum, sinistrâ hastam, arâ inter eos mediâ. *Nummus Regius Commodi.*

Pergamenos cum Ephesiis de Primatu Asiæ nondum disceptasse demonstrat nummus, cùm Deos & Imperatorem ut alterum numen adducunt de concordiâ testes. Jupiter ille est ΦΙΛΙΟΣ, Pergami summus Deus, qui tutelaris Æsculapii signum tenet, à sinistris Commodus ut Jovis filius exhibetur: Hercules dici volebat; sustinetque Dianæ Ephesiæ simulacrum, quibus Pergameni & Ephesii pro fœdere sanciendo sacra fecerant, ut ara inter Jovem & Commodum denotat. Nummus autem sub P. Ælio percussus est, qui tunc Pergami Præturam administrabat.

ΕΠΙ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ ΚΟΥΙΝΤΙΛΙΑΝΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΩΝ, *Sub Prætore Quintiliano Pergamenorum & Ephesiorum*, subaud. *Concordia.* Jupiter dextrâ Æsculapii signum, sinistrâ pateram: ex adverso Diana Ephesia cum verubus & cervis. *Num. Commodi.*

Sub altero Prætore Pergamus cum Epheso societatem iniisse hoc nummo denotat. Jovem *Amicum*, Æsculapii pariter signum sustinentem tanquam peculiare urbis symbolum ut suprà exhibet: Ephesus verò Dianam Polymammam, præcipuam & tutelarem civitatis suæ Deam repræsentat tanquam fœderis sui testes, de quibus passim diximus.

Eadem ferè epigraphe. Jupiter sedens in curru à duobus Centauris tracto, qui sinistrâ Dianæ Ephesiæ signum gerit. *Num. Commodi.*

Quid sibi velit ille typus insolens, explicare haud facilè videtur tandem Elagabali nummus, Pergami Certamina Olympia & Actia celebrari nos edocens. Illa igitur per Jovem, cui dicata erant, indicari; Actia verò per Centauros, qui Apollini in antiquis nummis & monumentis adscribuntur, denotari suspicamur, quibus celebrandis Ephesii pro fœderis societate impensas communes per Dianæ simulacrum, quod dextrâ gerit Jupiter, suppeditare videtur.

ΠΕΡ. ΝΕΙΚΑΕΩΝ ΚΙΑΒΙΑΝΩΝ, *Pergamenorum Nicæensium Cilbiano-*

rum, ſubaud. *Concordia*. Mulier ſtans, dextrâ ſpicas, ſiniſtrâ columnæ innixâ. *Num. Domitiani cum Domitiâ ejus uxore.*

Jam de trium harum urbium ſocietate in voce ΝΙΚΑΕΩΝ ſuprà diximus, ubi illa prima in nummo exhibetur, utpote quæ nummum cudi curavit, in quo Cayſter amnis illam alluere depingitur. Hic antiquiorem earum concordiam, nempe ſub Domitiano, nos edocet; & quidem ad frumenti inter ſe communicationem, mulier urbium Genius ſpicas dextrâ gerens, id indicare videtur: ſiniſtra ejus columnæ innixa, fœderis concordiam inter eas firmam & ſolidam denotat, quam ſub Caracallâ adhuc permanentem infrà obſervabimus.

Eadem epigraphe. Hygia paſcit ſerpentem: ex adverſo Æſculapius cum baculo & ſerpente. *Num. Hadriani.*

Pergameni ſua præcipua numina, cùm nummum percuſſerint, in eo exhibent, forſan ſacrorum illorum cum aliis urbibus fœderatis communionem. De Æſculapio Pergami tutelari deo ſæpè diximus; Hygia, ejus eſt filia. Plinius lib. 35. Æſculapio quatuor filias aſſignat, Ariſtophanem fortè ſecutus; Hippocrates verò in Juramento duas tantùm commemorat, nempe Salutem & alteram: illa Pergami, ut Coronis ejus mater, culta eſſe videtur.

ΠΕΡΓΑΜ. ΝΕΙΚΑΕΩΝ ΚΙΑΒΙΑΝ. *Pergamenorum Nicæenſium Cilbianorum*, ſubaud. *Concordia*. Diana Polymamma cum cervis. *Num. Caracallæ.*

Diana illa Epheſia à Nicæenſibus aut Cilbianis videtur percuſſa. Illius cultus in plurimas Aſiæ Minoris urbes ab Epheſo, ſeu propter ſacrorum communionem, ſeu propter deæ claritatem, tranſmiſſus eſt: plurimi illarum nummi, in quibus deæ effigies depicta eſt, teſtes ejus rei ſunt locupletes, quos in Indice obſervare eſt.

ΠΕΡΓ. ΝΕΙΚΑΕΩΝ ΕΝ ΚΙΑΒΙΑΝΩ, *Pergamenorum Nicæenſium in Cilbiano*, ſubaud. *Concordia*. Imperator paludatus ſtans coronatur à Victoriâ palmam gerente. *Num. Caracallæ.*

Pergameni ſuam tantùm cum Nicæenſibus in hoc nummo ſocietatem demonſtrant; & ad differentiam Nicææ quæ in Bithyniâ eſt, addunt ΕΝ ΚΙΑΒΙΑΝΩ, ſcilicet agro. Ne quis putet hos Nicæenſes vocari Cilbianos, ſed ita diſtinguuntur. Quando de Nicæenſibus illis ſolis agitur, nummi habent ΕΝ ΚΙΑΒΙΑΝΩ;

at cùm illos exhibent cum Cilbianis proximis fœderatos, adhibere solent ΝΕΙΚΑΕΩΝ ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ, cùm duæ sint tunc urbes. Statua est Imperatoris communibus Pergami & Nicææ impensis publicè erecta, seu Pergami, seu forsan eadem in duabus illis urbibus posita.

ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ, *Pergamenorum & Nicomedensium*, subaud. *Concordia*. Æsculapius & Ceres stant; hæc dextrâ spicas, lævâ facem; ille cum baculo cui serpens. *Num. Gord. Pii.*

Asiæ civitatis cum Bithyniæ urbe societatem declarat nummus; illa quidem ut celebris provinciæ civitas, hæc ut suæ Metropolis fœdus jungunt, aut potiùs renovant. Testes sunt eorum præcipua quæ exponunt numina, Æsculapius Pergami, & Ceres Nicomediæ, ille urbis perpetuum symbolum, hæc civitatis suæ tutelaris Dea.

ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ, *Pergamenorum & Sardianorum*, sub. *Concordia*. Figura paludata senem togatum coronat, ΔΗΜΟΦΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ, *Demophon* Prætor *Augustum* colit. Statua Augusti paludati in templo quatuor columnarum. *Num. Augusti.*

Pergamus suam cum Sardibus in nummo societatem demonstrat, in quo templi à civibus suis in Augusti honorem extructi iconem exhibet, cujus meminit Tacitus Annal. 4. *Pergamenos (eo ipso nitebantur) æde Augusto ibi sitâ, satis adeptos creditum.* Pergameni Augusti cultum Sardianis per hoc fœdus communicasse videntur, ut nunc clariùs sequens nummus demonstrabit. Figura paludata, Augustus est, qui Senatûs Pergamensis Genium coronat; Demophon verò, urbis est Prætor, sub cujus magistratu cusus est nummus, qui se Augustum tanquam Deum colere profitetur.

ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ, *Pergamenorum & Sardianorum*, sub. *Concordia*. Æsculapius figuræ togatæ coronam imponens. ΚΕΦΑΛΙΩΝ ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ, *Cephalion Scribam agens Augustum*, subaud. *colit*. Templum duarum columnarum, in quo statua Augusti paludati. *Num. Augusti.*

En alter fœderis Pergamenorum cum Sardianis, ut & Augusti cultûs communionis testis. In superiori nummo templi hujus Imperatoris Pergami cum quatuor columnis icon repræsentatur, in hoc ejusdem Principis templi cum duabus columnis Sardibus constructi conspectus exhibetur : in priore num-

mo Augustus Senatûs Pergamensis Genium coronat, in hoc Æsculapius tutelaris Pergami Deus, coronam Senatûs Sardiani Genio imponit. Cephalion Sardium Scriba est, sub cujus magistratu cusus est nummus, ut Pergami Prætor urbem administrat, qui se Augustum pariter tanquam Deum venerari profitetur. *Vide utrumque nummum apud Patinum delineatum pag. 53.*

ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Pergamenorum Smyrnæorum Concordia.* Æsculapius stans, & Roma sedens. *Num. Caracallæ.*

Pergamenos cum Smyrnæis, post acerrimam de Primatu contentionem, ut nos docet Aristides Orat. de Concord. in gratiam rediisse declarat nummus: ambo enim fœdere inter se pacto Primos se appellarunt. Pergameni Æsculapium perpetuum urbis symbolum, uti passim diximus, signavere. Smyrnæi quidem hunc Deum colebant, eique templum erexerunt, uti idem Aristides refert loco laudato: sed hi Romæ signum exhibent, cui templum dicaverant, ut narrat Tacitus Ann. 4. *Seque primos templum urbis Romæ statuisse, M. Porcio Consule.* In quo illius sedentis simulacrum fuisse frequentes Smyrnæorum nummi demonstrant.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Perinthiorum bis Neocororum & Ephesiorum Concordia.* Diana Ephesia cum adminiculis & cervis: ex adverso mulier stolata stans, sacra facit super aram, sinistrâ cornucopiæ. *Num. Gordiani Pii.*

Perinthum Thraciæ urbem fuisse celebrem, & Neocoriam secundam sub Elagabalo accepisse diximus: num illa suam cum Epheso Ioniæ primariâ civitate denotat, cui honoris causâ locum nobiliorem cedit; ideò à dextris Diana Polymamma perpetuum urbis symbolum signatur. Perinthii urbis suæ Genium sacra facientem in æternum fœderis vinculum exhibent, qui sinistrâ cornucopiæ gerit, ad demonstrandam in agris suis rerum omnium abundantiam.

ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΕΦΕΣΙΩΝ Β. ΝΕΩ. ΟΜΟΝ. *Sardianorum Ephesiorum bis Neocororum Concordia.* Juno, sed potiùs Proserpina, habitu ornatissimo: ex adverso Diana Polymamma. *Num. Commodi.*

Jam prodiit Ephesiorum cum Sardianis sub M. Aurelio societas: at cùm Ephesus nummum cuderat, Dianam suam à dextris, & Proserpinam à sinistris signavit; hic verò sub Commodo

modo à Sardianis percuſſus, Proſerpinam in nobiliori loco repræſentat, & Dianam Epheſiam à ſiniſtris. Quædam civitates, ob Epheſi urbis ſplendorem, ſe ipſi ſubmittebant; ſed Sardis Aſiæ, Lydiæ & Græciæ Metropolim ſe nuncupans, Epheſo nullatenus cedebat. Proſerpinæ cultum Sardibus indicant plerique earum nummi cum illius à Plutone in quadrigis raptu cúſi.

ΜΟΥΣΑΙΟΣ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, *Muſæus Sardianorum Pergamenorum*, ſubaud. *Concordia*. Auguſtus paludatus dextram porrigit mulieri turritæ, ambo haſtam gerunt. *Num. Auguſti.*

Pergamenorum cum Sardianis ſocietatem ſuprà vidimus, nunc alter Auguſti nummus Sardianorum cum Pergamenis fœdera exhibet. Pergamus Auguſto templum erexit, teſte Tacito Annal. 4. & prior nummus nobis illius ſacrorum cum Sardianis communionem demonſtravit; hic Auguſtum cum urbis Genio dextram jungentem, idem videtur ſignificare: nam Auguſtus à Sardianis ut à Pergamenis per Genium urbis templum ſibi conſtrui, ſicut in altero nummo diximus, permittere videtur.

ΣΕΛΓΕΩΝ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Selgenſium Lacedæmoniorum Concordia*. Hercules ſuper aram extendit dextram, lævâ clavam: ex adverſo Minerva galeata ſtans, ſiniſtrâ haſtam, pro pedibus ſerpens erectus. *Num. Trajani Decii.*

Nihil mirum ſi Selge Piſidiæ urbs cum Lacedæmone Peloponneſi civitate celeberrimâ ſocietatem iniit, ſi quidem Strabo ait lib 12. *Selge urbs ab initio eſt condita à Lacedæmoniis, atque etiam antè à Calchante: deinde conſtitit ob bonam reipublicæ formam, ita ut aliquando etiam xx. virorum millia habuerit.* Mater igitur filiam poſt tot ſæcula agnoſcit, Herculem Selge pro Deo tutelari exhibet, Lacedæmon verò Minervam, quam Pauſanias Agoræam, id eſt Forenſem, lib. 3. *Non longè telluris ædes & Agoræi Jovis: Agoræa item Minervæ.*

ΣΙΔΗΤΩΝ ΠΕΡΓΑΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Sidetum Pergenſium Concordia*. Minerva galeata & ſuccincta, ſiniſtrâ haſtam, dextram verò jungit cum Dianâ capite radiato, lævâ tædam gerente, arâ intermediâ: in vertice malum punicum. *Num. Tranquillinæ.*

Side & Perga, duæ ſunt ejuſdem provinciæ Pamphyliæ urbes, ſocietatem ſancientes; illa, ſplendidiſſima & illuſtris in

nummis, hæc Ἐπιφανὴς ab Anonymo à Gothofredo edito vocata, ambæ sua numina tutelaria fœderis testes producunt, dextras jungentes ; Side Minervam, de quâ Strabo lib. 14. *Cùm Side, Cumæorum Colonia, ubi Minervæ est ædes* : Perga Dianam exhibet, de quâ idem Strabo loco laudato : *Ad Pergam venit urbem, pone quam in sublimi loco templum est Dianæ Pergææ.* Ara denotat sacra iis numinibus pro fœderis vinculo facta. Malum verò punicum in vertice, Sidetum est symbolum : Σιδὴ enim malum punicum significat.

CMYPNA KYZIKOC, *Smyrna Cyzicus*, subaud. *Concordia.* Duæ mulieres stolatæ & turritæ coronam Imperatori paludato porrigunt. *Num. Commodi.*

Smyrna, Ioniæ civitas celebertima, de quâ sæpè locuti sumus, suam in hoc nummo cum Cyzico Propontidis urbe insigni societatem declarat, & quidem ad statuam Imperatori Commodo communibus impensis erigendam ; ideò Genius utriusque urbis, sub specie mulieris turritæ, cùm utraque validis mœniis munita sit, illi coronam ob aliquam fortè victoriam ab eo, seu per suos duces relatam, porrigit.

Eadem epigraphe. In eodem nummo legitur ΕΠΙ CTP. ΝΑΙΒΙΟΥ ΚΟΥΙΝΤΟΥ, *Sub Prætore Nævio Quinti F.* Commodus stans paludatus, coronam à Jove sedente recipit.

Jupiter ille Acræus, à Smyrnæis ita nuncupatus, quòd arci præsideret, sæpè in eorum nummis ita sedens occurrit ; coronam Commodo ob aliquam victoriam, propter quam fœderati Smyrnæi cum Cyzicenis ipsi gratulantes statuam suprà erexerunt, porrigit. Solum pro Smyrnâ tantùm exhibetur in hoc nummo numen, quòd illa eum cudi curaverit, aut forsan Jovis cultus pariter apud Cyzicenos sit receptus.

ΕΠΙ ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ CMYΡ. ΑΘΗΝΑ. ΟΜΟ. *Sub Heraclide Smyrnæorum Athenienſium Concordia.* Minerva cum attributis, & Fortuna cum suis, stantes, hæc tutulata, illa galeata. *Num. Commodi.*

Smyrna cum Athenis suam denotat societatem, in cujus monimentum utriusque civitatis exhibet numina. Smyrna quidem teste Strabone lib. 12. *ab Amazonibus condita est deinde ab Æolensibus & Ionibus instaurata.* Athenæ urbs à Cecrope condita, deinde à Mopso & Ione restaurata ; ergo Smyrna ab Athenienſium Colonis novis frequentata, antiquitatem suam

novo fœdere revocare & confirmare videtur. Minerva, præcipua & tutelaris Athenarum Dea, ut mater Smyrnæ nobiliorem occupat locum. Fortuna à Smyrnæis præcipuè culta fuit, inde iconem ejus templi in nummo Alexandri Severi & Gordiani.

Eadem epigraphe. Victoria ſtans, dextrâ fulmen, ſiniſtrâ thyrſum; ex adverſo Minerva pariter ſtans, dextrâ pateram, ſiniſtrâ haſtam. *Num. Commodi.*

Ad victoriam Commodi ſpectat nummus, quam Smyrnæi ſuorum numinum ſymbolis ornatam exhibent, tanquam Jovis fulmine & Bacchi ſui thyrſo relatam. Thyrſus autem haſta aculeata, quâ Bacchus pro armis utebatur. Commodus autem apud Lampridium Pannonios, Germanos, Dacos & Mauros per Legatos vicit. Minerva Victoriæ collactanea fuiſſe videtur, nam ab Jove Pallanti Lycaonis filio Victoriæ patri nutrienda fuit tradita; illam adultam Minerva in Deorum numerum retulit, & Νίκην appellavit, id eſt *Victoriam*, ſe verò ab educatore Pallada dici voluit, ut Dionyſius primo Hiſtor. lib. ſcribit. Forſan Nemeſis Smyrnæorum alata eſt, quòd eadem cum Victoriâ ſit; nam legitur apud Theætetum: *Sum Victoria, certè nunc ego Nemeſis.*

CMYPNAΙΩΝ ΕΦΕCΙΩΝ, *Smyrnæorum Epheſiorum*, ſubaud. *Concordia.* Nemeſes ſtantes. *Num. Domitiani.*

Antiqua eſt Smyrnæorum cum Epheſiis Concordia, ſi quidem Smyrna & Epheſus duæ fuerunt Amazones, quæ nomina ſua his urbibus à ſe conditis impoſuerunt: ideò velut ſorores fuerunt, imò etiam ex Callino apud Strabonem lib. 14. *unà habitaverunt antiquitùs, ita ut Epheſus etiam Smyrnæ nomen geſſerit..... Diſceſſione deinde ab Epheſiis factâ, Smyrnæi eò profecti ſunt, ubi nunc Smyrna eſt.* Ea nummum & quidem parvulum cum ſuis tantùm Nemeſibus diis tutelaribus exhibuit.

CMYPNAIΩN ΘYATEIPHNΩN OMONOIA, *Smyrnæorum Thyatirenorum Concordia.* Amazon dextram porrigit mulieri turritæ. *Num. Gordiani.*

Smyrnæorum cum Thyatirenis Concordiam ſuprà retulimus, cùm hi nummos cuderunt, in quibus ſe Primos nuncuparunt. Smyrnæi verò qui hunc ſignarunt, in nobiliori loco ſe collocant, & fœdus jurejurando, Amazon Smyrnæ Fundatrix,

& Genius urbis Thyatiræ ſub mulieris turritæ ſpecie, dextras jungendo confirmant. Dextram ſic porrigere, Diodorus lib. 6. certiſſimam fidei apud Perſas arrham fuiſſe narrat.

CMTP. NEIKOM. ΕΠΙ CTPA. M. CEΛΛΙΟΥ, *Smyrnæorum Nicomedienſium*, ſubaud. *Concordia, ſub Prætore Marco Sellio.* Amazon humeris bipennem, dextram jungit cum muliere turritâ urbis Nicomediæ Genium repræſentante, ſiniſtrâ temonem. *Num. Commodi.*

Smyrna cum Nicomediâ ſocietatis ſuæ teſtimonium per hunc nummum exhibet. Smyrna Amazon fœdus jurejurando per dextrarum conjunctionem cum urbis Nicomediæ Genio confirmat; illa bipennem, quâ pro armis utebantur Amazones, gerit; hæc temonem, urbis maritimæ ſymbolum, tenet. De utriuſque urbis celebritate ſæpiùs dictum eſt; illa Aſiæ lumen, hæc Bithyniæ Metropolis. Marcus Sellius Prætor Smyrnæ, ſub cujus auctoritate nummus eſt percuſſus.

Eadem epigraphe. Ceres ſtat dextrâ ſubmiſsâ ſpicas, lævâ facem oblongam: ex adverſo adſunt duæ Nemeſes. *Num. ejuſdem Commodi.*

Earundem civitatum monimentum ſub eodem Imperatore prodit, ſua quæque tutelaria numina profert, Smyrna ſuas Nemeſes, de quibus Pauſanias ait: *Smyrnæi eas Noctis filias eſſe perhibent.* Alii unam tantùm nominant, ſed eandem diverſis de cauſis appellatam Rhamnuſiam & Adraſtiam; huic rotam attribuit Claudianus, quam una ex noſtris pro pedibus habet, inde à quibuſdam Fortuna dicitur; altera ſiſtrum, & Iſis creditur. Nicomediæ verò tutelaris dea eſt Ceres, ſpicas tenet, quòd frugum fuerit inventrix; tædam verò gerit accenſam ex Ætna, dum filiam Proſerpinam raptam quærens, orbem circuiret.

CMTPNAIΩN KAI ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΕΠΙ CTPA. ΠΟΛΛΙΩΝΟC, *Smyrnæorum & Pergamenorum*, ſubaud. *Concordia, ſub Prætore Pollione.* Æſculapius & Hygia. *Num. Domitiani cum Domitiâ, capite adverſo.*

Smyrna cum Pergamo in hoc nummo fœderata prodit; ſed nummus Pergami percuſſus videtur, non modò ex Prætoris Pollionis nomine, quod in plurimis Imperatoribus tanquam in hac urbe familiare occurrit, & ex numinibus ejuſdem civi-

tatis tutelaribus Æsculapio & Hygiâ ejus filiâ, de quâ passim egimus. Nummum autem hoc loco descripsimus, quòd Smyrnæorum nomen in loco nobiliori appositum sit, & urbes fœdere junctas alphabetico ordine referamus.

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΕΡΓ. ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Smyrnæorum Pergamenorum Ephesiorum Concordia.* Nemesis à dextris, Diana Ephesia in medio, Æsculapius à sinistris, omnes cum attributis. *Num. Antonini Pii.*

En præcipuarum Asiæ urbium fœdus, quæ cùm essent aliis celebriores, tandem inter se de Primatu contenderunt. Smyrna etiamsi nummum cuderit, priorem tandem locum Ephesiæ Dianæ cedit, quòd ejus forsan cultus in Asiâ antiquior: nam ait Pausanias lib. 7. *Quin & Ephesiæ Dianæ fanum jam celebre erat, antequàm venirent in ea loca Iones.* Nemeseos verò apud Smyrnæos cultus ex Ionibus translatus videtur. Pergamus Pyrrhi Neoptolemi filius, ex Græciâ in Asiam transiens, Æsculapii cultum attulit.

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ ΕΠΙ ΠΟΛΛΙΑΝΟΥ, *Smyrnæorum Concordia Trallianorum sub Polliano.* Amazon turrita mulieri stolatæ dextram porrigit; illa clypeum, hæc hastam tenet. *Num. Gordiani Pii.*

Nil mirum si Smyrna ex primariis Asiæ civitatibus cum Trallibus societatem inierit: nam Ephesus cum illâ jam fœderata fuit, si quidem opulentissima erat, teste Strabone: *Civibus optimè frequentata est, ut ulla Asianarum urbium alia.* Utraque civitas, Smyrna nempe per urbis Fundatricem, Tralles verò per civitatis Genium concordiæ fœdus dextrâ invicem datâ confirmant. Pollianus Smyrnæ Prætor est, sub cujus magistratu nummus fuit signatus.

ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Tripolitarum & Laodicensium Concordia.* Latona velo circumdata dextrâ Dianam, sinistrâ Apollinem, puerulos sustinet: ex adverso Jupiter Philalethes. *Num Saloninæ.*

Tripolis Cariæ urbs ad Mæandrum fluv. cum alterâ provinciæ civitate societatem init: ambæ numina sua fœderis testes exhibent, Tripolis Latonam, cujus cultus erat apud se celeberrimus, si quidem Certamina ΛΗΤΩΙΑ, *Latonalia*, in ejus honorem dicta, edebat; illa Dianam & Apollinem uno partu

peperit, unde Διδυμοτόκος, hoc est *Gemellipara*, dicta est Laodicea Jovem suum Philalethen, id est *Veritatis amicum*, repræsentat, de quo sæpè diximus.

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ ΝΕΩΚ. ΕΦΕCIΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ ΕΠΙ ΑΥΡ. ΡΟΥΦΕΙΝΟΥ ΑΡΧ. *Philadelphensium Neocororum Concordia sub Aurelio Rufino Archonte.* Etruscilla ambabus Dianæ Ephesiæ signum adstantibus, à sinistris Decio & Q. Herennio, à dextris templum deæ destinatum. *Num. Trajani Decii.*

Philadelphia Lydiæ urbs ab Attalo Bithyniæ Rege cognomine Philadelpho dicta, societatem suam cum Epheso per sacrorum communionem denotat, si quidem Etruscilla marito Decio & Q. Herennio filio præsentibus, sub urbis Genii specie, Dianæ Polymammæ signum Ephesiorum consensu in ædem nomini suo dicatam ferre videtur, unde communis ejus deæ in utrâque civitate cultus. Philadelphenses sub Hadriano factos fuisse Neocoros diximus. Aurelius Rufinus Philadelphiæ Archon erat, sub cujus auctoritate nummus fuit percussus. Præcipua urbium Lydiæ pars pro Magistratibus Archontes habuere.

ΧΙΩΝ CΜΥΡΝΑΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ CΤΡ. ΚΑΠΙΤΩΛΕΙΝΟΥ, *Chiorum Smyrnæorum Concordia Prætore Capitolino.* Diana, Hercules & Bacchus cum attributis stantes. *Num. Philippi Sen.*

Chios urbs Ionum celeberrima, in insulâ ejusdem nominis, cum alterâ Ioniæ præstantissimâ civitate societatem hoc nummo declarat. Chios sic dicta Stephano, *à Chio Oceani filiâ, vel à nive quæ illic est frequens, vel à Nymphâ Chione.* Egertius apud Strabonem lib. 13. novis Colonis Chium frequentavit, & ita inter Ionias urbes adscripta. Utriusque urbis tutelaria numina profert nummus, Dianam Ephesiam à dextris, Bacchum à sinistris, in medio Herculem, qui cum Baccho, ut Chiorum, sic sunt Ephesiorum dii. Diodorus Oenopionem in Chium à Rhadamanto missum tradit, quem ex Baccho natum, & vini conficiendi modum à patre didicisse ferunt: unde vinum Chium laudatum, & Bacchi cultus. Hercules verò Smyrnæ Servator in Domitiani cum Domitiâ nummo, ΗΡΑΚΛΗ CΩΤΗΡΙ, & illius effigies passim in plurimis aliis.

URBES IN QUIBUS EPOCHÆ.

EPOCHA, Ἐποχαὶ apud Græcos intervalla dicuntur, quòd in illis sistantur & terminentur mensuræ temporum, unde rerum gestarum notiones. Harum verò Epocharum initia quibus usæ sunt urbes, diversa fuere; alia enim ab Urbe conditâ, aut partâ libertate, aut remissis tributis, vel ab autonomiâ ipsis concessâ, prout in sequentibus videbimus, ordine alphabetico semper observato.

ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΙΣ.

Adrianopolis, urbs Thraciæ ad Hebrum fluvium sita, olim Oresta Lampridio in Elagabalo dicta, deinde *Uscudama* vocata teste Ammiano, demùm ab Hadriano Imperatore restaurata, Hadrianopolis appellata est anno U. C. 885. Hæc in paucis nummis Epocham signavit, quod in Thraciæ provinciæ urbibus in usu forsan non fuit, sicut in Trallium Lydiæ urbis numismatis, cujus etiam frequentes occurrunt, præter unum etiam observatur.

Ærx Caput 885.

ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΕΤ. ΒΞ. *Hadrianopolitarum anno* 62. Diana Venatrix telum depromit, lævâ arcum: pro pedibus hinc ara, inde canis. *Num. Sept. Severi.*

62.

Cùm Epocha tantùm una in nummo Imperatoris qui diu vixit, occurrit, non facile est illius initium indicare, liceat porrò nobis conjicere Severi nummum, in quo annus 62. signatur, Imperii ejus initio, nempe U. C. 947. fuisse percussum, quando urbes novo Principi gratulantur: & sic urbem anno U. C. 885. quo Athenis iterùm hiemaret, restauràsse. Diana Venatrix templum habuit tetrastylum Hadrianopoli, ex Gordiani nummis, & ob venationis studium quo tenebatur Imperator, quasi ejus protectrix in nummo apposita videtur.

ΑΙΓΑΙ.

Ægæ apud Auctores multæ; sed hæc de quâ nobis est sermo, Ciliciæ est, & quidem maritima, ob caprarum eventum, illis enim ducibus ex oraculo condita, nomen habuit. Αἴξ autem *Capra* dicitur: deinde novis Colonis ab Alexandro Magno frequentata, Ἀλεξανδρεπόλις, & Σανδάλιον à calceamenti genere

quo illius cives utebantur, dicta; sed posteà prius nomen prævaluit. Ægæenses à Julio Cæsare libertatem, cùm illum summo honore excepissent, obtinuere sub finem mensis Maii anni U. C. 707. postquàm ex Syriâ in Ciliciam in illorum portum appulisset, ex Hirtio de Bello Alex. cap. 66. *Ipse eâdem classe quâ venerat, proficiscitur in Ciliciam.* Ex Antiochiâ 23. die Maii egressus erat, teste Joan. Mallela, per novem menses in rebus Ægypti constituendis moratus, & seges propè matura erat, Appiano de Bello Civ. 3. cùm Pompeium in Pharsalicis campis devixisset, Sol autem Leonem ingressus erat, & pugna fuerat commissa die 25. Quintilis, qui posteà Julius in Cæsaris gratiam dictus est.

Æræ Cap. 707.

178. ΑΙΓΕΑΙΩΝ ΕΤΟΥC ΗΟΡ. *Ægæensium anno* 178. Aquila supra scipionem, infrà lepus. *Num. Hadriani.*

Ægæenses ab Hadriano beneficium aliquod accepisse per nummos testantur, si quidem se Hadrianos in plerisque eorum appellarunt. Illum Principem in Ciliciam venisse nos docent ejus nummi S C. percussi, ADVENTVI CILICIAE, & quidem dum rediret ex Syriâ: nam junctis annis 178. ad Epocham 707. efficient annum U. C. 884. usque ad finem Maii 885. quo illa cœpit, & Hadrianus Ciliciam lustravit. Aquila & lepus ad venationem quâ summoperè delectabatur Hadrianus, spectat. Ægæenses aquilas ex monte Amano, ad leporum venationem instructas ei obtulisse videntur. Hæc aquilarum de leporibus venatio perantiqua erat, si vetustos Adraniorum Agrigentorum & Locrensium apud Goltzium in Siciliâ observes.

195. ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΑΙΓΕΑΙΩΝ ΗΠΡ. *Hadrianorum Ægæensium anno* 188. Mulier stolata stans, dextrâ cornucopiæ, sinistrâ puerulum. *Num. Antonini Pii.*

Antoninum Pium Ciliciæ urbium privilegia ab Hadriano concessa confirmasse testantur nummi & marmora; imò hic in puerorum gratiam urbi privilegia dedisse innuit. Epocha 188. adjuncta ejus capiti 707. simul exhibent annum U. C. 894. usque ad Maii finem 893. quo illa cœpit, cùm Antoninus Pius quintam iniisset Tribunitiam Potestatem.

215. ΑΙΓΙΕΩΝ ΕΤ. ΑΙC. *Ægiensium anno* 211. Jupiter stat nudus, dextrâ fulmen vibraturus, sinistrâ extensâ aquilam. *Num. M. Aurelii.*

Ægienses M. Aurelio ob victorias contra Parthos per Cassium relatas

relatas gratulantur, eumque tanquam Jovem propugnatorem fulmine Parthos percutientem exhibent, ut hic Gigantes dissipavit. Aquila, Jovis est symbolum, quæ ipsi fulmina ministrabat. Epochâ anni 211. in nummo signatâ, cum ejus initio 707. copulatâ, habebis annum U. C. 917. usque ad finem Maii 918. quando M. Cassius Vologæsem Parthorum Regem ex Armeniâ fugavit, & M. Aurelius Tribunitiam Potestatem XVIII. suscepit.

ΚΟΜΟΔΙΑΝΩΝ ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΑΙΓΕΑΙΩΝ ΖΚC. *Commodianorum Hadrianorum Ægensium anno* 227. Æsculapius stans, à sinistris Telesphorus. *Num. Commodi.* 227.

Beneficium aliquod singulare Ægenses accepisse videntur, cùm se Commodianos uti & Hadrianos appellarunt: nil mirum igitur si sacra Æsculapio suo pro Imperatore fecerunt, ut illi salutem optimam conservaret. Eusebius lib. 3. de Vitâ Constantini cap. 56. celebre illius Dei fanum Ægis fuisse narrat. Epocha 227. ejus capiti 707. addita, simul illi component annum U. C. 933. quo illa cœpit, & Commodus Tribunitiam Potestatem VI. accepit.

Eadem epigraphe. ΕΤΟΥC ΔΑC. *anno* 234. Capita Isidis & Serapidis adversa. *Num. ejusdem Commodi.* 234.

Commodus Romæ sacra Isidis coluit, & caput rasit, teste Lampridio. Ægenses horum sacrorum ab Imperatore celebratorum memoriam per numina hæc quæ colebant signata, ad posteros commendare voluisse videntur; unde nummi s. c. cusi, SERAPIDI CONSERV. AVG. Epocha 234. in nummo signata ad caput 707. adjecta simul illi facient 940. usque ad finem Maii 941. quo illa cœpit, & Tribunitiam Potestatem XV. ingressus est Commodus, & sacra Isidis Romæ fecit.

ΚΟΜΟΔΙΑΝΩΝ ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΑΙΓΕΑΙΩΝ ΕΤΟΥC ΕΜC. *Commodianorum Hadrianorum Ægensium anno* 245. Caput Jovis Capitolini barbatum. *Num. Septimii Severi.* 245.

Ægenses ut Severi benevolentiam, qui se Commodi fratrem nominabat, conciliarent, se Commodianos appellant; nam illi Pescennii partibus faverant, & in gratiam Imperatoris recepti, nummum illi dedicant cum Jovis Capitolini effigie, cujus cultum habuerant sub Hadriano, cùm ille huic deo maximè devotus fuerit: unde Hierosolymam eversam vo-

caverit Æliam Capitolinam. Epocha 245. cum 707. copulata efficiet U. C. annum 951. quo circa finem Maii illa inceperit, & Severus Tribunitiam Potestatem VI. inierit.

250. ΑΙΓΑΙΕΩΝ CN. *Ægensium anno* 250. Mulier turrita stans, dextrâ hastam, sinistrâ cornucopiæ. *Num. Juliæ Domnæ.*

Non modò Severo Imperatori, sed etiam Juliæ Domnæ uxori ejus nummos percussere. Illam in parte aversâ sub specie Genii urbis capite turrito exhibuerunt, quasi urbis felicitatem & abundantiam efficeret. Stolâ eam ornarunt, quâ utebantur Romanæ matronæ: illi hastam dederunt, ut urbem à barbaris defenderet; & cornucopiæ, ad indicandam in agris rerum omnium abundantiam. Anni 250. Epochæ 707. additi reddent simul annum U. C. 956. quo illi numerati sunt à fine Maii usque ad eundem mensem anni 957.

261. ΑΔΡ. CEΥΗΡΙΑΝΩΝ ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΩΝ ΑΙΓΕΑΙΩΝ ΑΖC. *Hadrianorum Severianorum Antoninianorum Ægensium anno* 261. Navis cum remigantibus & velo. *Num. Caracallæ.*

Privilegia Ægensium à Severo & Caracallâ fuisse confirmata docet eorum nummus, non quidem Imperii initio, cùm se adhuc Severianos & Antoninianos non appellarent. Nummus Caracallæ in Ciliciam adventum, & quidem Ægas appulsum, ut & Æra ejus, denotat: nam annus 261. signatus cum 707. conjunctus, efficiet annum U. C. 967. quo ille in fine Maii cœpit, & Caracalla Macedoniâ & Asiâ lustratis, Ciliciam, Tribunitiâ Potestate XVII. initâ, appulit.

263. Μ. ΕΥΓΕΝΟΥΣ Π. Θ. ΜΑΚΡΕΙΝΟΥΠ. ΑΙΓεαίων ΓΖC. *Marco Eugene Panegyrista Deorum Macrinopoleos Ægensium anno* 263. Æsculapius stans cum baculo, à dextris capella, à sinistris Telesphorus. *Num. Macrini.*

Ægenses prout beneficia ab aliquo Principe accipiebant, eorum nomina assumebant. Hi Hadriani, Commodi, Severi & Antonini appellationibus relictis, suam urbem Macrinopolim vocant: ut primi Macrino faverunt, ultimi ejus partes secuti sunt; teste enim Xiphilino, ille ab Elabagalo victus, Antiochiam veniens, ab iis repulsus est. Καὶ ἐπὶ μετ' ὀλίγων εἰς τὰς Αἰγὰς τῆς Κιλικίας ἐλθών. *Cum paucis Ægas Ciliciæ pervenit.* Annus 263. in nummo signatus, cum initio Epochæ junctus 707. efficient illi simul U. C. 969. quo, ut diximus, exeunte Maio cœpit, &

ſequentis anni 970. eodem menſe Maio deſinit: at cùm Caracalla Id. April. ejuſdem anni occiſus ſit, ad Autumnum anni 969. Ægenſium Æra protrahi nequit, ut infrà videbimus. Æſculapius deus eſt urbis tutelaris, & capella inſigne civitatis.

Eadem epigraphe, ΔΞC. *anno* 264. Capita Serapidis cum cippo, & Iſidis loto inſignis adverſa. 264.

Macrinus in Imperio menſes tantùm quatuordecim vixit. Caracalla occiſus 4. Id. April. 970. Macrinus autem interfectus Id. Jun. 971. Ægenſium annus 263. ut ſuprà diximus, cœpit menſe Maio 969. deſinente, & menſe Maio exeunte 970. finiit; annus autem eorum 264. iniit anno U. C. pariter ejuſdem anni 970. & deficit in fine Maii 971. atqui tum mortuus erat Macrinus; ergo ad Autumnum ejuſdem anni protrahi nequit. De Serapidis & Iſidis cultu apud Ægenſes in Commodo dictum eſt.

Eadem epigraphe. Hercules ſacra facit ſuper aram, dextrâ clavam inverſam & ſpolia in areâ petræ Ambroſiæ, ut in nummis Tyriorum.

Hercules ille Tyrius eſt. Ægas urbem dictam fuiſſe Alexandropolim ex Chronico Alexandrino ſuprà diximus: Alexander autem cùm Tyrum obſidere vellet, Palætyrum 30. ſtadiis à novâ Tyro diſſidentem demoliri juſſit, ut aggere ſaxorum in mare injectorum facto urbem aggrederetur, cives & milites veteranos Ægas tranſmiſit, inde urbs Alexandropolis appellata, & cultus Tyrio ab iis in eam allatus eſt.

Capita Macrini patris laureati, & Diadumeniani ejus filii nudi adverſa.

Eadem epigraphe. Caput Pacis deæ, ut in nummis Veſpaſiani.

Pax dea non modò Romæ culta eſt, cujus erat magnificentiſſimum in foro templum à Claudio inchoatum, & à Veſpaſiano conſtructum; ſed Athenis ipſi aram dicatam narrat Plutarchus in Cimone. Hic verò nummus Ægis illam in honore fuiſſe nos edocet. Sed de litteris M. ETT. Π. Θ. *Marco Eugene Panegyriſta Deorum*, infrà in Alex. Severo, & deinde in Magiſtratibus & Dignitatibus.

M. ETT. Π. Θ. MAKPEINOYΠ. AIΓEΩN ΔΞC. *Sub Marco Eugene Panegyriſta Deorum Ægenſium anno* 364. Caput Herculis imberbis pelle leoninâ amictum. *Num. Diadumeniani.*

Ægenſes, ut Macrino patri, ſic Diadumeniano filio ſuos nummos percuſſerunt, modò ſimul cum capitibus adverſis, modò ſeparatim cum ſolâ eorum effigie; in aversâ parte Herculem juvenilem & imberbem, qualis depingebatur Hercules Tyrius, quem, ut ſuprà diximus, ſummopere colebant, alludentes Diadumeniano imberbi, quem alterum Herculem augurabantur.

Eadem epigraphe. Capra paſcens: in altero, Capra humi deſidens. *Num. Diadumeniani.*

Capra in Ægenſium nummis, urbis inſigne eſt, ob nomen à capris ipſi inditum: αἶγα enim capram vocant Græci, & à caprarum eventu plurimæ urbes appellatæ ſunt. Pauſanias lib. 7. Hepereſiam ſeu Ægyram in Achaiâ mutato nomine à capris poſteà Ægas fuiſſe dictas. Juſtinus lib. 7. cap. 1. Edeſſam Macedoniæ ab alio caprarum eventu Ægas nominatas refert. An etiam oraculi juſſu urbs ducibus capris quò ſederent condita in Ciliciâ, una paſcens iter demonſtrando, altera ſedens locum indicando?

270. M. ETT. Π. Θ. ΑΙΓΕΩΝ, in areâ oc. *Marco Eugene Panegyriſtæ Deorum Ægenſium anno* 270. Nemeſis ſtolata ſtans, dextram verſùs os admovet, ſiniſtrâ flagrum, ad pedes rota. *Num. Juliæ Mamææ.*

Ægenſes, cùm acriter Macrini partibus ſtuduiſſent, in Elagabali gratiam recepti non videntur, quippe nulli in ejus honorem nummi percuſſi occurrunt; ſed eo occiſo, Alexandri Severi benevolentiam conſectari ſtudentes, Mamææ ejus matri, cujus conſilio filius omnia faciebat, ſuos cum Nemeſeos effigie conſecrarunt, ſeu quòd hanc deam colerent, ſeu quòd illa Juſtitiæ eſſet filia, facinorum impiorum ultrix, & honorum præmiatrix. Nummus videtur cuſus in ſecundâ Tribunitiâ Poteſtate Alex. Severi: junctis enim annis 270. ad initium Epochæ 707. incides in annum U. C. 907. quo ille eam acceperat circa Septembrem anni præcedentis.

275. ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΑΙΓΑΙΩΝ ΕΟC. *Hadrianorum Ægenſium anno* 275 circa nummi ambitum: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥΠΟΛΙC, *Alexandropolæ*, intra coronam. *Num. Alex. Severi.*

Alexander Severus Ægenſes in gratiam recepiſſe, & illorum privilegia conſervaſſe videtur, cujus rei memores urbem ſuam

appellarunt Alexandropolim, & coronam Imperatori de Illyricis victori teste Lampridio obtulere. Annus 275. in nummo signatus, Epochæ initio 707. additus, habebis annum U.C. 982. quo illa relata est.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥΠΟΛΙC ΑΙΓΕΩΝ ΑΔΡΙ.ΕΟC. *Alexandropolis Ægensium Hadrianorum anno* 275. Pes calceamenti genere ornatus, cum serpente. *Num. ejusdem Severi.*

Ægenses, cùm urbem suam appellarent Alexandropolim, uti in Macrini gratiam eam Macrinopolim vocaverant, eam jam nominatam Alexandropolim in Alexandri Magni honorem notare voluerunt, imò & Scythiam, ut in Chronico Alexandrino legimus, Ἀλεξανδρεία ἐν Αἰγαίοις, ἥ καὶ Σκυθία, *Alexandria in Ægæis, quæ & Scythia*, nempe à calceamenti genere, de quo Stephanus in voce Σκυθία, ἐστι καὶ ὑποδήματος εἶδος, *est etiam calceamenti genus.* Scythæ sub Josia Rege in Judæam venerunt, & urbs Bethsan in eorum memoriam à Græcis dicta est Scythopolis, teste Josepho Ant. l. 12. Eo calceamenti genere usi sunt etiam Persæ, ut addit Stephanus, ὡς Πέρσαι, qui Scytharum more se induebant. Ipsi ab Alexandro Magno Ægas habitare jussi, urbs appellata est Alexandropolis & Scythia, cujus memoriam, per calceamenti genus in nummo signatum, revocarunt. Serpens vel ad bonum urbis Genium, vel ad Æsculapii in urbe summoperè culti symbolum spectat.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥΠΟΛΙC ΑΔΡΙΑΝ. ΑΙΓΑΙΩΝ ϛOC. *Alexandropolis Hadrianorum Ægensium anno* 276. Aquila alis expansis, rostro coronam, inter tibias capella humi desidens. *Num. ejusdem Imp.* 276.

Aquila Imperii Romani, ut capella Ægarum urbis, insigne est; illa rostro lauri coronam gerit, Populum Romanum omnium gentium victorem denotans: laurus enim victoribus concedebatur. Ægyptii, cum victoriam suis sacris litteris pingerent, aquilam formabant, quoniam ea avis cæteras aves superare solet. Nummus anno sequenti, nempe U. C. 983. ineunte. De caprâ sat suprà dictum est.

ΑΕΞΑΝΔΡΟΥΠΟΛΙC ΑΔ. ΑΙΓΑΙΩΝ ZOC. *Alexandropolis Hadrianorum Ægensiumm anno* 277. Serpens sese erigens, ponè eum in areâ, capella. *Num. Alex. Severi.* 277.

Serpentem circa calceamenti genus, vel ad Genium urbis, vel ad Æsculapii in urbe summoperè culti symbolum spectare

suprà diximus; sed liceat nobis hunc ingentem nummi aream totam occupantem ab Ægensibus signatum, ad Alexandri Severi natales & ejus cum Alexandro Magno convenientiam augurari. Serpentem cum Olympiade Alexandri Magni matre decubuisse narrabant, ex quo natus credebatur Alexander M. Mamæam verò purpureum serpentem parere se somniasse scribit Lampridius. Nummus anno U. C. 984. à mense Junio usque ad 985. ut ex Epochæ à nobis indicatæ initio patet.

Eadem epigraphe. Navis Prætoria cum navigantibus. *Num. ejusdem Imperatoris.*

Hæc Prætoria navis ad Al. Severi Ægas adventum, cùm ille ex Mesopotamiâ de Persis victor rediret, omninò spectat: nam junctis Epochæ 274. annis ad ejus initium anni 707. habebis U. C. 984. quo Ægensium annus exeunte Maio incepit, & tunc temporis Severus bellum cum Persis gerebat, primo vere autem sequente postquàm Antiochiæ hyemasset, Romam properans, Ægas venit; cùm eorum annus 274. adhuc decurreret, in ejus memoriam navim Prætoriam in nummis signarunt. De Marci Eugenis dignitate, Deorum Panegyristâ vel Panegyarchâ, nobis pauca dicendum, si quidem Tristanus fusè de illâ locutus sit lib. 2. pag. 591. Hi erant qui in conventu populi pro ludis & sacris in Deorum honorem celebrandis eorum laudes sermone erudito proferebant.

278. ΜΑΡ. ΕΥΓΕΝΟΥΣ ΝΕΩΚΟΡΟΥ ΑΙΓΕΑΙΩΝ ΗΟΣ. *Marco Eugene Neocoro Ægensium anno* 278. Urna ex quâ exilit serpens inter duas tædas. *Num. ejusdem Severi.*

In superioribus Ægensium nummis Macrino, Diadumeniano & Alex. Severo percussis Marcus Eugenes Panegyrista Deorum perhibetur; in hoc Neocorus inscribitur, postquàm Ægenses sub Alex. Severo Neocoriam accepissent, anno nempe superiori, quando Ægas beneficus Imperator adveniisset. Cùm autem Panegyarcha apud Plutarchum & Pollucem ludorum curam haberet, idem præstasse videtur & Neocorus; qui in hoc nummo pro civitate Neocora accipitur ad ludos celebrandos, sed illorum nomen licèt non inscribatur. Tædæ in eo signatæ, Demetria fuisse in Cereris honorem denotant: Cerealia autem tædis agebantur accensis, quod videtur confirmare serpens in ejus tutelâ ex ludorum cystâ exiliens; ipsa enim

curru à duobus ſerpentibus tracto vehebatur. Cerealia etiam Tarſi celebrabantur, ex quâ forſan ejus æmula urbs Ægæ pariter celebravit.

ΑΔΡ. ΑΙΓΕΑΙΩΝ ΝΕΩΚ. ΝΑΥΑΡΧΙΔΟC. In areâ, ΗΠC. *Hadrianorum Ægenſium Neocoræ Navarchidis anno* 288. Navis cum remigantibus. *Num. Gordiani Pii.* 288.

Per Navim Prætoriam in nummis Gordiano percuſſis, in urbem ſuam illius adventum demonſtrare videntur Ægenſes, dum is ad bellum Perſicum properaret: ideò Senatus Gordiano nummum ſignavit pariter cum navi Prætoriâ & epigraphe, TRAIECTVS AVG. S.C. Gordiani adventum Ægas confirmat annus Epochæ ſignatus 288. quo ille in Perſas profectus eſt: & ut Alex. Severus in memoriam adventûs ſui urbem fecit Neocoram, Gordianus Princeps munificus ei Navarchidis dignitatem conceſſiſſe videtur.

ΑΙΓΕΑΙΩΝ ΝΕΩ. ΝΑΥΑΡ. ΘϘC. *Ægenſium Neocoræ Navarchidis anno* 299. Minerva galeata ſtans, dextrâ ſpiculum vibratura, ſiniſtrâ clypeum: hinc & inde capræ. *Num. Æmiliani.* 299.

ΑΙΓΕΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΟΥ ΝΑΥΑΡΧΙΔΟC. in imo ΘϘC. Minerva in templo quatuor columnarum. *Num. ejuſdem Auguſti.*

Diverſi Æmiliano Imperatori, qui tantùm per tres menſes regnaſſe perhibetur, nummi ab Ægenſibus ſignati, illos beneficia quædam ab eo acceptaſſe antequàm Imperium adeptus eſſet, ſuadent, vel quòd recentis Imperatoris benevolentiam per nummos ipſi dicatos ſibi conciliare voluerint. Ægenſes Minervam potiùs quàm aliud numen in Æmiliani nummis ſignarunt, quòd illa bello præeſſet, ut jam in Alex. Severo vidimus. Arrianus Alexandrum in Ciliciâ Magarſum profectum, Minervæ ſacrificaſſe narrat. Summus erat etiam ejus Ægis cultus, ſecunduſque nummus illius templi iconem exhibet: & capra hinc & inde in priori, ad urbis inſigne ex earum eventu ſpectat. Litteræ numerales ΘϘC. 299. cum initio Epochæ 707. junctæ, annum U.C. 1006. efficiunt, quo exeunte Maio cœpit Ægenſium annus, & tunc occiſi ſunt Gallus & Voluſianus, ut notat P. Pagius ad Annal. Baronii.

ΑΙΓΕΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡ. ΝΑΥΑΡΧ. ΕΤ. Τ. *Ægenſium Neocoræ Navarchidis anno* 300. Figura velata dextrâ pateram, ſiniſtrâ bacillum, pro pedibus urna. *Num. Valeriani.* 300.

Ægenſes novo Imperatori Valeriano nummos ſuos, ut priùs Æmiliano, conſecrant, ut annus eorum Epochæ indicat 300. ſi enim illum addideris ejus initio 707. erit U.C. 1007. quo primus Imperii Valeriani annus uſque ad Maium exeuntem decurrit ex Ægenſium Epochâ. Figura velata, Senatûs Genius eſſe videtur, qui ſacra per pateram pro Imperatoris ſalute ſe feciſſe denotat. Haſtula ſeu ſcipio, illius ſymbolum eſt, ut & urna in quam bullas conjiciunt Senatores ad denotandum Valerianum Genio Senatûs Imperatorem electum.

301. ΑΔ. ΑΙΓΕΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟ. ΝΑΥΑΡΧ. ΕΤ. ΑΤ. *Hadrianorum Ægenſium Neocoræ Navarchidis anno* 301. Urna cum duabus palmis. *Num. ejuſdem Valeriani.*

Urna ſeu cyſta ludorum, ex quâ erumpunt duo palmarum rami, ad Cerealia Certamina pertinet, de quibus ſuprà ad annum Epochæ 278. in Alex. Severo diximus. Duo palmæ rami in hoc Certamine duas coronas à victoribus referri denotant. De iis infrà dicturi ſumus in Ludis. Sacra Cereris omni anno celebrabantur: an Agon ille celebris etiam edebatur? an verò propter Valerianum, cujus Imperii annus erat ſecundus, ut indicant litteræ numerales 301. cum Epochæ capite 707. conjunctæ conficiunt annum U. C. 1007.

305. ΑΙΓΑΙΕΩΝ ΝΕΩΚ. ΝΑΥΑΡ. ΕΤ. ΕΤ. *Ægenſium Neocoræ Navarchidis anno* 305 Fortuna ſtans cum temone & cornucopiæ. *Num. ejuſdem Valeriani.*

Fortuna ab antiquis pro dea culta eſt. Bupalus, qui templa conſtruere, & animalia optimè effingere noverat, omnium primus Fortunæ manu Amaltheæ cornu tenentis ſtatuam Smyrnæis effecit. Lactantius lib. 3. ei addit gubernaculum, tanquam opes tribuere putaretur, & humanarum rerum regimen obtinere. Templum ei, ut & plurimæ urbes, Ægenſes erexiſſe videntur, illiuſque effigiem in nummo Valeriani apponunt, ut ei pro Valeriani contra Perſas proſpera profectione ſacra feciſſe denotarent: nam annus eorum Epochæ 305. reſpondet anno U.C. 1011. quo Valerianus barbarorum fines ingreſſus eſt.

307. ΑΙΓΕΑΙΩΝ ΝΕΩ. ΝΑΥΑΡΧ. ΕΤ. ΖΤ. *Ægenſium Neocoræ Navarchidis anno* 307. Bacchus in curru duarum pantherarum, dextrâ cantharum, ſiniſtrâ thyrſum. *Num. ejuſdem Valeriani.*

Ægenſes

Ægenſes Romanos imitati, qui Valeriano nummos cuderant cum epigraphe, RESTITVTORI ORIENTIS, cùm bellum Parthis inferret, eum ut Bacchum in curru triumphantem, tanquam alterum Orientis Domitorem, in nummis ſuis repræſentarunt. Bacchus ad Indos uſque proceſſit victor, ſed Valerianus à Perſis captus eſt, apud quos miſerabili ſervitute conſenuit. Annus Ægenſium 307. incipit anno U.C. 1013. menſe Maio exeunte; & ſic hoc tantùm anno Valerianum à Sapore captum nos edocet hic nummus: Macrinus verò hoc anno exeunte, Romam cum filiis ab exercitibus Orientis appellatur.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ ΚΑΤ' ΙССΟΝ.

Alexandria ad Iſſum, urbs Ciliciæ, ſic ſe alteri civitati proxima, non modò ut ſe ab octodecim Alexandriæ nominis oppidis diſtingueret, quæ recenſet Stephanus, in nummis inſcripſit; ſed in iis Epocham ſuam dinumeravit, cujus caput V. Cl. Nic. Toinardus in Diſſertatione anno 1689. Aurelianis editâ nobis indicavit, nempè ſub finem Conſulatus Piſonis & Acilii, Autumno anni U. C. 687. ſi Faſtos Capitolinos ſequaris: quando Pompeius debellatis in Cilicià pyratis, eos in urbes ejus provinciæ aſſignatis agris diſperſit. Alexandria autem civitas in colle ab Alexandro M. in monumentum inſignis victoriæ ad Iſſum contra Darium relatæ, à Pompeio condita, inter alias ſelecta eſt; & ab eo tempore urbs illius beneficii & privilegiorum à Pompeio acceptorum memor annos computavit. — Æræ Cap. 687.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ ΚΑΤ' ΙССΟΝ ΕΤΟΥС ΑΠΡ. *Alexandreorum ad Iſſum anno* 181. Figura togata ſtans, dextrâ pateram, ſiniſtrâ cartham involutam. *Num. Trajani.* 181.

Alexandrini Ciliciæ Trajano Imperatori nummos ſuos dicarunt, & ſtatuam ipſi erexiſſe videntur, cujus iconem in aversâ parte exhibuerunt, haud dubiè ob privilegiorum à Pompeio ſibi conceſſorum confirmationem, quando in Ciliciam & Syriam venit, bellum Parthis illaturus, anno U. C. 867. in cujus Autumno annus Alexandrinorum 181. cœpit, & in curſu finit uſque ad Autumnum anni ſeq. 868. quo nummus videtur cuſus. Trajanum repræſentavere togatum & pateram gerentem, cùm ſacra feciſſet pro fauſto belli contra Parthos eventu; ſiniſtrâ cartham involutam, id eſt immunitatum diploma.

282. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ ΚΑΤ' ΙΣΟΟ ΕΤ. ΒΠΣ. *Alexandreorum ad Issum an.* 282. Alexander seminudus stans, dextrâ pateram, lævâ hastam. *Num. Ant. Caracallæ.*

Caracalla, dum etiam ad bellum Parthicum proficiscereturper Ciliciam iter faciens, Alexandriam ad Issum ascendisse videtur, ut Alexandriam Troadem progressus fuerat, Herodiano teste, Alexandro M. parentaturus, animum cujus in corpus suum introïsse aliquando scripsit ad Senatum, sese Alexandrum Orientalem Augustum appellans. Alexandrini privilegiorum suorum confirmationem facilè ab eo impetrarunt, cujus beneficii memores, statuam ei similem Alexandro Magno erexere anno U. C. 967. exeunte: æneum enim Herois ipsius simulacrum ἀγαλμα χαλκοῦν habebant Alexandrini, ut refert idem Herodianus lib. 3.

AMACIA.

Amasia urbs erat Ponti clarissima ad Irim fluvium, Strabonis patria, ab Hadriano facta Metropolis, à M. Aurelio Prima Ponti & Neocora, sed cujus antiquior in nummis Epocha est: non autem à tempore quo facta est Provincia Romana, cùm anteà Regibus data fuisset; nam ex Dione lib. 53. in divisione provinciarum anno U. C. 726. data est Populo Bithynia cum Ponto finitima, in quâ erat Amasia. Sed idem Dio narrat Agrippam in Pontum exercitum adduxisse contra Scribonium, qui Bosphori regnum occupaverat; quo audito, Bosphoranos eum interfecisse, & quibus, depositis armis, Polemonem cum Dynami Mithridatis M. nepte, quam uxorem duxerat Scribonius, Regem dedisse; cùm autem Agrippa res Ponti ordinaret hoc anno U. C. 740. quoddam videtur Amasiæ beneficium contulisse, in cujus memoriam hæc annos numeravit: sed cùm ille nihil quicquam de rebus à se gestis in Ponto ad Senatum perscripsit, ejus acta non videntur nisi post ejus mortem postulantibus Amaseis à Senatu anno 743. nec potest altiùs protrahi eorum Epocha, ut infrà videbimus in Getæ nummis.

Æræ Cap. 743.

169. ΑΜΑΣΙΑ ΠΡ. ΠΟΝΤΟΥ ΝΕ. ΘΕΡ. *Amasia Prima Ponti Neocora anno* 169. Fluvius barbatus decumbens, dextrâ arundinem, propè cymba, sinistrâ rupibus innixâ. *Num. Faustinæ jun.*

Amasiæ nobis sunt Augustarum, scilicet Plotinæ sub Hadriano, & Faustinæ sub M. Aurelio, hactenùs tantùm super-

ſtites nummi. In priore dicitur Metropolis, in altero Prima & Neocora inſcribitur. Illum cudi juſſit, ut Imperatoris matrem adoptivam, per quam ad Imperium vocatus erat, ſe ſummo cultu venerari teſtaretur: hunc, ut mariti benevolentiam per uxorem quæ pro dote Imperium ei procuraverat, ſibi conciliaret. Annus illius Epochæ 169. reſpondet anno U. C. 912. quo M. Aurelius Trib. Poteſt. XIII. iniit A. D. V. Kal. Martii. Fluvius in nummo ſignatus, Iris eſt, Amaſiam alluens, ad ſitum urbis indicandum: ſiniſtra verò rupibus innititur, cùm petra ſublimis & circumquaque præceps ac prærupta urbi immineat, ex Strabone.

ΑΔΡΙΑΝ. ΑΜΑCΙΑ Π. Π. ΝΕ. ΡΞΘ. *Hadriana Amaſia Prima Ponti Neocora* 199. Duæ Fluviorum figuræ decumbentes ex eodem latere. *Num. Commodi.* 199.

Amaſei ut Fauſtinæ matri nummos, ita ejus filio Imperatori Commodo cuderunt, cùm ille Tribunitiam Poteſtatem XV. ſuſcepiſſet labente Auguſto anni U. C. 942. anno Imperii renovato, ut probatur Epochæ eorum annis 199. cum ejus initio 743. conjunctis. Duæ Fluviorum figuræ non ad duos diverſos fluvios ſpectant, tunc illi exhibentur, ſed ſolum Irim qui ante Amaſiam in duos alveos tanquam fluvios dividitur, ut nos docet Strabo illius civis, lib. 12. *Amni pons eſt inſtratus, unus ab urbe in ſuburbium, alius à ſuburbio in exteriorem regionem.* Ideò duæ Fluviorum figuræ ex eodem latere, ut eumdem demonſtrent, apponuntur.

ΑΔ. CET. ANT. AMACIAC ΜΗ. ΝΕ. ΠΡ. ΠΟ. ΕΤ. CΗ. *Hadrianæ Severianæ Antoninianæ Metropoleos Neocoræ Primæ Ponti anno* 208. Fortuna ſtans cum temone & cornucopiæ. *Num. Sept. Severi, Jul. Domnæ, Caracallæ, Getæ.* 208.

Cùm Severus ad bellum Parthicum cum filiis Caracallâ & Getâ properaret Vere anni U. C. 952. in Armeniam cum exercitu proficiſcens, Amaſiam Ponti urbem ampliſſimam ingreſſus videtur, & privilegia ab Hadriano conceſſa confirmaſſe, in cujus rei memoriam, ſe ut Hadrianos, ita Severianos & Antoninianos appellarunt, quòd Severus Tribunitiam Poteſtatem cum Auguſti titulo Antonino Caracallæ filio donaſſet ante Kal. Aprilis anni præcedentis; ideò in nummo dicitur Α. ΚΑΙ. ΑΥΡΗ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. cùm Cæſarem antè feciſſet Getam

Nonis Martii ejuſdem anni, qui inſcribitur, Π. CEΠ. ΓETAC KAICAP. At cùm annus Epochæ Amaſiæ 208. decurreret adhuc Vere anni 952. quando Amaſiam venit Severus cum filiis, ergo optimè videtur aſſignata ad annum U.C. 743. versùs Æſtatem Amaſiæ Epocha. Fortuna in omnibus eorum nummis ſignatur, ſeu quòd eam coleret Amaſia, ſeu quòd illam toti familiæ Severi ſemper ſecundam urbs optaret.

Non unus tantùm ejuſdem Epochæ Amaſiæ 208. nummus Caracallæ cum Fortunæ typo occurrit, ſed alter cum Serapide ſedente dextrâ pateram, & ut Getæ nummus cum Jove pariter ſedente dextrâ victoriam, quibus Diis urbis ſuæ tutelaribus Amaſei pro victoriâ eorum Principum Romanorum ſacra fecerant, in cujus rei teſtimonium ædificium publicum ſupra quod immolabantur victimæ, in tertio nummo poſteritati conſignarunt.

209 *Eadem Amaſiæ epigraphe.* ET. ΘC. *Anno* 209. Idem Fortunæ typus. *Num. Caracallæ.*

Dubium non eſt quin Amaſia ab hoc tempore plurimos Severi familiæ nummos ſignarit, ſed ad noſtras manus illi haud pervenere. Teſtis eſt hic anno ſequenti cuſus, in quo eadem Fortunæ imago, quam Antonino Caracallæ ſemper comitem optabat, aut cui ſacra pro felici armorum Romanorum contra Parthos ſucceſſu fecerat.

234. ΑΔ. CET. ΑΛΕΞ. AMACIA MHT. NE. ΠΡ. ΠΟΝ. ET. CΑΔ. *Hadriana Severiana Alexandriana Metropolis Neocora Prima Ponti anno* 234. Baſis ſeu ædificium ſupra quod figura Solis nudi cum ſtrophio, dextrâ extensâ, ſiniſtrâ flagrum, in curru quatuor equorum ex fronte, pro quorum pedibus aquila ingens alis expanſis. *Num. max. Alex. Severi.*

Amaſia privilegiorum ab Hadriano conceſſorum, & à Severo confirmatorum, ab Alex. Severo renovationem obtinuiſſe videtur, in cujus Principis beneficium non modò ſe Alexandrianam appellavit anno U.C. 977. ex computo annorum 234. cum illius Epochæ initio 743. ſed publicum ejus rei monumentum erexit, ſupra quod Imperatoris ſtatuam ſub ſpecie Solis, ſeu Orientis in curru ſuo, poſuit, quaſi novus & verus Sol oriretur Romanis poſt occiſum ſceleſtum Elagabalum, qui ſe Solem priùs vocabat. Aquila ſymbolum eſt Imperii Romani.

AMA. MHT. ET. CMB. *Amasia Metropolis anno* 242. Templum octo columnarum. *Num. Juliæ Mamææ.* 242.

Ut se gratam Imperatori præberet Amasia, nummos suos Juliæ Mamææ ejus matri dicavit anno U. C. 985. quo ille triumphum Persicum egit, cùm Romam victor reversus est, ut nos docent anni urbis Amasiæ in nummo signati 242. additi initio Epochæ 743. Templum illud in honorem Imperatoris & ejus matris, cujus consilio omnia ille faciebat, ab Amaseis erectum videtur; nulla enim Dei alicujus vel Deæ imago in templi areâ conspicitur, quod sententiæ nostræ omninò favet.

AMICOC.

Amisus, Ponti urbs illustris, à Milesiis condita, varios casus experta est. Athenienses dum maris imperium tenerent, ipsos ab eâ expulserunt, deductâ in illam Coloniâ: deinde Persarum Regibus paruit cum Reipublicæ administratione penes populum. Alexander M. rursùm eam jussit esse liberam, servire posteà Ponticis Regibus coacta est; Lucullus devicto Mithridate, ipsi libertatem restituit; Pharsaces rursùs invasit, Julius Cæsar illam liberavit; M. Antonius Regibus dedit, Strato Tyrannus occupavit, & eam malè tractavit, sed ab illo tandem se liberavit anno U. C. 721. Libertas posteà ei confirmata est à Cæsare Augusto post Actiacam victoriam, teste Strabone; sed annos à libertate quam sibi ipsa strenuè vindicaverat, numerare maluit. Æræ Cap. 721.

AMICOT ΕΛΕΥΘΕΡΑC ΡΞΘ. *Amisi Liberæ anno* 169. Justitia stans cum bilance & cornucopiæ. *Num. Ælii Cæsaris.* 169.

Amisus Ponti urbs, cùm Pontus provincia Cæsaris per Hadrianum facta fuisset, Pamphylia in ejus locum Populo data, ut gratiam Principis sibi conciliaret, plurimos ex argento nummos ei ut & Sabinæ ejus uxori percussit. Unum tantùm Ælii Cæsaris adoptivi Hadriani filii selegimus, ut Epochæ initium à nobis assignatum ex properâ ejus morte confirmaremus. Mortuus est autem anno U. C. 890. quo Consulatum secundum iniit, versùs Autumnum, si vera est Inscriptio Gruteriana: unde annos Amisi 169. adde ejus capiti 721. & habebis annum U. C. 890. quo cusus est nummus. Justitia in nummo adoptivi signata est, sicut frequens occurrit in Hadriano, ut ambo eam colere dicerentur.

219. AMICOT ΕΛΕΥΘΕΡΑC ΕΤΟΥC CIΘ. *Amisi Liberæ anno* 219. Templum decem col. in cujus zophoro ΚΟΜΜΟΔΕΙΑ. *Num. Commodi.*

Nil mirum si Amisus Commodo templum erexit, & Certamina Commodiana in ejus honorem edidit, quandoquidem Lampridius de illo ait: *Se Deum appellavit, eique immolatum est ut Deo*, cùm libertatis suæ privilegia ille confirmasset: imò etsi flagitiosus fuerit Princeps, illum tamen post mortem Severus Imperator inter Deos retulit, & addito flamine, quem sibi vivus jam elegerat. Nummus cusus videtur anno U. C. 940. ex computo annorum Amasiæ 219. junctorum cum annis Epochæ 721.

235. AMICOT ΕΛΕΥΘΕΡΑC ΕΤΟΥC CΛΕ. *Amisi Liberæ anno* 235. Victoria in bigis, dextrâ coronam, sinistrâ palmam. *Num. Caracallæ.*

Amisus ut libertatem suam conservaret, Principibus Romanis semper per nummos gratulabatur; hunc verò Caracallæ cudit in memoriam victoriæ Parthicæ, ex quâ Romam veniens, cum patre ingressus triumphavit. Nummus anno U.C. 956. signatus indicatur ex computo Æræ suæ annorum 235. additorum illius initio 721. Hoc anno Romæ Arcus in Foro positus est, Severi & Caracallæ victoriarum testis.

249. AMICOT ΕΛΕΥΘΕΡΑC ΕΤ. CMΘ. *Amisi Liberæ anno* 249. Aquila insistens scipioni. *Num. Diadumeniani.*

Macrino patri Imperatori percussit haud dubiè nummos Amisus, sed Diadumeniani tantùm nobis sunt hactenus superstites, in quibus illa numerat libertatis per se recuperatæ annos 249. qui si adjiciuntur anno U.C. 721. quo eorum libertatem assignavimus, efficient ejusdem U.C. 970. quo VI. Id. April. Caracalla occisus est, & quatuor posteà elapsis diebus Macrinus Imperium arripuit, & Diadumenianum filium Cæsarem appellavit. Aquila, Imperii Romani symbolum est, cujus dominationem agnoscit Amisus etiamsi libera, & nullum ei solvat vectigal.

AMICOT ΕΛΕΥΘΕΡΑC ΕΤ. CΞΗ. ΑΜΙCΗΝΩΝ ΜΙΛΗCΙΩΝ. *Amisi Liberæ*
268. *anno* 268. *Amisenorum Milesiorum.* subaud. *Concordia.* Apollo sedens, dextrâ lyram: ex adverso Serapis stans, dextrâ spicas, sinistrâ hastam. *Num Maximini.*

Amiseni concordiâ juncti cum Milesiis, ex quibus oriundi erant, si quidem apud Strabonem Theopompus Amisum ab iis

conditam referat, concordiam iniere; & ipsa in illius testimonium Maximino Imperatori nummum cudit cum libertatis suæ epigraphe, & anno à semet recuperatæ 268. In nobiliori parte Apollinem Mileti Didymæum matri cedens collocavit, & Serapim suum peculiarem Ponti Deum à sinistris, spicas tenentem, ad denotandam frumenti in suis agris abundantiam, quòd Serapis ob modium quem in capite præfert, vitam mortalibus frugum largitate præbere dicatur. Nummus signatus est anno U. C. 989. ex computo annorum libertatis Amisi, quo Maximinus dictus est Germanicus.

ANAZARBOS.

Anazarbus, urbs Ciliciæ illustris ad Pyramum fluvium, olim dicta Quinda, ubi asservabatur Alexandri M. pecunia, quam abstulit Antigonus; pòst vocata fuit Diocæsarea ab Augusto, qui huic plurima contulit beneficia cùm in Ciliciam venit anno 734. unde Epocham numeravit, ut rectè auguratus est Emin. Norisius. Hæc tandem terræmotu collapsa est, ad quam restaurandam Senatorem appellatum Anazarbam misit, qui eam de suo nomine appellavit, ut testatur Suidas.

Æræ Cap. 734.

ΠΥΡΑΜΟC ΤΩ ΑΝΑΖΑΡΒΩ ΕΤ. ΒΙΙΡ. *Pyramus Anazarbo anno* 182. Fluvius decumbens, dextrâ arundinem, sinistro cubito urnæ aquas vomenti innixo, tenet cornucopiæ. *Num. L. Veri.* 182.

Anazarbus L. Vero gratulari videtur per suos nummos, quòd Armeniam recuperaverit: hic enim Æræ urbis numerat annum 182. incidentem in annum U. C. 916. quo Priscus Veri Legatus Parthos ex Armeniâ expulsit, cùm hic Tribunitiam Potestatem tertiam A. D. V. Kal. Martii suscepisset. Anazarbus Pyramum fluvium in nummo, ad indicandum urbis situm, celavit: hic cornucopiæ gerit, ad denotandam rerum omnium per illum abundantiam.

ΑΝΑΖΑΡΒΩ ΕΤΟΥC ΒC. ΑΥΤΟΝΟΜΟC. *Anazarbo anno* 202. *sui juris.* Caput Jovis barbati. *Num. Commodi.* 202.

De Autonomiâ Anazarbo concessâ à Commodo, ut nobis indicant ejus nummi, in Urbibus suis legibus utentibus jam suprà diximus, nobis ut de anno quo cusus est nummus in ejus honorem proferamus, supereſt: ille Æræ annos numerat 202. qui si addantur ejus Epochæ capiti, efficient annum U. C. 936. quo Germani & Daci Imperium Commodi recusan-

tes, ab ejus ducibus victi sunt, & ille ob id appellatus est *Imperator VI.* Caput Jovis quem colebant Anazarbeni, in nummo signarunt, cui sacra pro Imperatore fecerant.

Eadem epigraphe circa nummi ambitum, laurea verò in quâ ΙΕΡΟC, id est *Sacrum. Num. ejusdem Commodi.*

Pythius Agon dicitur *Sacer*, quem Anazarbi anno 202. Æræ urbis celebratum indicat laurea, quam Pythicis ludis peculiarem fuisse nullâ de aliâ causâ existimat Pausanias lib. 10. quòd Daphnen Ladonis filiam adamatam ab Apolline fama vulgavit. Anazarbeni hos autem Ludos in honorem Commodi, qui se Apollinem vocabat, edidisse videntur, præsertim cùm eos Αὐτονόμους pronuntiasset.

ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ ΜΗΤΡΟ. Α.Μ.Κ. CΜΘ. *Anazarbus Metropolis Primæ Solæ*
249. *Ciliciæ anno* 249. Victoria in bigis. *Num. Alex. Severi.*

Anazarbum Metropolim Ciliciæ ab Elagabalo in odium Tarsi factam, ex Juliæ Paulæ ejus uxoris nummis novimus, ut & Primatum ab illo accepisse, sicut Tarsus à Sept. Severo facta erat Prima provinciæ, & plures urbes cum eâ de hac dignitate contenderent, se in nummis Primam Solam Ciliciæ inscripsit his litteris Α. Μ. Κ. Πρώτη Μόνη Κιλικίας. Anazarbus eas etiam prærogativas ab Elagabalo obtinuit, & Alex. Severo qui eum declaraverat Cæsarem, beneficiorum memor nummos dedicavit anno Æræ suæ 249. incidente in annum U. C. 983. quo ille ad bellum Persicum profectus est, & Victoriam in bigis, ejus quam de barbaris relaturus erat, nuntiam signavit.

ΑΝΑΖΑΡΒΟC ΜΗΤΡΟΠ. Β. Γ. ΕΤ. ΔΝC. *Anazarbus Metropolis Decreto*
245. *Senatûs anno* 254. Imperator in equo, dextrâ spiculum vibraturus in barbarum, Victoria volitans coronam ei præfert. *Num. Maximini.*

Urbes ut privilegia sua conservarent, Imperatoribus nummos dedicare solebant. Mortuo autem Alex. Severo, Anazarbus suos Maximino successori anno Imperii ejus primo percussit, ut denotat annus Æræ urbis 254. correspondens anno U. C 988. Autumno incipienti; Maximinus verò Imperium circa Octobris initium suscepit, cùm ille annus ad Autumnum 989. decurreret, & Maximinus Germaniam vastaret; ideò in equo barbarum profligans exhibetur, cui Victoria coronam porrigit.

ANAZAP. ENΔ. MHT. Γ.Γ. ET. HΞC. *Anazarbi Illustris Metropoleos Decreto Senatûs anno* 268. Victoria in bigis cum flagro. *Num. Q. Herennii.* 268.

Si omnes Imperatorum nummi ad nostras manus perveniſſent, egregiam de Urbibus hiſtoriam contexeremus: teſtes ſint illi, quos nobis de Anazarbo ſuppeditant Antiquariorum Cimelia. De Decio patre, uti de ejus filio Q. Herennio, ſunt ſuperſtites; nam hic eodem anno, nempe U. C. 1002. quo pater Imperium arripuit circa menſem Martium, cujus eſt, ſi annos Anazarbi 268. Æræ ejus initio 734. adjungamus. Victoria in bigis exhibetur, ut de barbaris prænuntia, quam Herennius cum patre relaturus putabatur.

ANAZAPBOT ENΔOΞ. MHTPOΠ. A.M.K. Γ.Γ. ET. BOC. *Anazarbi Illustris Metropoleos Primæ Solius Ciliciæ Decreto Senatûs an.* 272. Sex urnæ ludorum, tres ſuprà, & tres aliæ infrà. *Num. Valeriani.* 272.

Sex Anazarbi nummos in Valeriano deſcripſimus; ſed cùm eandem Epocham præferant, unum tantùm producimus. Cùm hîc nobis ſermo ſit de annis ab urbibus in nummis ſuis ſignatis, omnes habent annum 272. qui ex computo capitis Æræ 734. incidit in annum U. C. 1006. quo Valerianus Imperium ſuſcepit circa menſem Aprilem. Sex urnæ denotant ſex certamina quæ in Pythicis Ludis edebantur, primum de Muſicâ, ſecundum curſus erat Quadrigarum, tertium Armatorum, quartum Bigarum, quintum Pancratium, & ſextum de Picturâ. *Vide Pauſaniam.*

ANTIOXEIA ΣYPIAΣ.

Antiochia Syriæ ad Orontem duobus in nummis Imperatorum uſa eſt Epochis, Auguſtanâ nempe & Julianâ, ut ex eorum nummis eruitur. Poſteriorem priùs ſignata eſt ab anno Victoriæ Actiacæ 723. Autumno relatæ, in nummis ſcilicet Auguſti & Tiberii, initio ejus Imperii. Antiochenſes poſteà in honorem gentis Juliæ Imperii Fundatricis, in quam tranſierat Tiberius & ipſe Auguſtus, Julianam Epocham inſtituiſſe videntur ab anno 705. quo Julius Dictaturam inierat, cùm illorum Autonomiam Lege Dictatoriâ tam ſollenni confirmaſſet. At ſi Antiquarii inveſtigaſſent quamnam Antiochia ſub Julio, & deinde ſub M. Antonio, Epocham notaret, haud dubiè ex frequentibus & obviis illius urbis nummis illam Pompeii Æram continuaſſe obſervaſſent. Præ

Æræ Aug. Cap. 723.

manibus omnium teruntur nummi Antiochenſium cum capite Jovis ſine epigraphe, & ab alterâ parte Jupiter ipſe ſedens, dextrâ victoriam, ſiniſtrâ haſtam, cum inſcriptione, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. In ſequentibus annorum Autonomiæ eorum ſeriem vidimus, in aliis litteram Δ. in aliis Η. in aliis ΡΙ. in aliis ΘΙ. in aliis ΕΚ. & tandem ΑΑ. quæ copulatæ cum anno U.C. 691. Pompeianæ Æræ initio, annum habebunt U.C. 722. Victoriam Actiacam præcedentem. Cùm igitur Æra Auguſtana priuſquàm Juliana in nummis ſcripta ſit, & Imperatorum ordinem illa ſequatur, ab Auguſtanâ ordiemur.

ÆRA AUGUSTANA.

ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙϹ ΕΚ. *Pontificium* Coronam *Antiochenſes*
25. *anno* 25. Corona Pontificia cum epigraphe ΑΡΧΙΕΡΕΙ. *Num. Auguſti.*

Antiochenſes Auguſto gratulantes, quòd mortuo M. Lepido A. D. Prid. Id. Martii 741. Pontificatum maximum accepiſſet, coronam ei Pontificiam pro laureâ Imperatoribus dari ſolitâ, quotannis miſerunt. Id munus, Aurum coronarium appellat Capitolinus. Annus Epochæ, quem Antiochenſes in Auguſti honorem conſtituerunt, vocatur in nummis eorum argenteis tetradrachmalibus ΕΤΟΥϹ ΝΙΚΗϹ, anno ſcilicet Victoriæ Actiacæ ab anno U.C. 723. cui ſi addideris annos 25. in nummo ſignatos, annum habebis 747. cuius Autumno ille cœpit, & uſque ad ſequentem decurrit. Plurimi occurrunt Auguſti nummi cum diverſis Æræ illius annis & ſimili typo, ex quibus unum tantùm exhibemus.

31. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ ΑΑ. *Antiochenſium Metropoleos anno* 31. Caniſtrum fructibus plenum. *Num. ejuſdem Auguſti.*

Metropoleos tantùm dignitatem aſſumit in nummis Antiochia, nec ampliùs ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ prærogativam ſcripſit, cùm decreviſſet ΕΤΟΥϹ ΝΙΚΗϹ, nempe Actiacæ, in gratiam Auguſti Epocham conſtituere, ut diximus, Autumno U.C. 723. cui ſi adjungas annos 31. in nummo ſignatos, incides in annum 734. ab Autumno præcedentis inchoatum, quo Auguſtus Antiochiam venit. Illum quotidie magnificis fructibus accepiſſe Antiochenſes denotat Caniſtrum fructibus plenum in nummo cælatum, ut eorum in hortis & agris ſuis abundantiam demonſtrarent.

ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΜ. in vertice Α. *Sub Silano Antiochen-*

sium anno 45. Urbis, *primo* Imperii Tiberii. Laurea. 45.

Alter cum eâdem epigraphe & litteris ZM. in vertice r. *Anno* 47. 47.
Urbis, *tertio* Imperii Tiberii. Laurea. *Nummi Tiberii.*

Q. Cæcilius Metellus Creticus Silanus Conſulatum geſſit cum A. Licinio Nerva Siliano anno U.C. 760. ab Auguſto Præſes in Syriam Sulpicio Quirino ſucceſſor miſſus anno 765. ut ex Antiochenſium nummis ſub hoc Cæſare cuſis anno recentis Æræ 42. 43. 44. cum Jovis capite colligimus, & per Tiberianos illos, priorem nempe cum anno 45. & hujus Principis primo, poſteriorem verò cum anno 47. & ejuſdem Cæſaris tertio. Creticum per ſexennium adminiſtraſſe cognoſcimus, eumque è Syriâ ob ejus affinitatem cum Germanico ſubmotum à Tiberio refert Tacitus Annal. lib. 2. Antiochenſes plurimos nummos, præſertim argenteos tetradrachmales, cum Æræ ſuæ ſimul & Principum Imperii annis cuderunt. *Vide Neronis* Numiſmata Præſtantiora *in libro noſtro, edit.* 2.

EPOCHA JULIANA. Æræ Jul. Cap.

ΕΠΙ ΦΛΑΚΚΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΒΠ. *Sub Flacco Antiochenſium anno* 82. 705.
In laureâ. *Num. Tiberii.*

L. Pomponius Flaccus Conſulatum geſſit anno U.C. 770. Pomponio Græcino fratri ſuffectus à Tiberio cui erat familiaris, in Syriam Præſes mittitur anno 775. Sentio Saturnino ſucceſſor. Antiochenſes, Epochâ Julianâ in Tiberii honorem in quam tranſierat, inſtitutâ, annum illius 82. ab anno U.C. 705. cœptâ, ſub Flacco Præſide ſignarunt; qui anni ſi ſimul jungantur, erit annus 786. quo jam ille Syriæ Rector undecimum annum in adminiſtratione tranſegerat; ſi quidem ille paulò ante Autumnum mortuus eſt, ex Tacito Annal. Corona laurea, pro Pontificiâ, quæ quotannis Cæſaribus ab Antiochenis proferebatur. 82.

ΕΠΙ ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ 9. *Sub Petronio Antiochenſium an.* 90. 90.
In laureâ. *Num. Claudii.*

P. Petronius, cujus Conſulatus ignoratur, Vitellio in Syriæ adminiſtratione ſucceſſit, à Caligulâ miſſus anno 792. ſed ipſo mortuo, mox Antiochenſes Claudio Imperatori ſuos nummos cuderunt ſub ipſo Petronio, anno Epochæ Julianæ 90. Juncto autem anno ejus initii 705. erit annus U.C. 794. quo A.D. nono Kal. Febr. Caligula occiſus eſt, & eodem die Clau-

dius salutatus est Imperator. Hic altero anno, nempe 795. Petronium è Syriâ amovit, & Vibium Marsum ei subrogavit, cujus nummi hactenùs ad nos haud pervenerunt, cùm breviter postulante Rege Agrippâ revocatus sit à Claudio. Corona ex lauro eâdem de causâ quam protulimus, ab Antiochensibus cælata est.

96. ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ϛϑ. *Sub Cassio Antiochensium anno* 96. In laureâ. *Num. ejusdem Claudii.*

L. Cassius Longinus Consulatum gessit cum Vinicio Quartino anno U. C. 783. Vibio Marso successor Syriæ administrandæ datus est à Claudio anno 798. Antiochenses autem cùm quotannis coronam Imperatori mitterent, & in ejus rei memoriam nummos cuderent, hic nobis superstes annum Æræ Julianæ signat 96. qui cum illius initio copulatus, denotat annum U. C. 800. quo sub Cassio corona sub anni principio ad Cæsarem missa est.

Cùm successor Cassio in Syriâ regendâ datus sit ab eodem Claudio Vimmidius Quadratus, quamvis non habeamus Antiochensium nummos cum effigie Claudii & ejus Præsidis, tamen cùm tres Æræ Julianæ insignes & quidem diversos possideamus, in gratiam Antiquariorum, hîc eos exponere nobis liceat.

104. ΕΠΙ ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ ΕΤ. ΔΡ. *Sub Quadrato anno* 104. In altero ΕΤ. ΕΡ. *anno* 105. In tertio ϛΡ. *anno* 106. In omnibus Aries currit, retrò se aspiciens Solem & Lunam crescentem: ex anteriori parte caput turritum cum epigraphe ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ.

C. Vimmidius Durmius Quadratus Consul suffectus in locum Cassii, Syriæ administrandæ Præses à Claudio lectus est
105. anno U. C. 803. Prior autem Antiochensium nummus sub ejus nomine cusus anno Epochæ Julianæ 104. incidit in annum U. C. 807. quo A. D. III. Id. Octob. Claudius mortuus est, & Nero Imperium suscepit. Alter anno U. C. 808. & tertius 809. &
106. Quadratus Imperium in Syriâ usque ad annum U. C. 813. quo in provinciâ mortuus est. Typus Arietis cum Sole & Lunâ crescente in Antiochensium nummis obvius & frequens nos induxerat ut annum Antiochensium ad vernum tempus incipere dixerimus, sed in memoriam Kalendarii à Julio Cæsare reformati, cùm annum luxatum è lunari in solarem mutasset;

quare Sol & Luna in nummo signantur: Aries verò, quòd vernum tempus designat, sedem etiam suam mutaverat, & sic omnis ordo temporum per eum hoc anno restitutus esse denotatur. Quadrato successit Cn. Domitius Corbulo in Syriâ administrandâ, morte illius vacuâ, ex Tacito lib. 14. sed Corbulonis nummi ad nos hactenus haud pervenere.

ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ. ΑΙΡ. *Sub Cestio Antiochensium an.* 114. In laureâ. *Num. Neronis.* 114.

C. Cestius Gallus Consul fuit suffectus; sed quo anno, ignoratur: à Nerone Imperatore Præses in Syriam missus anno U. C. 816. Corbuloni successor, cui copiæ militares erant permissæ datus; Corbulo anno U. C. 819. revocatus, in Græciâ se occidit. Hic nummus sub Cestio ab Antiochensibus percussus Neroni, annum Æræ Julianæ denotat 114. qui si copuletur cum illius capite 705. erit annus 818. cujus Autumno Æra cœpit, & sequente Cestius fato aut tædio defunctus est.

ΕΠΙ ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ. ΖΙΡ. *Sub Muciano Antiochensium an.* 117. In laureâ. *Num. Galbæ.* 117.

P. Licinius Mucianus Consul suffectus ex Kal. Jul. anni 807. per quatuor menses magistratum iniit, Cestio successor in Syriam à Nerone missus anno 820. Antiochenses cùm coronam Imperatori novo Galbæ donarent, ejus memoriam in nummis sub Muciano consignarunt anno Epochæ Julianæ 117. qui si addatur ejus initio ab anno 705. assignato, erit U. C. 821. & A. D. XVII. Kal. Februarii sequentis occisus est Galba.

Observandum est omnes nummos Antiochensium superiores cum Syriæ Rectorum nominibus in honorem Imperatorum cum Ærâ Julianâ percussos, Latinam Imperatorum præferre epigraphem, aliquando litteras s.c. in aliis appositas, ut in Othonianis, & sub Flaviis in parte eorum nummorum aversâ Latinè scripserunt ANTIOCHIA, ad indicandum quòd illi confirmassent facultatem ipsi à Senatu cudendæ monetæ concessam, quando Syria facta est Romana Provincia. Sed Hadrianus hæc privilegia illis sustulisse videtur, ut innuit Spartianus in ejus Vitâ. *Antiochenses ita odio habuit, ut Syriam à Phœnice separare voluerit, ne tot civitatum esset Metropolis.* Quod confirmant nummi Hadriani ab Antiochensibus signati cum epigraphe ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, & ab hoc tempore

nullatenus Latinè scripserunt, etiamsi Antiochia facta fuerit Colonia sub Caracallâ, sub quo & deinceps exhibent ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ. tantummodò S.C. litteris retentis. In minutis nummis Julianam ferè semper Epocham adhibuit, sed in majoribus rarissimè. In Alex. Severo ΔΟC. annum 274. tantùm in libro nostro de Coloniis observavimus.

ΑΝΤΙΟΧΕΙΑ ΠΡΟC ΙΠΠΟΝ.

Antiochia ad Hippum, Cœlesyriæ urbs ad montem ejus nominis sita, priùs Hippus, ut videtur, vocata, & ab Antiocho Magno qui Cœlesyriam invasit, Antiochia forsan nominata, cum aliis Cœlesyriæ civitatibus à Judæis occupatis proprio parere Præsidi jussa est: unde ab eorum servitute liberata, in ejus memoriam dinumerare Æram novam decrevit, anno nimirùm U. C. 691. quo Pompeius Syriam universam Populi Romani provinciam constituit.

Æræ Cap. 619.

ΑΝΤΙΟΧ. ΠΡ. ΙΠ. ΙΕΡ. ΑCΤΑΟC ΘΚC. *Antiochia ad Hippum Sacra Inviolata anno* 229. Mulier capistro equum retinens, sinistrâ cornucopiæ. *Num. M. Aurelii, & alius similis L. Veri.*

229.

Antiochia ad Hippum Sacra & Inviolata dicitur; Asyli autem prærogativam ab Antiocho Magno accepisse videtur, Cœlesyriâ ab eo occupatâ, quam illi confirmavit Pompeius, cùm Antiochiam à Judæorum servitute vindicavit. Annum Epochæ 229. in nummis signat, correspondentem anno U.C. 920. quo M. Aurelius cum L. Vero de Armenis & Parthis triumphavit; ideò utrique Imperatori nummos suos dicat Antiochia, & ad notandam urbis suæ antiquitatem exhibet Semiramim Reginam Fundatricem equum capistro tenentem, quòd Ἵππος Latinè sit equus.

ΑΝΤΙΟΧ. ΠΡ. ΙΠ. ΙΕΡ. ΑCΥΛΟC ΑΥΤ. CΜΗ. *Antiochia ad Hippum Sacra Inviolata suis legibus utens anno* 248. Typus ut suprà. *Num. Commodi.*

248.

Hic Antiochiæ nummus Pompeium, cùm eam à servitute Judæorum liberavit, ipsi non modò Sacræ & Inviolatæ prærogativas confirmasse, sed ut suis legibus uteretur concessisse, nos edocet, in cujus rei memoriam annos deinceps numeravit, hic quo nummum Commodo percussit, erat 248. incidens in annum U.C. 939. quando Imperator contra barbaros profecturus, cohortes allocutus est, ut testantur nummi S.C.

signati. Typus mulieris equum capistro tenentis, ad denotandam urbis antiquitatem, ut suprà diximus, videtur in nummo appositus.

ΑΠΑΜΕΙΑ ΣΥΡΙΑΣ.

Apamea Syriæ ad Axium fluvium, priùs Pella, deinde Apamea à Seleuco de nomine uxoris Apames dicta, primò Ærâ Seleucidarum usa est, ut disertè Em. Card. Norisius in lib. *de Epochis Macedonum*. Plurimi sunt nummi, alii Regii, in quibus eandem sequitur usque ad Augustum, in cujus honorem, ut Antiochia & Seleucia, Augustanam à Victoriâ Actiacâ anno U. C. 723. ab illo contra M. Antonium relatâ, dinumeravit. Æræ Cap. 723.

ΑΠΑΜΕΙΑΣ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ Κ. ΑΣΥΛ. ΓΚ. *Apameæ Sacræ & Inviolatæ anno* 23. Victoria gradiens, d. coronam, s. palmam. *Num. Augusti.* 23.

Apamea Sacra Inviolata, in quibusdam nummis utens suis legibus, perhibetur, cùm priùs à Macedonibus Pella in honorem patriæ Alexandri M. diceretur; eam deinde Seleucus mœniis & civibus auxit, sed conservatis nempè Sacræ & Asyli prærogativis, addidisse videtur ut suis uteretur legibus, unde Epocham Seleucidarum assumpsit; quæ privilegia cùm Augustus in plurimis Asiæ urbibus confirmasset, illa aliarum exemplo Augustanam instituit Epocham, cujus annum 23. in nummo signavit, qui additus Victoriæ Actiacæ anno 723. cadit in annum U. C. 745. quo Augustus Imperator XIII. dictus est, in cujus memoriam Apameni Victoriam in eo exhibuerunt.

Alius ΗΚ. *Anno* 28. Caput mul. velatum & turrit. *Num. ejusdem.* 28.

Apameni, ut Phraatem Parthorum Regem in Armeniam irruere intellexerunt, si Syriam posteà ingredi vellet, se erga Romanos in fide mansuros palàm testati sunt; ideò Augusto nummos cuderunt cum Genio urbis capite turrito, ad denotandam eam validis muris cinctam esse, cujus situm optimè tutum vide apud Strab. lib. 16. Apameni annum recentis Epochæ 28. in nummo exhibuerunt, qui cum ejus initio 723. efficit annum U. C. 750. in cujus Autumno cœpit Apameæ annus usque ad Autumnum anni 751. decurrentis, inter quod tempus Phraates Armeniam invasit.

ΑΡΑΔΟΣ.

Aradus Phœniciæ urbs vetustissima in insulâ continenti proximâ, si quidem ab Aradio Noëmi pronepote nomen habuisse

dicitur, ab hoc tempore varios experta dominos, tandem Seleucidis paruit, sed ab Antiocho Deo Autonomiâ obtentâ, ipsis deinceps ut amicis obtemperavit, referente Strabone lib. 16. Seleucus Callinicus ejus filius ei Asyli privilegium concessit, eodem teste; à quo tempore, olim urbem annos computare ex ejus nummo argenteo existimavi, sed plurimis deinde observatis Imperatorum æreis nummis cum ejus annis diversis, Em. Norisius eam ab anno U. C. 495. annos computare ab obtentâ Autonomiâ rectè auguratus est lib. *de Epoch. Syromaced.*

Æræ Cap. 495.

352. ΑΡΑΔΙΩΝ ΒΝΤ. *Aradiorum* 352. Vas inter duas Sphinges cum duobus palmarum ramis hinc & inde. *Num. Domitiani.*

Aradii ut & alii Syriæ & Phœnices populi nummos cum Imperatoris effigie signare soliti, hunc cum Domitiani vultu repræsentarunt anno Epochæ 352. quam ab Autonomiâ numerabant anno U. C. 495. qui simul juncti dant annum U.C. 846. quo Domitianus Imperii annum 12. Id. Septembris compleverat. Vas & palmæ certamen indicant, in quo proponebantur ænigmata per illas Sphinges designata, quòd Sphinx cùm à Musis ænigmata didicisset, ea proponere dicta est.

372. ΑΡΑΔΙΩΝ ΒΟΤ. *Aradiorum an.* 372. Bos cornupeta. *Num. Trajani.*

Annus Autonomiæ Aradiorum 372. in nummo Trajani signatus, ex computo anni ejus initii 493. respondet anno U.C. 866. quo ille Autumno cœpit, & ad Autumnum anni sequentis 867. intra cujus spatium Armenia & Mesopotamia factæ sunt ab eo provinciæ Romanæ, in cujus lætitiam Aradii spectacula vel certamina celebrasse videntur, ut Bos cornupeta in eorum nummis indicat.

374. ΑΡΑΔΙΩΝ ΔΟΤ. *Aradiorum an.* 374. Mulier dextrâ temonem supra quem sedet, lævâ cornucopiæ. *Num. ejusdem Trajani.*

Aradii nummos quotannis Trajano cudisse videntur, saltem cùm ille Parthos finitimos bello lacessierit: hic enim illi Parthici nomen tribuit, quod accipit labente anno 868. in cujus Autumno annus Aradiorum incepit, & ex computo cum Æræ initio respondet anno U. C. 869. Fortuna in aversâ nummi parte ab Aradiis sculpta est, seu quòd urbis suæ tutelaris esset Dea, seu quòd Fortunæ sedentis lemmate firmam & stabilem Trajani fortunam esse denotarent, cùm illa semper pergens aut recta depingatur.

ΑΡΑΔΙΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ϛΤ. *Aradiorum & Laodicenſium*, ſubaud. *Concordia, anno* 390. Duo capita turrita ex adverſo. *Num. Hadriani.* 390.

Inter urbium ſocietates hunc nummum jam retulimus: ſed ut aliquid de Aradiorum, qui nummum cuderunt, Epochâ loquamur, nobis ſupereſt. Aradus quidem annum 390. ſignat, qui ſi addatur ejus initio anni 495. dabit annum U. C. 885. in cujus Autumno cœpit, & per annum 886. decurrit, quo Hadrianus Romam reverſus eſt, ex Inſcriptione Gruteri; & Aradii cum Laodicenis Syriæ hac de re ei gratulantur. Pro typo, uterque urbis Genium depinxit, & quidem capite turrito, ad denotandum civitates ſuas contra barbaros turribus probè munitas eſſe.

ΑΡΑΔΙΩΝ ΑΚΤ. *Aradiorum* 421. Templum quatuor columnarum, in quo Aſtarte, dextrâ caput humanum, ſiniſtrâ haſtam. *Num. M. Aurelii.* 421.

Al. cum eâdem Epochâ, & Fortunâ ſedente. *Num. M. Aurelii cum capite L. Veri adverſo.*

Aradii nummos ſuos M. Aurelio dedicarunt, ut & Imperii ſocio L. Vero, eodem Autonomiæ anno 421. qui cum initio ejus obtentionis, nempe 495. junctus, annus erit U. C. 916. ad Autumnum inchoans, quo utrumque Cæſarem congratulantur, quòd Priſcus eorum Legatus Armeniam receperit, & Vologeſem Parthorum Regem in Meſopotamiam ſubmoverit. Aradii in nummis ambobus tutelares ſuas Deas, Aſtarten nempe & Fortunam, exhibuerunt, quibus ſacra pro ſalute & rebus Imperatorum ſecundis feciſſent.

ΑΡΑΔΙΩΝ Ε. ΖΟΤ. *Aradiorum an.* 477. Palma arbor, à dextris leo, & bos à ſiniſtris, ponè utrumque, ſignum militare. *Num. Elagabali primæ formæ, in Gaza Regia, à nobis omiſſus.* 477.

Exorto in Syriâ inter Macrinum & Elagabalum bello, cùm allati de ſuperato Macrino fuere in Phœniciam nuntii, mox Elagabalo acclamarunt Aradii, nummoſque ipſi cuderunt. Hic annum nempe ſuæ Autonomiæ 477. U. C. anno 972. reſpondentem exhibet, quo Elagabalus Tribunitiam Poteſtatem ſecundam jam ſuſceperat, & ut obſequium ſuum cum Legionariis in urbe hiberna agentibus teſtarentur, hunc typum percuſſerunt. Palma arbor, urbis eſt ſymbolum; quo pleræque

Phœniciæ urbes utebantur, quòd Φοινὶξ arbor provinciæ Phœniciæ nomen dederit. Leo, insigne est Legionis Flaviæ, ut notavimus in Gallieni Nummis pag. 372. Bos, alterius Legionis ex Coloniis Romanis conscriptæ pariter insigne est; quæ omnia confirmant Legionum signa hinc & inde leonem & bovem comitantia.

ΑΡΕΘΟΥCΑ.

Arethusa Syriæ urbs, prius Gammarus dicta Straboni, hoc nomine data apud Appianum à Seleuco Nicatore in memoriam Arethusæ Macedoniæ civitatis non procul ab ostiis Strymonis fluvii sita, deinde Phœniciæ sub Imperatoribus adjuncta est cum Emesâ, cujus regnum sibi constituerat Sampsiceramus Arabum Philarchus, quando Antiochi Grypi & Antiochi Philopatoris fratrum dissidia ad filios cum rabie leviore transegissent, sub quibus Seleucidarum Imperium excidit, & plurimæ illius urbes à proximis Principibus occupatæ sunt. Arethusa novo patrono subjecta, novam inde Epocham anno U.C. 685. computavit, quam sub Imperatoribus etiam conservavit.

— Æræ Cap. 685.

285. ΑΡΕΘΟΥCΑΤΩΝ ΕΤΟ. ΕΠΣ. *Arethusatarum an.* 285. Gammarus *Num. Diadumeniani Cæsaris.*

Arethusatæ mox cùm ab exercitu Syriaco Imperium Macrino post Caracallæ mortem fuisset delatum, nummos ejus filio Diadumeniano cuderunt, ut denotat annus suæ Æræ 285. qui adjunctus anno ejus initio 685. incidit in annum U.C. 970. quo mense Aprili pater ejus Imperium susceperat: cùm enim Elagabalus Emesæ civis, factione matris & aviæ Imperator contra Macrinum appellatus esset, Arethusatæ ab Emesâ M. P. XVI. distantes illius partes subitò deseruerunt. Gammarus, antiquum urbis insigne est, cùm priùs Gammari urbs diceretur. Ἀρεθοῦσα ἡ Γαμβάρου, *Arethusa quæ Gambari est*, apud Strabonem lib. 16. pag. 753.

ΑΣΚΑΛΩΝ.

Ascalo, urbs maritima Palæstinæ antiquissima, de quâ vide Stephanum, una fuit ex quinque Philistinorum Satrapiis, in Assyriorum, dein Persarum dominium venit, tandem ab Alexandro capta, sub Ptolemæo fuit, quam Syriæ adjecit Antiochus Magnus, & in successorum dominio mansit usque ad tempora belli civilis inter Antiochos Epiphanem & Philopatorem fratres,

quibus se in libertatem vindicavit, ut in nostrâ Regum Syriæ Historiâ pag. 351. retulimus, anno 10. Olympiadis CLXIX. & U. C. 650. C. M. Nepote & C. Flavio Coss. Autumno scilicet, ut nummis sequentibus demonstratur. Æræ Cap 150.

ΑΣΚΑΛΩ. ΓΡ. *Ascalonitarum anno* 103. Semiramis capite turrito stolata stans, dextrâ hastam, sinistrâ acrostolium, in areâ sceptrum, inde columba. *Num. Augusti.* 103.

Cùm Parthi sub Augusto Armeniam invasissent, Caius Cæsar Agrippæ filius, ab Augusto adoptatus, Consul anno 753. ut ab bellum Armeniacum proficisceretur, à patre creatur, in Syriamque venit. Ascalonitæ Imperatori obsequium per nummos testantes, hoc anno eum cuderunt: nam annus Æræ suæ 103. cum illius capite 650. copulatus, annum U. C. 753. efficit. Semiramis frequens in Ascalonitarum nummis depingitur, cùm hæc Assyriorum Regina fuerit Ascalonita, cujus memoriam perpetuò colerent.

ΑΣΚΑΛΩ. ΑΛΡ. *Ascalonitarum anno* 131. Semiramis ut suprà. *Num. Tiberii.* 131.

Ascalonitæ plurimos Tiberio Imperatori nummos haud dubiè cuderunt, sed hic tantùm ad nostras hactenus pervenit manus, anno Æræ suæ 131. signatus, qui ex computo illius capitis dat annum U. C. 781. quo Tiberius Tribunitiam Potestatem XXX. ad V. Kal. Julii susceperat. Semiramis eadem tenet hastam dextrâ, cùm fuerit bellatrix, & in Indiam usque profecta sit. Acrostolium lævâ gerit, ad indicandum urbis ad mare situm; si quidem Semiramis ipsa navis proræ insistit, id confirmans.

ΑΣΚΑΛΩ. ϚΝΡ. *Ascalonitarum anno* 156. Semiramis ut suprà. *Num. Claudii.* 156.

Claudii nummus ab Ascalonitis anno Æræ suæ 156. percussus, cum ejus initio 650. dat annum U. C. 856. quo ille cœpit ab Autumno, forsan Imperatori ob matrimonium Neronis ejus filii adoptivi cum filiâ Octaviâ gratulantes. Semiramis turrito capite in nummo prodit, quòd validis muris Ascalonem suam patriam circumdari jussit: illa autem Babylonem superbè ædificavit; sed opera illius admiratione digna lege apud Strab.

ΑΣΚΑΛΩ. ΑΟΡ. in alio ΒΟΡ. *Ascalonitarum* 171. & 172. Typus ferè idem. *Nummi Neronis.* 171. 172.

Aſcalonitæ ſuos etiam dicarunt Neroni nummos. En unus nobis ſuperſtes cum anno Æræ ſuæ 171. qui ſi addatur Epochæ initio 650. efficiet annum U.C. 821. poſtremo Imperii anno cùm à morte Claudii A. D. III. Id. Octob. U.C. 807. illud auſpicatus fuerit. Ante Semiramidis iconem in areâ à dextris ſceptrum conſpicitur, ipſius nempè inſigne, cùm Aſſyriorum Regina fuerit per Ninum qui eam duxit in uxorem.

172. ΑΣΚΑΛΩ. ΒΟΡ. *Aſcalonitarum anno* 172. Mulier inſidet temoni, cujus ſupremam partem dextrâ tenet, ſiniſtrâ cornucopiæ. *Num. Veſpaſiani pag.* 15. *Neroni tributus.*

Plerique Aſcalonitarum nummi cum ſolâ epigraphe ΣΕΒΑΣΤΟΣ, Imperatorum effigies exhibent, ſed ita rudi arte ſcalpti ſunt, ut vix dignoſci poſſint, quòd nos hunc tribuerimus Neroni, qui ad Veſpaſianum ſpectat ex computo annorum 172. eorum libertatis cum initio illius ad annum U. C. 650. probè aſſignato; nam ſimul juncti componunt annum 822. quo exercitus Syriacus & Judaïcus cum A. D. Kal. Julii Auguſtum ſalutavit.

175. ΡΟΕ. *Anno* 175. Caput Veſpaſiani laureatum, ſine aliâ epigraphe. *Nummus Neroni malè tributus pag.* 15.

ΑΣΚΑΛΩ. *Aſcalonitarum.* Semiramis ut ſuprà, in areâ Columba.

Aſcalonitæ annum 175. ab Autumno U. C. inchoarunt, eoque tempore hanc ſignaſſe videntur, Imperatori gratulantes ob ampliſſimum de captâ Judæâ triumphum hoc anno editum. Cur Columba in Aſcalonitarum nummis cum Semirami ſemper depingatur, cùm expiraſſet, in columbam eſſe verſam dicunt, ideò Aſcalonitæ ab his avibus abſtinent: alii expoſitam à matre nutriiſſe columbas primùm lacte, deinde caſeo, poſteà à pecudum ductore inventam, Semiramidis nomen habuiſſe; ideò Syrorum linguâ à columbis derivatum.

182. ΑCΚΑΛΩ. ΒΠΡ. *Aſcalonitarum anno* 182. Semiramis ut ſuprà. *Nummus Titi cum epigraphe*, ΤΙΤΟC CΕΒΑC.

Hic primus Aſcalonitarum nummus Imperatoris nomen ſcripſit, ſolâ annorum libertatis ſuæ epigraphe in ſuperioribus contenti. Exhibet annum 182. qui ſi copuletur cum illius initio ad annum U. C. 650. aſſignato, dabit annum U. C. 832. quo mortuus eſt Veſpaſianus A. D. VIII. Kal. Jul. & Titus Romanum Imperium ſolus tenuit, & Auguſtus Pontifex Maximus & Pater Patriæ dictus eſt, decurrente Aſcalonitarum anno 182. uſque ad Autumnum.

ΑCΚΛΛΩ. ϟΡ. *Ascalonitarum anno* 190. Mulier ut suprà. *Num. Domitiani.* 190

Mulierem istam diximus esse Semiramidem, alii urbis Genium esse putant: hastam habere paratam ad Imperium defendendum, lævâ acrostolium ad urbis situm declarandum, ut & proram navis cui insistit; turribus esse ornatam, quòd validis muris urbs cincta sit; sceptrum in areâ, quòd olim regia fuit; & columbam, urbis esse stemma, ut Babylonis esse vexillum, teste Diodoro. Ascalonitæ Domitiano nummos cuderunt anno libertatis suæ 190. incidente in annum U. C. 839. Autumno, & ad Autumnum 840. decurrente, forsan ei gratulantes, quòd primus Agonem Capitolinum constituisset.

ΑCΑΚΛΩ. ΕΝC. *Ascalonitarum anno* 255. Venus cælestis cum crescente Lunâ in capite, insidens monstro marino concham tenenti, dextrâ columbam, sinistrâ hastam. *Num. Ant. Pii.* 255.

Ascalonitæ plurimos Antonino Pio nummos optimo Imperatori cuderunt. Hic præfert eorum libertatis annum 255. incidentem ex illius computo in annum U. C. 905. quo Tribunitiam Potestatem XV. gerebat. In aversâ nummi parte Venus cælestis signatur, ut crescens Luna in capite denotat, quam primi hominum Assyrii coluerunt, à quibus Phœnices in Palæstinâ Ascalonem urbem incolentes, sacrorum ritum acceperunt, ex Pausania in Atticis. Illi templum mox erexerunt, quod deinde deprædati sunt Scythæ, apud Herodotum lib. 1. Insidet monstro supremo corpore mulieris formam habenti, infimo piscem, quòd illa ad flumen Euphratem cùm venisset, repente Typhonem apparuisse, Venerem tunc in flumen se projecisse, ibi figuram in piscis formam mutasse, quo facto, periculo esse liberatam, apud Hyginum. Eratosthenes autem ex eo pisce natos homines dicit; unde Tritones & Naiades forsan. Alii Atergatin, quæ est Decerto Semiramidis mater, esse putant. Columba, quòd Veneri dicata sit, & currus ejus à columbis vectus dicitur ab Apuleio.

ΑCΚΛΛΩ. ϛΝC. *Ascalonitarum anno* 256. Figura muliebris turrita insistens proræ, ut suprà. *Num. ejusdem Ant. Pii.* 256.

Uno anno tardiùs anteriore cusus est hic Ascalonitarum nummus cum effigie Antonini Pii, non videtur quâ de causâ percussus sit, unde plerosque Imperatoris imagine tantùm in-

signes sine ullo eorum gestorum discrimine quotannis pro monetâ urbis signari existimamus, in quibus aliquod illius tutelare numen sæpè repræsentatur, aut aliud quidvis ad urbem spectans.

262. ACKAΛΩ. BΞC. *Ascalonitarum anno* 262. Neptunus stans cum strophio, pede dextro saxo imposito delphinem tenet, sinistrâ tridentem. *Num. ejusdem Antonini Pii.*

Ascalonitæ Neptunum urbis tutelare numen ut maritimi in nummo exhibent: nam etsi à mari quibusdam milliaribus olim distarent, navale tamen habebant. Nummus annum Ascalonitarum 262. præfert, qui cœpit ab Autumno U. C. 911. usque ad Autumnum 912. decurrentem, quo Vota soluta II. Decennalia, & suscepta Decennalia III. Antonini Pii, ex quibus S. C. nummi cusi sunt, PRIMI DECENNALES, SECVNDI DECENNALES.

301. ACKAΛΩ. AT. *Ascalonitarum anno* 301. Mulier tunicata cum cippo seu crescente Lunâ in capite, monstro supremâ corporis parte mulieri, infimâ pisci, concham tenenti, insistit, dextrâ columbam, sinistrâ hastam. *Num. Sept. Severi.*

Nummus hic Ascalonitarum cum Septimii Severi imagine annum eorum libertatis exhibet 301. in U. C. 951. incidentem, ab Autumno jam præcedentis inchoantem. Hoc anno Severus Romæ Caracallam Augustum, & Getam Cæsarem declaravit. Typus nummi iterùm exhibet mulierem monstro marino insistentem, quam Venerem cælestem diximus, supra piscem qui eam à Typhone servavit, quam alii Derceto Semiramidis matri attribuunt; sed cur concha ei tribueretur, aut Dea Deam ab Ascalonitis summopere cultam pedibus calcaret: sed in sequenti nummo reliqua.

ACKAΛΩ. AKT. *Ascalonitarum anno* 321. Similis ferè typus. *Num. Elagabali.*

Ascalonitæ Elagabalo, mox superato & occiso Macrino, acclamarunt ex nummo quem anno libertatis suæ 321. cuderunt:

321. nam ex computo ejus Æræ cœpit Autumno anni U. C. 970. & Macrinus A. D. VII. Junii 971. occisus est Macrinus. De muliere monstro marino insistente audiamus Theonem, qui in Aratum Græca scripsit Commentaria. Quidam (ait) Ἀέρμην Veneris filiam dixere, quæ in mare prolapsa, à piscibus ser-

vata est : unde in ejus Deæ honorem Syrii piscibus abstinent ; an non ipsa à Tritone aut Nereide servata aut gesta exhibetur. Columba Veneri dicata est.

ACKAAΩ. BAT. *Ascalonitarum anno* 332. Caput Minervæ galeatum. *Num. Alex. Severi.* 332.

Annus libertatis Ascalonitarum 332. respondet anno U. C. 982. quo Persæ Mesopotamiam ingressi, Romanorum provinciam vastabant : at cùm Alexander Severus ad hunc nuntium se accingebat ad bellum iis inferendum, Ascalonitæ Minervam in nummis suis, quam Imperatori comitem optabant, quòd bello præesset, cudisse videntur, cujus cultum sub Alexandro M. receperant ; ideò altero Alexandro dicabant.

ATTOYCTA.

Augusta, Ciliciæ urbs est Ptolemæo lib. 5. cap. 5. quam in Bryblice ejus provinciæ regione collocat : hæc autem erat cum Lacanatide ditionis Antiochi Regis Commagenæ, ut confirmat ejus Principis nummus cum epigraphe AAKANATΩN. Utraque regio, ut & regnum Commagenæ, Romanis accessere anno U. C. 771. Post mortem illius Principis, teste Tacito Annal. lib. 11. Commagenis Q. Servæus præponitur, tum primùm ad jus Prætoris translatis : unde Augusta, Bryblices caput, in Romanorum potestate esse gaudens, suos deinceps annos dinumeravit. Ærææ Cap. 771.

ATTOYCTANΩN ET. BKC. *Augustanorum anno* 222. Mercurius stans cum crumenâ & caduceo. *Num. Gordiani.* 222.

Augustani, ut obsequium suum erga Gordianum Pium demonstrarent, nummos illi percusserunt Ærâ annorum suorum 222. signatos, qui U. C. 993. correspondent. Eorum initium fuit illius ab Autumno ad similem anni 994. tempestatem decurrens, cùm Tribunitiam Potestatem tertiam gereret. Mercurius ut tutelare urbis numen in nummo exhibetur.

BOTPYC.

Botrys Phœniciæ urbs maritima, ab Ithobalo Tyriorum Rege condita est, ut refert Josephus ex Menandro lib. 8. Antiq. cap. 7. *Hic Botrym in Phœnice condidit.* Sed temporis lapsu multas passa est mutationes, tandem avulsa à Ptolemæis per Antiochum Magnum, ex Polybio lib. 5. *Berytum venit, & in transitu Botrym occupavit.* Hæc mansit in Seleucidarum Imperio usque ad dissidia Antiochorum Regum, sub quibus divulsum est ; deinde Thraco- Ærææ Cap. 705.

nitidis & Iturææ Dynastæ occuparunt Gigartum, Botrym & alias urbes, quas Pompeius tandem evertit: at cùm Julius Cæsar ex Ægypto anno U. C. 707. per Syriam exercitum duceret, Botryenis qui ipsi acclamaverant, mox Pompeio devicto ut urbem ædificarent permisit, unde à primâ Julii Dictaturâ, ut Antiocheni, Æram anno U. C. 705. computarunt.

270. ΒΟΤΡΥΗΝΩΝ. ΟC. *Botryenorum anno* 270. Templum sex columnarum, in quo Astarte stans. *Num. Elagabali.*

Botrys cùm esset Phœniciæ urbs, nummos suos Phœnicio Imperatori Elagabalo dicare voluit, annumque Æræ suæ numeravit 270. qui junctus cum illius initio anni U. C. 705. incidit in annum 976. inchoantem Autumno, qui excurrit ad Autumnum anni 975. quo Elagabalus. Templum Astartes, ejus antiquitatem & cultum in urbe indicat. Ithobalus ex Sacerdote Astartes factus Tyriorum Rex, postquàm interfecisset patruum, cultum Botry instituit cùm eam condidit.

ΒΥΒΛΟΣ.

Byblus urbs Phœniciæ, in altitudine quâdam parùm longè à mari, à Saturno condita, inde antiquissima, cujus tres affert urbis etymologias Stephanus de Urbibus, post plurimos casus Ptolemæis cessit, quam Antiochus Magnus Philopatori eripuit, & Seleucidis deinde paruit usque ad bellum civile Antiochorum fratrum, quam tyrannide oppressam liberavit Pompeius, illum securi percutiens. Byblus libertate recuperata, Æram numerare potuerat, sed sub Augusto tantùm illam computavit, dum ΙΕΡΑΝ pronuntiavit, ut nos docet ejus Principis annus, in quo solito modo scribitur ΒΥΒΛΙΩΝ, & in sequentibus usque ad Gallienum semper ΙΕΡΑC ΒΥΒΛΟΥ solâ hac prærogativâ contenta, ut Metropolis ab eodem Imperatore facta Sacra: sed cùm unus tantùm extat Elagabali nummus, cùm Æra occurrit, annum ejus firmare non facile est, ad annum U. C. 748. retulimus.

Æræ Cap. 748.

224. ΒΥΒΛΟΥ ΙΕΡΑC ΑΚC. *Bybli Sacræ anno* 224. Mulier turrita insidens rupibus in templo quatuor columnarum, pro pedibus fluvius emergens. *Num. Elagabali.*

Byblus, Phœniciæ urbs, Phœnicio Elagabalo gratulans nummos dicavit cum typo Genii urbis, cui templum ut Antiochiæ civitatis Genio in libro nostro de Coloniis constructum protulimus. Fluvius Adonis pro pedibus ejus emergit.

Æra

Æra annum 224. signat, à quo tempore facta est ab Augusto Sacra; sed quo anno, non certum est, ad U. C. 748. eam indicavimus, quando Caius & Lucius Cæsares facti sunt Principes Juventutis. Si copules hos annos, habebis annum U. C. 971. ad cujus Autumnum cœpit annus Bybliorum, & Elagabalus Romam occiso Macrino ingressus est, quâ de re lætantes Byblii Æram in nummo scribere voluerunt. — Æræ Cap. 707.

ΓΑΒΑΛΑ.

Gabala, urbs Syriæ maritima, Laodiceæ proxima, inter oppidula à Strabone recensita, de quâ Theodoretus in Vitis Patrum. Ea est autem urbs parva & elegans, ideò à paucis scriptoribus memoratur: porrò tamen nummos plurimis Imperatoribus dedicavit, in quibus alii Epocham non numerant, alii Æram signant, quam ex illorum computo inchoat ab Autumno anni U. C. 707. quando Julius Cæsar ex Ægypto per Syriam exercitum contra Pharnacem duxit. Omnes nummi exhibent ΓΑΒΑΛΕΩΝ sine ullâ prærogativâ; Goltzius profert Elagabali nummum cum epigraphe, ΓΑΒΑΛΙΤΩΝ ΤΗC ΙΕΡΑC ΚΑΙ ΑCΥΛΟΥ; unde parva aut nulla fides huic scriptori adhibenda. — Æræ Cap. 707.

ΓΑΒΑΛΕΩΝ ΒΝΡ. *Gabalensium anno* 152. Cybele sedens inter duos leones, dextrâ spicas, sinistrâ sceptrum. *Num. Trajani.* 152.

Gabala ut Trajano gratularetur de Dacico bello ab eo confecto, anno U. C. 859. nummos suos percussit cum anno Æræ suæ 152. qui additi ejus initio 707. illi correspondent. Cybelem pro typo signavit, cujus erat summus apud eam cultus, cùm illa Dea in ipsius nummis sæpè occurrat.

ΓΑΒΑΛΕΩΝ ΔΝΡ. *Gabalensium anno* 154. Mulier sedens, dextrâ pateram, lævâ cornucopiæ. *Num. ejusdem Imp.* 154.

Trajanus in Armeniam, ut ex eâ Parthos expelleret, profectus erat, Gabala iterùm Imperatorem de reditu ejus in Urbem anno U. C. 861. gratulatur. Pro typo Genium urbis suæ pateram gerentem signavit, ad denotanda sacra pro Principis salute à civibus facta; lævâ cornucopiæ tenet, ad omnem fructuum abundantiam in agris suis indicandam.

ΓΑΒΑΛΕΩΝ ΓΚC. *Gabalensium anno* 223. Noctua supra clypeum, & Sphinx supra cippum. *Num. M. Aurelii.* 223.

Gabala annum Æræ suæ 223. in M. Aurelii nummo signat, anni U. C. 929. correspondentem, quo M. Aurelius de Ger-

manis & Sarmatis triumphavit; inde Imperatori gratulans, in typo ejus Noctuam & Sphingem Palladis quam frequens cudit, ſymbola expreſſit; ipſa enim Dea Bellorum Dux & Gubernatrix ab antiquis credita eſt. Fulgentius noctuam in Minervæ tutelâ eſſe refert, quòd ſapientia etiam tenebris proprium fulgorem poſſideat. Pauſanias in Attic. loquens de Minervæ ſimulacro, *mediâ ejus galeâ Sphingis ſpecies appoſita.*

233. ΓΑΒΑΛΕΩΝ ΓΑC. *Gabalenſium anno* 233. Caput Minervæ galeatum, ex adverſo Cybele ſedens directâ fronte velata cum calatho, hinc & inde leo pro pedibus. *Num. Commodi.*

Ut patri M. Aurelio nummos dicarunt, ſic ejus filio Commodo conſecrant Gabalenſes, ſignato in iis Æræ 233. anno, qui cadit ex illius computo in U. C. 740. quo *Auctor Pietatis* dici volùit ob ſacra Iſidis celebrata. Ideò forſan ſcalpta eſt Cybele Gabalenſium Dea, quæ Iſidis imaginem ſignificare videtur in apparatu cum velo oblongo ſedens: alii Deam Syriam eandem faciunt: alii Palladem, ex Lilio Gyraldo, cujus caput galeatum ex adverſo exhibetur; ſed hæ ut tutelares urbis Deæ, ſi rectè opinor, exhibentur.

251. ΓΑΒΑΛΕΩΝ ΕΤ. CNA. *Gabalenſium anno* 251. Jupiter ſedens, dextrâ victoriam, ſiniſtrâ haſtam: pro pedibus aquila. *Num. Carac.*

Gabalenſes Severo', Domnæ, & Caracallæ nummos percuſſerunt, Severo quidem ſine Epochâ: in hoc Caracallæ Æram ſignarunt 251. quæ addita cum ejus initio 707. ab anno ſimul efficient annum U. C. 958. quo Severus cum filiis Agonem Capitolinum XXXI. celebravit; ideò forſan Jupiter Capitolinus ſedens cum Victoriâ exhibetur in nummo.

252. ΓΑΒΑΛΕΩΝ CNB. *Gabalenſium anno* 252. Fortuna ſtans cum attributis. *Num. Juliæ Domnæ, & alter Caracallæ.*

Severus Gabalenſium privilegia non modò confirmaſſe, ſed forſan auxiſſe videtur, ſi quidem inter ejus nummos templum in Domnæ honorem, cujus interventu beneficium acceperant, ab iis exſtructum perhibetur cum epigraphe ΤΥΧΗ ΓΑΒΑΛΕΩΝ. Ideò Deam ipſam vel Juliam ſub Fortunæ imagine in nummis ejus & Caracallæ filii repræſentarunt. Nummus incidit in annum ſequentem 959.

253. ΓΑΒΑΛΕΩΝ CNΓ. *Gabalenſium anno* 253. Mulier ſtans, dextrâ pateram ſuper aram, lævâ cornucopiæ. *Num. Caracallæ.*

Si omnes Gabalenſium nummos in Cimeliis haberemus, illos quotannis Severo & ejus familiæ cudiſſe forſan noſceremus. Inſignem nummum Caracallæ & Plautillæ ejus uxoris poſſidet Gaza Medicæa, qui annum Æræ 253. præfert correſpondentem anno U. C. 960. quo Decennalia ſolvit Caracalla: ideò Gabalenſium Genius ſacra eam ob rem faciens exhibetur.

ΓΑΒΑΛΕΩΝ ΓΣC. *Gabalenſium anno* 263. Cybele tutulata ſtans, velo à capite ad pedes obtecta: ex adverſo caput Minervæ galeatum. *Num. Diadumeniani.* 263.

Iterùm prodit Cybele ſplendido ornatu inſignis, ſed ſtans, ex cujus adverſo caput Minervæ galeatum, ambæ ut tutelares Gabalenſium Deæ, tanquam Diadumenianum Cæſarem protegentes; ipſi nummos etiam Macrino patri, quos videre eſt, ſed ſine Epochâ, hic illius annum 263. præfert, quo Diadumenianus anno U. C. 970. à patre Cæſaris titulo donatus eſt.

ΓΑΒΗ.

Gabe in confiniis Phœnices ab Emin. Card. Noriſio conſtituitur prope Cæſaream, ab eâ XVI. M. diſtans, ex Euſebio. *Eſt quoque oppidum, quod vocatur Gabe, in ſextodecimo milliario Cæſareæ.* Æræ Cap. 693. A Pompeio è Judæorum ſervitute liberata, Æram in nummis numeravit, & cùm id acciderit anno U. C. 691. poſt biennium tamen, uti Gaza duobus annis ſeriùs ſignavit, anno nempe 693. uti probatur ex ſequentibus.

ΚΛΑΥΔΙ. ΓΑΒΗΝΩΝ ΖΟΡ. *Claudiorum Gabenorum anno* 177. Victoria gradiens, dextrâ coronam, ſiniſtrâ trophæum. *Nmu. Hadriani.* 177.

Gabeni ſe Claudios nominant, quòd Agrippa Senior Gaben appellaſſet Claudiam, in honorem Claudii Imperatoris, qui ei avitum reſtituerat regnum. Quidam legunt ΚΛΑΥΦΙ. Κλαυδιοφίλων. Illi Æræ libertatis annum 177. ſignarunt ſub Hadriano, ad Autumnum anni U.C.770. reſpondentem uſque ad Autumnum anni ſeq. intra quem ille Romam venit, exercitu ab Aſſyriâ, Meſopotamiâ & Armeniâ revocato. Trophæum ad notandos Imperii limites à Trajano victore prorogatos erexit, cujus teſtis videtur eſſe Victoria cum coronâ & trophæo in hoc nummo à Gabenis cuſo.

ΓΑΒΗΝΩΝ ΖΙC. *Gabenorum an.* 217. Deus Lunus ſtans pileo Phry- 217.

gio ornatus, dextrâ haſtam; hinc Aſtrum, inde Luna bicornis. *Num. Antonini Pii.*

Poſt quadraginta annos hunc Antonino Pio Hadriani ſucceſſori nummum cuderunt Gabeni, non quòd alios ipſi non ſignaverint, ſed ad noſtras manus illi haud pervenerunt. Annus Gabenorum 217. ex computo illius Æræ correſpondet anno U. C. 910. quo Vota Decennalia ſecunda pro Imperatore ſunt ſuſcepta. Lunus tutelaris urbis Deus, cujus cultum Syrii & Phœnices ab Ægyptiis acceperunt, apud quos inſtitutus eſt, ut Euſebius & Diodorus obſervarunt.

ΓΑΔΑΡΑ.

Æræ Cap. 690. Gadara, urbs Cœleſyriæ trans Jordanem, ſita in monte, unde locus erat naturâ probè munitus, ab Antiocho M. cùm Cœleſyriam & Phœniciam contra Ptolemæos invaſit, occupata eſt; diſſidentibus poſteà civili bello Antiochis fratribus, Alexander Jannæus urbem ſibi adjecit, quam Pompeius Syriâ Seleucidis ereptâ anno 690. à Judæorum ſervitute liberavit. Ipſa in gratiam liberti ſui Demetrii Gabarenſis ab eo inſtaurata, ex Joſepho lib. 14. memor Epocham deinceps ab hoc anno computavit.

44. ΓΑΔΑΡΑ ΔΜ. *Gadara anno* 44. Caput muliebre turritum. *Num. Auguſti.*

Gadarenſes Auguſto gratulantes quòd ſigna Parthica & captivos recepiſſet cùm in Syriâ anno 734. moraretur, nummos cuderunt cum libertatis anno 44. unde ille Epochæ initio 690. additus, in hunc annum cadit uſque ad Autumnum ſequentis, quo illa geſta, uti narrat Dio Caſſius. Genius in illo ſcalptus eſt turritus, ad denotandam urbem validis muris eſſe munitam contra barbarorum irruptiones.

ΤΙΒΕΡΙΩ ΣΕΒΑΣΤΩ. *Tiberio Auguſto.* Caput Tiberii.

92. ΓΑΔΑΡΕΙΣ ΒϘ. *Gadarenſes anno* 92. Caput muliebre turritum. *Num. Tiberii.*

Tiberio ſuos nummos dedicant Gadarenſes, computatis libertatis ſuæ annis 92. unde ipſos anno U. C. 782. ſignatos comperimus, quo Julia Auguſta ejus mater defuncta eſt. Typus idem eſt qui in Auguſti nummo. Caput turribus ornatum, ad indicandum fortibus muris urbem eſſe præcinctam, de quâ ſic ait Polybius lib. 5. *Reſtabant adhuc Gadara, locus opinione hominum præ cæteris omnibus ejus tractus eximiè munitus.*

ΓΑΔΑΡΑ ΑΛΡ. *Gadara anno* 131. Mulier turrita ſtans, dextrâ coronam, lævâ cornucopiæ. *Num. Neronis.* 131.

Gadara urbs ſub Genii imagine coronam gerit, quòd Nero per Legatum ſuum Veſpaſianum contra Judæos victoriam captis eorum pleriſque urbibus reportaſſet, illam ex eo numero fuiſſe refert Joſephus de Bello lib. 3. *Veſpaſianus autem Gadarenſium civitatem aggreſſus, primo impetu capit. quòd eam pugnaci multitudine vacuam reperiſſet.* Nummus Æræ annum 131. ſignat, qui illius initio 690. additus, incipit ab Autumno anni U.C. 720. ad Autumnum anni 721. uſque ad decurrentem, ad cujus Junii diem decimum ſe Nero occidit.

ΓΑΔΑΡΕΩΝ ΑΛΡ. *Gadarenſium anno* 131. Duplex cornucopiæ, ſed decuſſatim. *Num. Neronis.* 131.

Eodem anno cuſus eſt hic ejuſdem Imperatoris nummus, in quo Gadarenſes hinc & inde Cornu Amalthææ ſeu copiæ ut loquuntur, ſignarunt, quod pro ſymbolo abundantiæ & fœcunditatis habetur, ad denotandam in agris ſuis omnium rerum abundantiam.

ΓΑΔΑΡΕΩΝ ΒΑΡ. *Gadarenſium anno* 132. Caput muliebre turritum. *Num. Veſpaſiani.* 132.

Hunc nummum pag. 15. Neroni tribuimus, cùm is ex parte capitis epigraphen non haberet, & facies Neroni haud abſimilis videretur; porrò huic Imperatori convenire nequit, ſed Veſpaſiano, quòd Gadarenſium libertatis annum præferat 132. ad Autumnum anni 821. ex Æræ eorum computo inchoantem, & Nero A. D. III. Id. Junii ſeipſum interfecerat: at cùm ille decurrat ad Autumnum uſque anni 822. Veſpaſianus A. D. Kal. Julii Imperator ab exercitu qui in Judæâ erat ſalutatus fuit, & Gadareni mox illi nummos cuderunt. De turriti Genii ſymbolo ſæpiùs dictum.

ΓΑΔΑΡΕΩΝ ΕΞΡ. *Gadarenſium anno* 165. Cornu Amalthææ duplex, ſed decuſſatim. *Num. Trajani.* 165.

Aſſignata Gadarenſium Epocha anno 690. juncta cum libertatis eorum annis in hoc nummo ſcriptis 167. cadit in annum U.C. 855. quo Decebalus Legatos ad Trajanum de pace iniendâ miſit, quos ad Senatum Romam rediens adduxit. Gadarenſes de pace omnium rerum abundantiam procreante lætantes, Cornucopiæ ſolitum ubertatis omnis ſymbolum, ut in Nerone, in nummis expreſſerunt.

167. ΓΑΔΑΡΕΩΝ ΖΣΡ. *Gadarenſium anno* 167. Aquila alis expanſis. *Num. ejuſdem Trajani.*

Alter prodit nummus Trajano Imperatori à Gadarenſibus, ſed duobus annis ſeriùs percuſſus, nempe anno U. C. 857. quo Arabia Imperii Romani dominationem tenuit, quam Palma Syriæ Præſes in ejus poteſtate redegit. Gadarenſes ideò aquilam victricem Imperii Romani ſymbolum in nummis exhibere voluerunt, ipſi ſub ejus dominatione liberi vivere lætantes.

208. ΓΑΔΑΡΑ L. ΗC. *Gadara an.* 208. Caput velatum & turritum. *Num. Antonini Pii.*

Si nummorum amplior ab Urbibus ſub Imperio Romano aliquâ immunitate gaudentibus cuſorum ſeries eſſet collecta, non dubito quin omnium ferè Auguſtorum nummos, & forſan quotannis ſignatos obſervaremus. Porrò unus Gadarenſium nobis tantùm ſupereſt, Antonino Pio dicatus: præfert ille libertatis annum 208. qui ex ejus computo reſpondet anno U. C. 908. quo Imperator Tribunitiam Poteſtatem XVIII. ſuſcepit. Caput turritum, urbem validis mœniis cinctam eſſe denotat.

224. ΓΑΔΑΡΕΩΝ ΑΚC. *Gadarenſium anno* 224. Caput Herculis imberbis cum laureâ. *Num. M. Aurelii.*

Gadarenſes M. Aurelio, quòd Imperii gubernaculum mortuo Imperatore ſolus teneat, gratulatur: hic enim nummus anno quo Antoninus Pius defunctus eſt, ex Epochæ computo ſignatus probatur; nam ſi libertatis eorum annos 224. cum illius initio 690. junxeris, haud dubiè habebis annum U.C. 914. quo Antoninus Pius A. D. Non. Martii obiit. Gadarenſes Herculis imberbis imaginem expreſſerunt, cujus cultum ex urbe Tyro, ubi ſic depingitur, accepiſſe videntur.

226. ΓΑΔΑΡΕΩΝ ϛΚC. *Gadarenſium anno* 226. Typus idem Herculis. *Num. M. Aurelii.*

Cùm Vologeſes Parthorum Rex Armeniam Populi Romani provinciam occupaſſet, & Syriam vaſtaret, bellum Romæ Parthicum eſt decretum. L. Verus Imperii cum M. Aurelio ſocius in Syriam venit; Gadarenſes illicò M. Aurelio nummos iterùm ſignant anno libertatis ſuæ 226. quo Statius Priſcus Veri Legatus Armeniam recuperat, anno nempe U. C. 916. in cujus lætitiam Herculem ſuum in nummis exhibent.

ΓΑΔΑΡΕΩΝ ΓΜΣ. *Gadarenſium anno* 243. Typus idem Herculis. *Num. Commodi.* 243.

Gadarenſes ut M. Aurelio patri, ita Commodo ejus filio numnos ſuos dedicant: nam anno libertatis eorum 243. cuſus eſt, & anno U. C. 903. reſpondet, quo A. D. XVI. Kal. Aprilis M. Aurelius mortuus erat, & Commodus Imperium ſolus gubernabat. Caput Herculis in nummo ſignatum, tanquam urbis Deus tutelaris, ſeu quòd Gadarenſes Commodum tanquam Herculem alterum barbaros ſuperaturum exiſtimarent; Herculeſ autem Romanus appellari voluit, ſed non ut ille Orientis Domitor.

ΠΟΜΠΗΙΑΝΩΝ ΓΑΔΑΡΕΩΝ ΑΠΣ. *Pompeianorum Gadarenſium an.* 281. Triremis cum remigantibus. *Num. Elagabali.* 281.

Elagabalo acclamaviſſe Gadarenſes cùm Macrinus fuiſſet occiſus, indicat eorum nummus anno libertatis 281. cuſus, correſpondens Autumno anni 971. quo incepit: nam A. D. VII. Id. Junii Elagabalus Macrinum ſuperaverat, & ille à militibus cum filio interfectus erat. Gadarenſes ſe Pompeianos appellant, ut à Pompeio libertate donatos denotent. Sic Triremem victoriæ contra Piratas ab illo relatæ ſymbolum exhibent.

Eadem epigraphe ΓΓ. *Anno* 303. Typus idem. *Num Gord. Pii.* 303.

Gadarenſes novis Imperatoribus nummos cùm libertatis ſuæ immunitates confirmaviſſent, dedicare videntur; & ut earum antiquitatem denotent, Pompeii nomen reſumunt, victoriæ ejus contra Piratas memoriam renovantes.

ΓΑΖΑ.

Gaza Syriæ Palæſtinæ urbs, non longè ad mare in colle ſita, ſatis ampla, & validis mœniis cincta, antiquitùs una ex Philiſtinorum Satrapiis, deinde à Regibus gubernata, à Perſis poſteà occupata, Alexandro M. reſiſtere auſa, bimeſtri obſidione capta eſt; poſt cum Ptolemæis ceſſit, & tandem Seleucidis. Pompeius Judæis ereptam Syriæ Præſidi contribuit, à quo Epocham numeravit, ſed tantùm anno U. C. 693. ut rectè Emin. Noriſius diſcuſſit, menſe ſcilicet Octobri. Æræ Cap. 693.

Quamvis nummos tantùm cum Auguſtorum effigie ſignatos in eorum exhibuerimus, nobis unum cum Jovis capite in Epocharum gratiam proferre liceat; in aversâ parte habet, ΔΗΜΟΥ ΓΑΖΑΕΩΝ ΙΕΡΑΣ ΑΣ. L. IT. *Populi Gazenſium Sacræ Inviolabilis*

15. *anno* 15. cum Muliere togatâ & tutulatâ ſtante, dextrâ pateram, ſiniſtrâ cornucopiæ gerente. *Apud V. Cl. Baudelot Pariſ.*

Hic nummus ſingularem nobis præbet Gazæ urbis inſcriptionem cum Sacræ & Inviolabilis prærogativâ in Auguſtæis haud memoratâ. Ille ex Æræ computo in annum U. C. 706. poſt Pharſalicam Pugnam, cùm Gazenſium populus ſuos adhuc ſub Populi Romani libertate nummos cudebat.

132. ΓΑΖΑ L. ΡΑΒ. *Gaza anno* 132. Aſtarte ſtans, dextrâ caput Oſiridis, ſiniſtrâ haſtam. *Num. Titi Veſp.*

Gazenſes Imperio ſubjecti ſuos Auguſtis nummos dedicant. Hic Titum exhibet, cui pater Tribunitiam Poteſtatem communicaverat, beneficii ejuſdem ab hoc Principe accepti haud dubiè memores cùm Judæam cepit. Annus Gazæ Epochæ 132. iniit ab Autumno anni U. C. 825. Aſtarte ſui cultum ut in urbe indicat.

ΓΑΖΑ Γ. ΕΠΙ ΒΩΡ. *Gaza anno* 3. novæ ſcilicet Æræ Hadriani, *anno* 192. 192. Æræ Gazenſium antiquæ. Hercules dextrâ innixus clavæ. *Num. Hadriani.*

Novam Æram in nummo Hadriani ob quædam beneficia ab illo Principe cùm urbem ingreſſus eſt, Gadarenſes ſignant, ut Antiocheni in Tiberio ad Imperii ejus adventum fecere, ut ſuprà vidimus, quæ ipſo mortuo extincta eſt, antiquâ perpetuò durante. Hæc annum 192. profert, quæ Epochæ initio 693. juncta, cœpit Autumno anni U. C. 885. Hercules ſui cultum denotat, forſan ob Azonem ipſius Herculis filium, qui urbi nomen dedit, ex Stephano.

193. ΓΑΖΑ ΙΩ Δ. ΕΠΙ ΓΩΡ. *Gaza Io anno* 4. *Æræ* 193. Duæ figuræ muliebres dextras jungunt, quarum ſiniſterior tutulata lævâ cornucopiæ gerit. *Num. ejuſdem Hadriani.*

Gaza & Io, duo ſunt urbis nomina; ſi quidem ab Io quæ ad eam appulit, ſic vocatam ſcribit Stephanus. Urbes autem ſæpè vetera nomina ad antiquitatem ſuam demonſtrandam revocant: ipſa eſt quæ urbis Genio tutulato dextram porrigit. Annus novus 4. Hadriani ejus anno Æræ antiquæ 193. & U. C. 886. à 23. Octobris inchoat.

ΓΑΖΑ ΜΑΡΝΑ Ε. ΕΠΙ ΔΩΡ. *Gaza Marna anno* 5. Hadriano *anno* 194. Gazenſium. Diana & Apollo ſtantes in templo diſtylo. *Num. Hadriani.*

Vidimus

Vidimus in superiore nummo duo urbis nomina, *Gaza* & *Io*; Stephano alterum *Aza* ab Azone Herculis filio: ideò forsan Herculem urbs colit. An non tertium *Marna*, vel epithetum *Domina?* Jupiter enim vocabatur *Marnas*, & barbatus in primo Gazensium nummo depingitur; id confirmare videtur Apollo imberbis arcum gerens, cum Dianâ. Annus 5. Hadriani exaratur cum anno Æræ 194. correspondente, & in Autumnum anni U. C. 887. incidente.

ΓΑΖΑ ΒC. *Gaza anno* 202. Hercules stans, dextrâ clavam, sinistrâ spolia leonis. *Num. Ant. Pii.* 202.

Ut Hadriano patri adoptivo & benefactori, sic Antonino Pio ejus filio & successori Gazenses suos nummos consecrant: hic cujus est Autumno anni U.C.895. ex Æræ eorum annis 202. cum ejus principio 693. conjunctis. Hercules iterùm prodit ut tutelaris urbis Deus, & si Stephano fides, Fundatoris pater.

ΓΑΖΑ ΓC. *Gaza anno* 203. Caput velatum & turritum. *Num. ejusdem Antonini Pii.* 203.

Gaza ad validam contra barbaros defensionem, muliebre caput turritum, seu Cybeles, quæ ideò Πυργοφόρος appellata. Gaza autem, teste Arriano lib. 2. forti muro cincta erat, in colle sita, ut antè diximus. Nummus anno U. C. 896. à 23. ejus mensis Octobris die ineunte, & usque ad similem anni 897. decurrente.

ΓΑΖΑ ΖC. *Gaza anno* 207. Typus idem. *Num. ejusdem Imp.* 207.

Nihil habet peculiare hic nummus, nisi quòd annus Æræ Gazensium 207. cum anno U. C. 900. quo ille mense Octobri cœpit, correspondeat.

ΓΑΖΑ ΑΙC. *Gaza anno* 211. Hercules ut suprà. *Num. ejusdem Imp.* 211.

Hercules frequens in nummis Gazensium occurrit, etiamsi ejus templum in Marci Diaconi libro de Vitâ S. Porphyrii non numeretur, ille publica templa octo profert, nempe Solis, Veneris, Apollinis, Proserpinæ, Hecates, & quod dicebatur Hieron, Fortunæ, & Jovis; forsan erat dirutum, aut tantùm illi statua erat dicata. Annus 211. Gazensis Epochæ respondet anno U. C. 904.

ΓΑΖΑ ΗΙC. *Gaza anno* 218. Caput velatum & turritum. *Num. ejusdem Imp.* 218.

Plurima vel magna beneficia ab Antonino Pio accepta plu-

rimi nummi teſtantur eidem Auguſto percuſſi, vel potiùs quòd urbes ut Imperatori gratularentur, quotannis novos cuderent, unde typos eoſdem repeterent; hic nobis Gazenſis Æræ annum 218. exhibet ab Octobri anni U. C. 911. inchoantem.

221. ΓΑΖΑ ΑΚϹ. *Gaza anno* 221. Caput Herculis, infrà clava. *Num. M. Aurelii.*

Gaza M. Aurelio poſt Antonini Pii mortem nummos ſuos dedicat, ipſi ad Imperium evecto gratulans, quod arguit annus Æræ 221. in annum U. C. 914. incidens, quo A. D. Non. Martii defunctus Antoninus Pius. Illa ſuum exhibet Herculem, tanquam Imperatoris protectorem.

227. ΓΑΖΑ ΖΚϹ. *Gaza anno* 227. Duæ figuræ muliebres turritæ dextras jungunt, ſiniſterior cornucopiæ. *Num. ejuſdem M. Aurelii.*

Alter prodit M. Aurelii nummus à Gazenſibus percuſſus, exhibet ille duas mulieres turribus inſignitas, prior lonem tanquam urbis Fundatricem, ſiniſterior Genium repræſentat cum modio in capite, ad denotandam frumenti copiam in agris; & per cornucopiæ, omnium frugum abundantiam. Annus Gazenſis 227. reſpondet anno U. C. 921. ab ejus Octobris 23. die inchoanti.

ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ ΑΟΥΚΙΛΛΑ. Fauſtinæ & Lucillæ capita adverſa.

228. ΓΑΖΑ ΗΚϹ. *Gaza anno* 228. Diana Venatrix ſtans, telum è pharetrâ dorſo appenſâ depromit, lævâ arcum: ponè eam cervus.

Nummus duas Auguſtas Fauſtinam & Lucillam exhibet; nam Lucilla M. Aurelii & Fauſtinæ filia L. Vero nupſerat. Epocha 228. incepit ex ejus computo menſe Octobri anni U. C. 920. uſque ad 23. Octobris ſequentis 921. decurrentis. Diana Venatrix in Auguſtarum utpote venationis ſtudioſarum gratiam à Gazenſibus ex numero Dearum quas colebant, ſelecta eſt.

Capita M. Aurelii & L. Veri adverſa.

229. ΓΑΖΑ ΘΚϹ. *Gaza anno* 229. Mulier tutulata ſtans, dextrâ haſtam, ſiniſtrâ cornucopiæ: pro pedibus caput tauri vel bovis.

Uti Principibus fœminis nummos dicarunt Gazenſes, ita Imperatoribus M. Aurelio & L. Vero conſecrant anno Æræ ſuæ ſignato 229. anno U. C. 921. menſe Octobri inchoato correſpondente, & ad Octobrem anni ſeq. 922. decurrente, quo Verus mediâ hyeme, ſcilicet Decembri exeunte, extinctus eſt.

Mulier urbis Genium designat; hastam pro defensione contra barbaros gerit; cornucopiæ, ad omnium frugum abundantiam in agris denotandam. An caput tauri, ad Lunæ bicornis seu Dianæ cultum, vel ad agriculturam spectet? videant Eruditi.

ΓΑΖΑ ΑC. *Gaza anno* 230. Mars nudus & galeatus stans, dextrâ pa- 230.
teram super aram, lævâ hastam. *Num. M. Aurelii.*

Gazenses mortuo L. Vero Imperii socio, M. Aurelio soli regnanti nummos consecrant, ut probat annus urbis suæ 230. anno U. C. 923. correspondens, cujus tamen initium à 23. die mensis Octobris 922. fuit: Verus enim mediâ hyeme, ut diximus suprà, defunctus est. Mars pateram super aram tenens à Gazensibus exhibetur, ut pro Germanicâ M. Aurelii expeditione sacra se fecisse denotent.

ΓΑΖΑ ΕΙΩ ΗΜC. *Gaza Io anno* 248. Duæ mulieres dextras jun- 248.
gunt, posterior tutulata, & lævâ cornucopiæ. *Num. Commodi.*

Ut patri M. Aurelio, sic filio Commodo Gazenses nummos cudunt. Hic Æræ suæ annum 248. habet, cujus initium fuit die 23. Octobris U. C. 940. ad similem Octobris 941. decurrens. Io, quæ ex Stephano urbi nomen dedit quando in illam appulit, ad denotandam civitatis antiquitatem exhibetur.

ΓΑΖΑ ΕΙΩ ΗΝC. *Gaza Io anno* 258. Diana & Apollo cum attributis 258.
stantes in templo dystilo. *Num. Caracallæ.*

Non dubito quin omni Severi Imp. familiæ nummos Gazenses cuderint, sed ad nostras manus tantùm pervenerunt, qui Caracallæ & ejus conjugis effigiem habent. Hic annum Gazensis Æræ 258. exhibet, qui incidit in annum U.C. 950. ad diem 25. Octobris 951. decurrentem, quo Caracalla Albino in Galliis victo & occiso, Trib. Potestatem cum Augusti titulo accepit ante mensem Aprilem. De Dianâ & Apolline dictum est.

ΓΑΖΑ ΕΙΩ ΘΝC. *Gaza Io anno* 259. Io & Genius urbis dextras jun- 259.
gunt. *Num. ejusdem Caracallæ.*

Anno sequenti percussus est hic nummus ab Octobri U. C. 951. ad parem ejusdem mensis diem anni 952. decurrens, quo Caracalla cum patre Severo ad bellum Parthicum properans, in Syriam venit, cui gratulans Gaza, illum cudit. De Ione & urbis Genio sæpius dictum est.

ΓΑΖΑ ΔΞC. *Gaza anno* 264. Apollo & Diana ut suprà. *Num. Plau-* 264.
tillæ.

Gazenſes Caracallæ ſponſam Plautillam exhibent cum Æræ ſuæ anno 264. ex quo illius initium ad Autumnum anni U. C. 693. rectè ab Emin. Noriſio aſſignatum, cùm illud ex ejus Auguſtæ matrimonio altiùs retrahi nequeat, doctiſſimum hujus Cardinalis librum *de Epochis Syromacedonum* conſule. Cùm nullus typus nummorum ſine aliquâ causâ ſignatur, Gazenſes per Apollinis & Dianæ fratris & ſororis concordiam, mariti & ſponſæ conjugalem denotare forſitan voluerunt.

280. ΓΑΖΑ ΠΟ. *Gazæ anno* 280. Elagabalus pectore tenus, ab aquilâ alis expanſis geſtus. *Num. Elagabali.*

Elagabalus ab aquilâ Imperii Romani ſymbolo portatus, ut ad Imperatoris dignitatem ex Senatûs, Populi & Exercitûs votis communibus poſt Macrinum & ejus filium Diadumenianum occiſos, ſublatus à Gazenſibus, quia nempe Syrus, exhibetur. Nummus anno Æræ Gazenſis 280. percuſſus reſpondet anno U. C. 972. in cujus menſe Octobri, ut ſæpiùs diximus, inchoavit.

ΔΑΜΑΣΚΟΣ.

Damaſcus urbs Syriæ antiquiſſima, ſub Hermone monte ſita, quam Amana fluvius interfluit, & Parpar alluit, qui poſt urbem ſimul juncti unum efficiunt Chryſorrhoam dictum. Urbi diverſas attribuunt origines, inter quas novam ex nummis propoſuimus in libro noſtro 2. *de Coloniis* pag. 232. nempe à Damâ nutrice & Aſco puero. Proprios habuit Reges, ab Aſſyriis everſa eſt, Seleucidis & Arabibus paruit, Pompeius Romano Imperio adjecit, Hadrianus Metropolim conſtituit, Philippus Imperator eam tandem Romanorum Coloniam fecit. Seleucidarum Epocham ſecuta eſt ab anno U. C. 442.

Æræ Cap. 442.

325. ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ L. ΕΚΤ. *Damaſcenorum anno* 325. Caput turritum. *Num. Auguſti.*

Damaſcenorum nummus hic Auguſto dicatus eſt, cùm annus eorum Epochæ 325. in annum quo ille mortuus eſt, ad XVI. Septembris U. C. 767. incidat, cujus initium fuit Kalend. Octobris 766. Nec ille ſolus huic Principi percuſſus videtur, cùm plurima urbi beneficia in Nicolai Damaſceni amici ſui gratiam contulerit. Caput turritum, urbem validis mœniis cinctam eſſe denotat.

345. ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ ΕΜΤ. *Damaſcenorum anno* 345. Mulier inſidens ru-

pibus. *Num. Tiberii.*

A Tiberio forsan Damasceni aliquod beneficium accepere, cùm illi plurimos dicarint nummos, quos videre est apud Em. Norisium. Hic annum exhibet 345. correspondentem anno U.C. 787. quo Tiberius Tribunitiam Potestatem XXXV. suscceperat. Mulier insidet Hermoni monti, ad indicandum urbis situm.

ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ ΖΟΤ. *Damascenorum anno* 377. Mulier ut suprà insi- 377.
det rupibus. *Num. Neronis.*

Damasceni Seleucidarum Æram in nummis signare pergunt. Hic Neroni Augusto percussus annum ejus 377. numerat, qui si illius initio 442. additur, annum U.C. 819. ab ejus Autumno inchoantem, & ad Autumnum anni 820. decurrentem incidet. Mulier insidens rupibus, Genius urbis est supra montem Hermonem, ad cujus imum sita est.

ΔΑΜΑCΚΗΝΩΝ ΘΛΤ. *Damascenorum anno* 439. Mulier ut suprà in- 439.
sidens rupibus, d. piscem, s. cornucopiæ. *Num. Hadriani.*

Hadrianus in Syriam venit anno U.C. 881. quo Damasceni nummum hunc illi gratulantes cuderunt. Si enim annum illius Epochæ 439. cum Seleucidarum Ærâ copulaveris, in hunc devenies qui Autumno cœpit. Genius urbis piscem dextrâ tenet in aquis suis aut frequentem aut sanè peculiarem.

ΔΑΜΑCΚΗΝΩΝ ΑΜΤ. *Damascenorum anno* 441. Caput velatum & 441.
turritum, ponè quod cornucopiæ. *Num. ejusdem Hadriani.*

Damasceni post Hadrianum non ampliùs Epocham in nummis signarunt, cùm ab eo obtinuerint ut ejus civitas Metropolis Phœniciæ diceretur, quod in Antiochensium odium fecit, teste Spartiano; id narrant anno U.C. 882. contigisse, sed hic nummus ex Epochæ computo Autumno tantùm anni 883. percussus, forsan ad hoc tempus res dilata est. Mulier turrita urbem valido muro cinctam denotat.

ΔΙΟCΠΟΛΙC.

Diospolis, urbs Palæstinæ versùs oram Judææ occiduam, nec à Joppe civitate plurimùm distans, quæ priùs Lydda dicebatur; sed hæc à Cestio Syriæ Præside sub Nerone exusta est, ut narrat Josephus de Bello Jud. cap. 22. deinde novis civibus frequentata, sub Domitiano ex ejus Epochâ in annum U.C. 846. incidens. Diospolis ob beneficia ab ipso Principe accepta videtur nuncupa-

Æræ Cap. 846.

ta, quòd hoc anno Jovis Capitolini templum reſtauraſſet; ut alia urbs in hoc tractu dicta eſt in hanc memoriam Capitolias, de quâ infrà nobis erit ſermo.

Λ. CEΠ. CEOY. ΔIOCΠOΛIC EP. *Lucius Septimius Severus Dioſpolis an.*
105. 105. Serapidis caput cum modio.

Dioſpolis Severo Imperatori gratulans, ab unâ parte Juliæ Domnæ caput, & ab alterâ ejus nomen exhibet cum capite Serapidis, quem urbs ſummoperè colebat. Ejus Epocha Flaviana eſt: ſi enim anni 105. adjiciantur anno U. C. 846. devenies ad annum U. C. 951. quo Severus Romæ Auguſti titulum Caracallæ dedit, & Getam filium minorem dixit Cæſarem.

Eadem epigraphe ΘP. cum alio in quo caput Cereris pectore te-
109. nus, & iidem anni ΘP. 109.

Dioſpolis in his annis annum Epochæ ſuæ 109. ſignat, qui ex initii 846. computo reſpondet anno U. C. 955. quo Severus in Syriâ hiberna ageret, & cum Caracallâ filio Antiochiæ Conſules proceſſerunt; ideò ipſi gratulans Dioſpolis nummos dedicat, in priore Severum exiſtimans ſuum Serapin, & in altero Juliam Domnam pro Cerere ſuâ venerans; unde ingens frumenti abundantia ex amborum cultu in agris ſuis contingeret.

ΔΩΡΑ.

Dora, Phœniciæ urbs maritima in Peninſulâ, juxta montem
Æliæ Cap. 691. Carmelum, novem milliaribus à Cæſareâ Palæſtinæ diſtans, à Doro Neptuni filio condita, ſi Stephano fides; ſed Scillacis nomine auctori dicitur Δῶρος Σιδωνίων πόλις, *Dora Sidoniorum urbs*, id eſt Colonia. De hac urbe ſat egimus pag. 261. Illius Epocha Pompeiana eſt ab anno U. C. 691. quando Pompeius res Syriæ ordinavit, & urbes maritimas Gazam, Joppem, Doram, & Stratonis turrim, ex Joſepho liberas eſſe juſſit.

175. ΔΩΡΑ IEPA ΠΟΕ. *Dora Sacra anno* 175. Triremis. *Num. Trajani.*

De Dorâ in Urbibus Sacris, Inviolabilibus & ſuo jure utentibus ſuprà diximus; illa Trajano nummos dicat annis ſuæ libertatis in iis notatis 175. qui ex ejus computo correſpondent annis U. C. 866. qui tamen orſus eſt ab Autumno prioris anni 865. quo Conſulatum illius initio ſextum iniit, ad bellum Parthicum profecturus. Triremis potentiam maritimam denotat.

ΔΩΡ. IEP. ACYA. AYT. NAYAP. ΠΡ. *Dorenſium Sacræ, Inviolabilis, ſuis*

legibus utentis, Navarchidis, anno 180. Jovis caput laureatum. 180.
Num. Hadriani.

Vix Hadrianus Imperium accepit, Trajano A. D. III. Idus Augusti Selinunte Ciliciæ urbe mortuo, quin Dorenses ipsi nummos suos consecrarint, præsertim cùm in Syriâ tunc moraretur: nam si annos Æræ eorum 180. conjungas cum ejus initio 691. incides in Autumnum anni 870. quo illius Æra inchoavit. Jovis caput, sui cultum apud Dorenses indicat.

EIPHNOПOAIC.

Irenopolis, urbs est Ciliciæ mediterranea in Lacanatide ad Sarum fluvium, Ptolemæo nota: at cùm à Strabone memorata non sit, liceat mihi urbem aliquam nomen mutasse suspicari, aut conditam sub Claudio Imperatore, quæ Clytis fugatis & debellatis, fortè data est. Ipsi sub Tiberio post Archelai mortem rebellarunt, & iterùm Trosobore duce sub Claudio, à quo tempore Irenopolis annos suos, nempe Autumno U. C. 805. dinumerare videtur. Æ. x Cap. 805.

EIPHNOПOAITΩN ETOTC ΔMP. *Irenopolitarum anno* 144. Isis tutulata stans, dextrâ pateram, sinistrâ sistrum. *Num. Caracallæ.* 144.

Irenopolitæ Caracallæ blandientes, suos ipsi nummos percusserunt annis Epochæ suæ 144. in iis signatis, qui ex illius computo in annum U. C. 948. ad Autumnum usque 949. decurrentis incidunt: nam Caracalla apud Viminatium in Mœsiâ Cæsar à patre appellatus est, cùm contra Albinum proficisceretur. Isis sui cultum in urbe designat, ut Hygia in alio nummo cum iisdem litteris numeralibus.

EIPHNOПOAITΩN ET. BΣP. *Irenopolitarum anno* 192. Æsculapius & Hygia stantes. *Num. Gordiani Pii.* 192.

Gordiano gratulantes Irenopolitæ quòd Antiochiam recepissent, nummos dedicant, quod probat annus eorum Æræ 192. cum ejus initio 805. conjunctus, efficiens annum U. C. 996. quo Gordianus contra Persas bellum gereret, & anno sequenti 997. inter Maium & Junium Philippi fraude occisus est. Æsculapius & Hygia quæ in superiori etiam nummo depicta est, in urbe templum habuisse videntur.

EПIΦANEIA.

Epiphania, urbs gemina, una Cœlesyriæ priùs *Hemath*, altera Ciliciæ priùs *Eniandos*, utraque nomen ab Antiocho Epiphane

Syriæ Rege sexto; sed nummi maximi formæ, Cilicam esse nostram denotat, adde quod Syriaca Æram non notat, uti videre est in Elagabalo, & in nummo Regis Syriæ, quem possidet R. P. Jobert amicus noster. Cilica Epocham habet Caianam, quando Caligula anno U. C. 791. Antiocho Commageno, qui aliquam partem in Ciliciâ campestri habebat, illam Romano Imperio addixit, & adjectis quibusdam maritimis restituit.

Æræ Cap. 791.

206. ΕΠΙΦΑΝΕΩΝ ET. 5C. *Epiphanensium anno* 206. Pluto sedens cum calatho in capite, dextrâ pateram, sinistrâ hastam: pro pedibus Cerberus. *Num. Gordiani.*

Epiphanenses Ciliciæ eâdem de causâ quâ Irenopolitæ ejusdem provinciæ, nummos suos Gordiano dicarunt, nempe eodem anno U. C. 696. quo Princeps ille Antiochiam Syriæ à Persis occupatam recepit, Persas vicit, Nisibin & Carrhas recuperavit; sed heu dolor! anno sequenti 697. malis Philippi artibus interfectus est. Pluto sui cultum in urbe indicat, & nummi forma non mediocrem fuisse civitatem denotat.

ZHΛA.

Zela, oppidum est in Ponto Euxino, de quo sic Hirtius de Bello Alexandrino: *Positu, ipso ut in piano loco, satis munitum, tumultus enim naturalis, velut manu factus, excelsiore undique fastigio sustinet murum.* Pharnaces Mithridatis filius, Bosphori Rex, cùm Julius Cæsar Alexandrino bello occuparetur, avitum Ponti regnum invasit, & ad illius Romani adventum tribus ab urbe Zelâ millibus castra muniit, & ad certamen ventum est, quo Cæsar Pharnacis exercitum penitùs delevit, Pontum recepit, & Zelæ immunitates concessit, unde illa annos suos ab U. C. 707. dinumeravit.

Æræ Cap. 707.

240. ΚΟΙΝΟΝ ΖΗΛΙΤΩΝ ET. MC. *Commune Zelitarum anno* 240. Templum sex columnarum. *Num. Juliæ Domnæ.*

Zelitæ Æmiliani Pescennii Duce ad Cyzicum devicto, mox Severo acclamasse videntur, & commune urbis templum ei dedicavisse, cujus ectypum nummus Juliæ Domnæ exhibet, numeratis in illo suæ libertatis annis 240. qui additi initio illius Æræ 707. uti suprà diximus, incides in Æstatem anni U. C. 946. quo Æmilianus à Severi ducibus fusus est; deinde Pescennius ad Isicum Sinum fugatus est, & magna strages de illius exercitu edita est.

ΚΟΙΝΟΝ

ϚOINON ZHAITΩN ET. BMC. *Commune Zelitarum anno* 242. Templum quatuor columnarum, in quo Fortuna. *Num. ejuſdem Domnæ.* 242.

Commune Zelitarum non modò templum Septimio Severo conſecravit, ſed hic nummus etiam illos alterum templum Juliæ Domnæ ejus Imperatoris ſponſæ ſub Fortunæ imagine, ut antiqui ſolebant, erexiſſe nos edocet. Imperatoris fanum ſex habet columnas, Auguſtæ templum quatuor tantùm columnis ſuffultum eſt, & duobus annis tardiùs dedicatum, ut anni urbis 242. in nummo notati comprobant.

ZHAITΩN TOT ΠONTOT BMC. *Zelitarum Ponti anno* 242. Jupiter ſedens, dextrâ ſpicas, ſiniſtrâ haſtam. *Num. Caracallæ.* 242.

Severus poſt occiſum Peſcennium, Parthis Adiabeniſque devictis, Romam redit, decreto deinde contra Albinum bello, in itinere circa Viminatium Caracallam filium Cæſarem appellavit, quod vix acceperunt Zelitæ, quin gratulantes Imperatori, nummos ejus filio cuderunt eodem anno quo Auguſtæ ſignarunt. Jupiter ut Deus urbis tutelaris in iis exhibetur; ſpicas tenet, ad denotandam in agris frumenti abundantiam.

IEPOKAICAPEIA.

Hierocæſarea, urbs Lydiæ in Ioniæ confinio juxta Thyatiram, inter illas undecim urbes Aſiæ, quæ terræmotu anno imperii Tiberii quarto collapſæ ſunt, à Tacito Annal. lib. 4. commemoratas, recenſetur; at ejus Imperatoris largitione ſublevata, tandem annos computavit ab urbis reſtitutione, ejuſque encæniis celebratis, non quidem eo anno quo Senatus nummum Tiberio cudit, CIVITATIBVS ASIAE RESTITVTIS, nempe in illius Tribunitiam Poteſtatem XXI. quæ contigit anno U. C. 772. ſed anno 779. quo Legati Aſiæ ambigentes quânam in civitate templum Tiberio ſtatueretur pro reddendâ ei tot beneficiorum provinciæ collatorum gratiâ, à Senatu decerneretur: illo enim anno urbes omnes in priſtinum ſtatum rediere. Æræ Cap. 779.

IEPOKAICAPEΩN KOMANEΩN ET. BOP. *Hierocæſarenſium Comaneorum, ſubaud. Concordia, anno* 172. Templum octo columnarum, in quo Victoria ſtans ſupra cippum. *Num. Sept. Severi.* 172.

De Hierocæſareâ cum Comanâ Piſidiæ concordiâ junctâ, inter urbium ſocietates ſuprà diximus, ut de templo ejus Victoriæ erecto, quod etiam potuit huic Deæ dedicari ob tot vic-

torias à Severo relatas, nempe de Pescennio, de Arabibus, Parthis Adiabenisque, & tandem de Albino in Galliis devicto hoc anno U. C. 950. quo cœpit annus Hierocæsarensium 172. in nummo signatus, initium ducens ab anno U. C. 779. ut ejus Æra Tiberiana denotat.

ΙΛΙΟΝ.

Æræ Cap. 673. Ilium, urbs Mysiæ minoris in Troade, ab Ilo Laomedontis patre in campis condita: ille enim, teste Homero Iliad. 23. primus in iis habitare ausus est; hæc urbs casus diversos sortita est, nec eodem loco reædificata, apud Strabonem lib. 13. à Fimbriâ Valerii Flacci Consulis Quæstore capta, malè accepta est, sed Sylla superveniens anno U. C. 670. multis beneficiis refecit, & immunitates concessit, quæ cùm Senatusconsulto indigerent, anno 673. lege Dictatoriâ, postquàm hanc dignitatem accepisset, confirmavit; unde Ilienses beneficiorum memores, annos suos computarunt.

274. ΙΛΙΕΩΝ ΔΟC. *Ilienſium anno* 274. Vir togatus sacra facit ante Minervam cippo impositam. *Num. Juliæ Domnæ.*

Ilienses, ad Cyzicum Æmiliano Pescennii duce magna clade devicto, mox Septimio Severo acclamarunt anno U. C. 946. & ut gratias illius sibi conciliarent, carissimæ ejus Augustæ Juliæ Domnæ nummos suos consecrarunt, notatis in iis Epochæ suæ annis 274. illius initio ducto ab U. C. 673. Figura togata videtur esse Sylla ipse, qui immunitates urbi concessit, sacra faciens Minervæ, de cujus templo Homerus Iliad. 3. demissum cælo Palladium, cùm illud arderet, Troïlum eripuisse narrat.

ΚΑΙCΑΡΕΙΑ CEBACTH.

Æræ Cap. 751. Cæsarea Augusta sub Panio monte in Phœniciâ, priùs Lesen appellata est; sed Philippus Herodis Judææ Regis filius, cùm patris testamento hanc urbem & alias, ex Josepho, Tetrarchæ nomine habuisset, ab Augusto in illis confirmatus, postquàm Româ rediisset, Lesen aliquot instruxit ædificiis, & in Augusti honorem illam Cæsaream Augustam nominavit versùs Autumnum anni U. C. 751. unde deinceps annos ea computavit. Herodes autem illius pater mortuus erat initio verni temporis anni 750. ex computo nummorum Antiochiæ sub Varo Syriæ Præside cusorum, quæ annos tunc ΝΙΚΗΣ, id est Actiacæ victoriæ, illa numerabat.

ΚΑΙC. CEB. IEP. ΚΑΙ ΑCΥΛ. ΤΠ. ΠΑΝΕΙΩ ΡΟΒ. *Cæsareæ Augustæ Sacræ & Inviolatæ sub Panio anno* 172. Pan ad truncum arboris ti- 172.
biam utrâque inflat. *Num. M. Aurelii, & alter similis Lucillæ.*

Cæsarea Augusta nummos M. Aurelio, & alios Lucillæ Augustæ ejus filiæ, L. Vero Imperii ejus Collegæ nuptæ dedicat eodem anno Æræ suæ 172. qui ex ejus computo 751. incidit in Autumnum anni U. C. 922. Nec potest in annum 750. retrahi, cùm Herodes mortuus sit, & Philippus ejus filius Romæ tunc moraretur; nec in annum 752. protrahi, cùm L. Verus Lucillæ sponsus mediâ hyeme ejusdem anni 922. defunctus est. De Pane infrà.

ΚΑΙ. CEB. IEP. ΑCΥ. ΤΠ. ΠΑΝ. ΡΝΑ. *Cæsareæ Augustæ Sacræ Inviolatæ sub Panio anno* 191. Pan ut suprà. *Num. Commodi.* 191.

Uti M. Aurelio & Lucillæ, sic Commodo illius filio & hujus fratri nummos Cæsarea cudit anno Æræ suæ 191. qui si combinatur cum illius initio 751. habebis annum U. C. 942. in cujus Autumno, Cæsareæ annus cœpit, & ad Autumnum anni 642. decurrit, quo labente Augusto Tribunitiam Potestatem XIV. suscepit. Pan Deus in plerisque Cæsareæ nummis, à Pane vetustâ religione in speluncâ quâdam culto nomen accepisse indicat, quem ad antiquæ memoriæ originem ipsa signavit.

ΚΑΙC. CEB. IEP. ΑC. ΤΠΟ ΠΑΝΕΙΩ ΡΝΘ. *Cæsareæ Augustæ Sacræ Inviolatæ sub Panio anno* 199. Pan ut suprà. *Num. Severi, & alius* 199.
ferè similis Caracallæ.

Cæsarea Augusta Severo gratulans quòd Caracallam filium in itinere contra Albinum proficiscentem, circa Viminatium Cæsarem appellasset, utrique nummos dicavit anno U.C. 949. cui respondet annus in iis notatus Epochæ suæ 199. ex computo nempe illius ad annum 751. assignato. Pan in utroque patris & filii nummo tanquam Cæsareæ Augustæ symbolum exhibetur.

ΚΑΙC. CEB. IEP. ΚΑΙ ΑCΥ. ΤΠ. ΠΑΝ. CA. *Cæsareæ Augustæ Sacræ Inviolatæ sub Panio anno* 201. Figura succincta & tutulata stans, 201.
dextrâ hastam, sinistrâ clypeum. *Num. Juliæ Domnæ.*

Urbes ut Imperatorum benevolentiam sibi conciliarent, sæpè fœminis eorum Principibus ut illis, nummos cudebant: ita Cæsarea Augusta cùm suos Severo & Caracallæ consecrasset, Juliæ Domnæ hunc percussit anno Epochæ suæ 201. qui

cum illius initio 751. junctus, dat annum 951. cujus Autumno cœpit. Figura succincta hastam & clypeum gerens, si mihi augurari liceat, Venus est εὐόπλιος, hoc est ornata, quæ à Lacedæmoniis aliisque populis colebatur, & mascula dicebatur, teste Macrobio.

202. ΚΑΙC. CEB. IEP. ΚΑΙ ΑCΥ. ΥΠ. ΠΑΝ. CB. ut suprà, *anno* 202. Pan ad truncum arboris tibiam inflat. *Num. Sept. Getæ.*

Quotannis Cæsarea Augusta videtur ut Severo patri tanquam Imperatori, sic Getæ ejus filio tanquam Cæsari nummos dedicasse, Geta Nonis Martii anni 951. dictus à patre Cæsar, & Cæsarea annum Æræ suæ 202. notat, qui simul junctus cum illius initio 751. correspondet cum anno 952. quo cœpit Autumno, quando Geta ad bellum Parthicum cum patre profectus, in Syriâ moraretur. De Pane dictum est.

ΚΑΝΩΘΑ.

Canotha, urbs à Plinio in Decapolitanâ regione Palæstinæ posita, ab aliis adscribitur Cœlesyriæ, XV. mill. à Philadelphiâ in Boream, & XII. à Bostrâ in Occasum, non longè etiam à Gadarâ, sed in Decapolitanâ Cœlesyriæ continetur: unde plurimæ urbes quas occupaverant Judæi, libertate donatæ sunt à Pompeio cùm Syriam tenuit; at cùm Gadara inde annos suos anno U. C. 690. computavit, Canotha ejusdem Decapolitanæ urbs eandem Epocham etiam dinumerasse videtur.

— Æræ Cap. 690.

157. ΚΑΝΩΘαίων ΖΝΡ. *Canothæorum anno* 157. Caput muliebre turritum. *Num. Domitiani.*

Canothæi Decapolitanæ nummos suos Domitiano Imperatori cuderunt anno libertatis suæ 157. qui copulatus cum ejus initio ad annum U. C. assignato, respondet anno U. C. 846. cujus principium fuit Autumno usque ad eandem anni 847. tempestatem decurrens, quo Domitianus plurimis ejus tractûs urbibus beneficia contulit, ut videre est ex Diospolis & Capitoliados nummis. Caput muliebre turritum denotat urbem valido muro cinctam fuisse, de quâ loquitur Josephus lib. 1. de Bello Jud.

ΚΑΠΙΤΟΛΙΑC.

Capitolias, urbs Cœlesyriæ antiquato nomine, ob beneficia à Domitiano recepta, sic appellata est in memoriam Capitolii, quod sub Vitellio conflagrarat, ab illo Imperatore magnis sumptibus re-

ſtaurati anno U. C. 846. à quo tempore Capitolias Jovis Capitolini cultum recepiſſe videtur, & deinceps ſuos annos Autumno in actis publicis & nummis dinumeravit. Ærx Cap. 846.

ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΩΝ ΙΕΡ. ΑС. ΑΤ. ΗΖ. *Capitolienſium Sacræ, Inviolatæ, ſuis legibus utentis, anno* 68. Mulier turrita ſtans cum haſtâ & cornucopiæ. *Num. M. Aurelii.* 68.

Capitolienſes M. Aurelio nummos cudiſſe videntur, cùm mortuo A. D. Non. Martii anno U. C. 914. Antonino Pio ſolus imperare cœpit, poſteà ſibi L. Vero in Collegam aſſumpto A. D. Non. Aprilis, ſimul deinde regnarunt. Si enim annos Capitolienſium 68. ad ejus Æræ caput 846. addideris, Antonini mortem, & M. Aurelii Imperii initium habebis. Mulier, urbis Genius eſt; per haſtam, ſui contra barbaros defenſionem; & per cornucopiæ, omnem rerum abundantiam denotans.

Eadem epigraphe ΘΖ. *anno* 69. Aſtarte in templo tetraſtylo. *Num. L. Veri.* 69.

Anno ſequenti Capitolienſium 69. cuſus eſt hic L. Veri nummus, ab Autumno anni U. C. 915. ſignatus, cùm is ad bellum Parthicum profectus eſt, ipſi de victoriâ contra barbaros gratulantes. Aſtarte Dea Syria, ab aliis Venus, ab aliis Juno credita, cui altaria condidit Salomon. Illius templum, ſui cultum in urbe indicat.

Eadem epigraphe ΡϘ. *anno* 93. Figura tutulata ſtans cum haſtâ & cornucopiæ. *Num. Commodi.* 93.

Ut M. Aurelio patri Capitolienſes, ita M. Commodo ejus filio nummos conſecrant anno urbis ſuæ 93. quem ſi ejus denominationis initio U. C. 846. addideris, habebis 939. quo victoriam Imperator de Pannonibus & Mauris per Legatos retulit. Mulier tutulata cum haſtâ & cornucopiæ, ut in patre, urbis Genius eſt.

Eadem epigraphe ΗΡ. *anno* 108. Jupiter ſedens, dextrâ globum, ſiniſtrâ haſtam, in templo octo columnarum ornatiſſimo. *Num. Sept. Severi.* 108.

Capitolienſes Severo & Caracallæ filio, ut videre eſt ſuo loco, eodem anno 108. Autonomiæ nummos cuderunt, ipſis de Parthiâ captâ & vaſtatâ anno 954. gratulantes. Jupiter in templo ad Capitolini formam conſtructo, ejuſdem à Domitiano reſtaurati memoriam à Capitolienſibus renovatam denotat.

ΛΑΟΔΙΚΕΙΑ ΣΥΡΙΑΣ.

— Laodicea Syriæ urbs, à Seleuco Nicatore in matris Laodices
Æræ Cap. 706. memoriam condita, in nummis Imperatorum Juliæ nomine, ab alterâ ΠΡΟΣ ΛΙΒΑΝΩ se distinguit, sita erat ad mare in peninsulâ, Isthmo duorum stadiorum eandem cum continente jungente, in quam venit Julius Cæsar anno U. C. 707. postquàm novem menses in rebus Ægypti componendis moratus esset, qui Laodicenis Autonomiam aliasque concessit immunitates, unde se Julienses vocarunt, & annos deinceps computarunt ab Autumno superiore inchoantes, usque ad Severum, qui iis Antiochensium jura contribuit, urbem Metropolim constituit, quo tempore Juliæ nomine adhuc servato annos non ampliùs numeravit; deinde restitutis Antiochiæ privilegiis facta est Romanorum Colonia.

132. ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΒΑΡ. *Julienſium Laodicenſium anno* 132. Caput velatum & turritum. *Num. Domitiani.*

Laodicenses Domitiano blandientes de victoriâ contra barbaros per suos duces relatâ, nummos illi dedicarunt anno urbis suæ 132. qui incidit in Autumnum anni U. C. 837. usque ad Autumnum anni 838. decurrentis, quo Imperator de Cattis, Dacisque & Germanis Romæ triumphavit. Caput turritum, urbem validis mœniis cinctam esse denotat.

ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΒΞΡ. *Julienſium qui & Laodicenſes,*
162. *anno* 162. Caput velatum & turritum. *Num. Trajani.*

Cùm Trajanus in Syriam contra Parthos bellum illaturus, Assyriam in potestatem Populi Romani redegit anno U. C. 867. quo hic nummus à Laodicensibus huic Augusto cusus est: nam si annos eorum urbis 162. cum ejus Æræ initio 706. copules, ad illum annum devenies, quo nondum Parthici nomen, ut hoc in nummo non occurrit, adeptus erat. Caput muliebre turritum, urbis symbolum est.

163. Eadem epigraphe ΡΞΡ. *anno* 163. Minerva stans, dextrâ temonem, sinistrâ noctuam. *Num. ejuſdem Trajani.*

Anno sequenti, nempe U. C. 868. cusus est nummus, cùm Trajanus Armeniâ & Mesopotamiâ Populi Romani provinciis constitutis, Parthici nomen, ut ejus fert nummus, recepisset. Laodicenses Minervam à se cultam in eo præcipuè signarunt, quòd illa bello præesset, cui sacra pro Trajani contra Parthos exercituum prosperitate fecerant. Minerva temonem tenet, ad

ſitum urbis indicandum. Noctua, illius eſt ſymbolum.

Eadem epigraphe ZHP. *anno* 187. Mulier turrita ſtans, dextrâ temonem, ſiniſtrâ ſpicas. *Num. Antonini Pii.* 187.

Laodicenſes Antonino Pio nummos cudunt anno libertatis ſuæ 187. qui cœpit ab Autumno anni U. C. 892. uſque ad Autumnum anni 893. decurrentis, intra quod tempus Antoninus Pius per Legatos vicit Britannos. Mulier turrita, Genius urbis eſt; per temonem, urbis ſitum; & per cornucopiæ, omnium fructuum abundantiam denotans.

Eadem epigraphe HHP. *anno* 188. Caput turritum *Num. Ant. Pii.* 188.

Prout populi ab Auguſtis rectè & commodè accipiebantur, nummos in ejus honorem cudebant. Cùm Antoninus Pius moribus clemens eſſet, nil mirum ſi tot illi ſignarint Laodicenſes. Hic anno ſequenti ab iis percuſſus eſt, ut nos docet annus Julianus 188. Caput turritum, Laodiceæ urbis frequens eſt ſymbolum.

Eadem epigraphe ΘP. *anno* 190. Typus idem. *Num. ejuſdem.* 190.

Nihil habet peculiare hic nummus, niſi quòd duobus annis poſt ſuperiorem cuſus ſit, anno nempe Laodicenſium 190. qui inchoavit ab Autumno anni U. C. 895. eodemque Antonini Imperii quinto, cùm ille A. D. VI. Id. Julii mortuo Hadriano, Tribunitiam Poteſtatem accepiſſet.

Eadem epigraphe AHP. *anno* 191. Caput turritum in templo duarum columnarum. *Num. M. Aurelii.* 191.

Laodicenſes ut adoptivo patri Antonino Pio, ſic ejus filio M. Aurelio nummos ſignant anno Juliano 191. qui inchoavit ab Autumno anni U. C. 896. uſque ad ſimilem tempeſtatem anni 897. quâ ille Conſul II. deſignatus eſt. Caput turritum, urbis Genius qui in urbe colebatur ut Genius Antiochiæ, templum habuit.

ΛΑΟΔΙΚΕΙΑ ΠΡΟΣ ΛΙΒΑΝΩ.

Laodicea, altera Syriæ urbs, in Cœle ſita eſt ad Orontem fluvium, versùs ortum, ſub Libano monte, dicta *Scabioſa*, à Seleuco itidem in Laodices matris memoriam condita, Epocham Seleucidarum computat ab anno U. C. 442. quippe hoc tempore ſeu à fundamento ſuſcitata, ſeu antiquato nomine, ut prior quæ *Ramitha* vocabatur, Laodicea eſt appellata. Ærtæ Cap. 442.

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΤΩ ΛΙΒΑΝΩ ΑΞΤ. *Laodicenſium qui ſunt in Li-*

461. *bano, anno* 461. Vir paludatus, dextrâ labarum. *Num. Ant. Pii.*

Laodicenſes Libani Antonino Pio devoti, ſuos illi nummos cuderunt, ſignato in iis Æræ ſuæ anno 461. cujus initium fuit ab anno U. C. 442. qui ſimul juncti incidunt in Autumnum anni 902. quo Antoninus Pius A. D. VI. Id. Jul. Tribunitiam Poteſtatem XII. acceperat. Vir militaris cum labaro, Legionarius eſt alicujus ex quatuor Legionibus Syriæ, quæ hiberna Laodiceæ habebant.

Notandum multos alios Laodiceæ nummos reperiri, ſed ſine Ærâ.

ΛΑΟΔΙΚΕΙΑ ΚΑΡΙΑΣ.

— Laodicea Cariæ in Phrygiæ confiniis, unde Ptolemæus eam Cariæ, Strabo Phrygiæ adſcribit; hæc ex ſex ejus nominis urbibus à Seleuco conditis apud Appianum perhibetur. Lycus & Caper in Mæandrum influentes illam alluebant; urbs quidem ejus tractûs ex Strabone maxima. Epocham ab anno U. C. 565. dinumerat, quando Aſiæ civitates à Romanis in libertatem, Antiocho Magno Syriæ Rege devicto, ſunt reſtitutæ.

Æræ Cap. 565.

388. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΠΗ. *Laodicenſium Neocororum anno* 388. Rhea Jovem ulnis tenet inter Corybantes, in imo Caper & Lycus jacentes, per aëra volitans aquila. *Num. Caracallæ.*

Laodicea à Caracallâ Imperatore facta Neocora, plurimos illi nummos percuſſit, inter quos maximus ille ſolus præfert annos 388. illos autem ſi addideris anno U. C. 565. quo in libertatem Laodicea eſt cum aliis Aſiæ urbibus reſtituta, habebis annum 952. quo Caracalla cum patre Severo ad Parthicum bellum profectus eſt. Typus Jovis natalitia exhibet per Rheam & Corybantes, quorum notiſſima hiſtoria ab aliis ſæpiùs decantata. Caper & Lycus fluvii, ejus ſitum denotant.

ΛΕΥΚΑΣ ΚΟΙΛΗΣ ΣΥΡΙΑΣ.

— Leucas eſt oppidum Cœleſyriæ, cujus populos Plinius lib. 5. cap. 23. recenſet, *ad Orientem Laodicenos qui ad Libanum cognominantur, Leucadios, Lariſſeos.* Hi duabus uſi ſunt Æris ut plurimi alii Syriæ populi; primam computarunt ab Actiacâ Victoriâ die 27. Septembris anno U. C. 723. in quâ Auguſtus M. Antonium ſuperavit, & tota Syria in victoris poteſtatem devenit: alteram ſub Claudio anno U. C. 801. à quo aliquod beneficium accepere, unde ſe Claudios nominarunt.

Æræ Capita 723. & 801.

ΚΛΑΥΔΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ ΕΚ. *Claudiorum qui & Leucadii, anno*

anno 55. Trajanus in quadrigis. *Num. Trajani.* à posteriori 55.

Posteriorem Epocham à Leucadiis assumptam prætulimus, cùm Trajanum nummus exhibeat. Notarunt Claudianæ Æræ annos 55. qui juncti cum ejus initio ab U. C. 801. dabunt simul 856. quo Trajanus Dacicus appellatus est, & de Dacis triumphavit, ut nos confirmat ejus Augusti nummus.

ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ ΔΟC. *Leucadiorum anno* 274. Caput muliebre turritum in templo quatuor columnarum. *Num. Gordiani.* à priori 274.

Leucadii, leves ut Antiocheni, Claudianam Æram computarant, cùm ab eo beneficium aliquod accepissent; ipsâ antiquatâ ut & Claudiorum appellatione, Augustanam utpote vetustiorem receperunt. Mulier turrita, urbis Genius est, quem Syriæ populi ut Deum venerabantur, imò & templa ipsi erigebant. Eminent. Norisius cùm suum de Epochis librum scriberet, plurimos Syriæ ei nummos qui aliquâ Ærâ erant insigniti, libens misi, licèt secundum de Seleucidis usque ad Vespasianum, primo de Syriæ Regibus usque ad Pompeium in lucem jam emisso, edere decrevissem. 439.

MOΨOTECTIA.

Mopsuestia, urbs Ciliciæ ad Piramum fluvium, cujus meminerunt Cicero Epist. 8. lib. 3. & Strabo lib. 14. à Mopso Vate Apollinis & Mantûs filio nomen habuit, cùm ex Trojâ profectus in Ciliciam venisset. Mopseatæ Æram computarunt Pompeianam ab U. C. 696. postquàm Pyratas deleviſſet, & urbes viginti duas ex Appiano in Ciliciâ instaurasset, inter quas hoc anno confecta videtur Mopsuestiæ reparatio, ut ex nummis probatur. Æræ Cap. 696.

ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΜΟΨΕΑΤΩΝ ΕΤ. HϘP. *Hadrianorum Mopseatarum anno* 198. Minerva galeata stans, dextrâ victoriam, sinistrâ hastam. *Num. Antonini Pii.* 198.

Mopseatæ, cùm Hadrianorum appellationem ob quædam beneficia ab Hadriano accepta, qui eorum urbem, sacram, liberam, & legibus suis utentem pronuntiavit, Æræ Pompeianæ signato 196. memores dedicant, imò & illi statuam posuerunt, ex Grutero pag. 255. eodem anno quo cusus est hic nummus, Ærâ omissâ ab U. C. 695. assignatâ: nam si eos simul junxeris, dant annum U. C. 893. quo Tribunitiam Potestatem tertiam accepit Antoninus Pius, ut in inscriptione habetur. Minerva sui cultum ut in plurimis Ciliciæ urbibus, indicat.

261. ΜΟΨΕΑΤΩΝ ΕΤ. ΑΣC. *Mopſeatarum anno* 261. Plautillæ Auguſtæ caput, Caracallæ verò ex aversâ parte.

Caracallæ & Plautillæ ejus uxoris nummos in eorum matrimonii memoriam æternam cudunt Mopſeatæ, anno libertatis ſuæ 261. in iis ſignato, quem ſi addideris ejus initio ad annum U. C. 696. adſcripto, habebis annum ejuſdem U. C. 956. quo illæ nuptiæ ſunt celebratæ.

262. ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΜΟΨΕΑΤΩΝ ΕΤ. ΒΣC. *Hadrianorum Mopſeatarum an.* 262. Diana Venatrix cum cervis. *Num. Sept. Severi.*

Anno ſequenti percuſſus eſt hic Severi nummus à Mopſeatis ipſi gratulantibus, quòd Ludos Sæculares Romæ anno 957. magnificè ediderit: namſi annos Mopſeatarum 262. cum Ærâ Pompeianâ anni U. C. 696. copulaveris, devenies in illum quo celebrati ſunt. Diana Venatrix apud Mopſeatas culta, in Ludorum Sæcularium gratiam ab iis ſelecta videtur.

275. ΑΔ. ΜΟΨΕΑΤΩΝ ΕΤ. ΕΟC. *Hadrianorum Mopſeatarum anno* 275. Juſtitia ſtolata ſtans, dextrâ bilancem, ſiniſtrâ cornucopiæ. *Num. Macrini.*

Mopſeatæ Macrino nummos dicarunt ut plurimæ urbes Ciliciæ, anno in iis Æræ ſuæ 275. ſignato, qui ex computo illius capitis ab U. C. 696. cadit in Autumnum anni 970. quo Macrinus IV. Id. April. Imperium poſt quatuor dierum interregnum à morte Caracallæ ſuſceperat. Juſtitia in urbe ut Deæ cultum indicat, quam ſignarunt, quòd juſtum exiſtimarent novum Imperatorem.

ΝΕΑΠΟΛΙΣ ΣΑΜΑΡΕΙΑΣ.

Neapolis, urbs modò Samariæ in nummis, modò Syriæ Palæſtinæ dicitur, priùs Sichen & Mabortha. Neapolim dictam, quòd prope veteris urbis ruinas à fundamentis conſtructa fuerit, & Flavianam nominatam ob beneficium aliquod à Flaviâ gente, nempe Veſpaſiano & Tito, plurimis argumentis probavit Em. Noriſius anno U. C. 823. unde Æram dinumeraſſe putat; Colonia facta eſt Romana ſub Philippo Imperatore, & Sergia Neapolis appellata. *Vide noſtrum de Coloniis librum.*

Æræ Cap. 823.

ΦΛΑΟΥ. ΝΕΑΠΟΛΙ. ΣΑΜΑΡΕΙΑΣ L. ΑΙ. *Flaviorum Neapolitanorum Samariæ anno* 11. In laureâ. *Num. Titi. Alter Domitiani.* Palma.

11.

Neapolitani Samariæ Tito & Domitiano in diverſis nummis eodem libertatis ſuæ anno 11. obſequium demonſtrant,

cùm ipsi simul Consulatum iniissent anno U. C. 833. Ille Imperator scilicet octavum, hic Cæsar septimum, ut videre est ex Æræ computo, priori lauream in nummo ut Judææ Debellatori, posteriori arborem palmam ut ipsius provinciæ subactæ symbolum.

ΦΛ. ΝΕΑCΠΟΛΕΩC CYP. ΠΑΛ. ET. ΠΖ. *Flaviæ Neapolcos Syriæ Palæstinæ anno* 87. Diana Polymammia. *Num. M. Aurelii.* 87.

Alter *ejusdem anni.* Astarte stans cum capite Osiridis. *Faustinæ jun.*

Nummos dicarunt eodem suæ libertatis anno 87. Neapolitani M. Aurelio Cæsari cum Tribunitiâ Potestate, & Faustinæ ejus uxori Augustæ, quem si copulaveris cum ejus Æræ initio ad annum U. C. 823. designato, devenies ad Autumnum anni 909. quo illa cœpit. Diana Polymammia & Astarte sui cultum in urbe indicant.

Eadem epigraphe. ΠΗ. *anno* 88. Caput Serapidis. *Num. M. Aur.* 88.

Anno sequenti cujus est iterùm nummus M. Aurelio à Neapolitanis, nempe anno U. C. 910. cùm Tribunitiam Potestatem XI. iniisset. Caput Serapidis sui cultum pariter in urbe denotat.

Eadem epigraphe ΠΘ. *anno* 89. Apollo cum ramo lauri, sinistrâ palmam. *Num ejusdem Cæsaris.* 89.

Alter *ejusdem Faustinæ*, cum muliere, dextrâ pateram, sinistrâ cornucopiæ.

Rursùs Neapolitani versùs M. Aurelium & Faustinam illius uxorem in diversis nummis anno Æræ suæ 89. obsequium obtestantur: in priori Apollinem, quem colunt; & in posteriori urbis Genium per Faustinam exhibent.

Eadem epigraphe ϙ. *anno* 90. D. Polymammia cum cervis. *Num. ejusdem Faustinæ junioris.* 90.

Quotannis nummos Faustinæ & M. Aurelio ejus marito cudisse Neapolitanos demonstrat hic anno urbis novæ conditæ 90. licèt ex quatuor annis tantùm nobis sint superstites, hic anno U. C. 910. respondet. Porrò ipsi in nummis suis Epocham signare non semper solliciti sunt, ut in hoc Opere observare licet. Dianæ Polymammiæ cultus Epheso Neapolim videtur translatus.

NEOKAICAPEIA.

Neocæsarea Cappadociæ vel Ponti Polemoniaci urbs, à nobis inter urbes Metropolis dignitate insignitas jam memorata est. — Hæc *Eupatoria* primò videtur dicta, posteà *Megalopolis*, ad Lycum fluvium sita, quæ postquàm Polemo Rex Neroni Imperatori regnum concessisset anno U. C. 815. novæ provinciæ Metropolis constituta est; unde Æram in nummis deinceps computavit, ut ex iis eruitur.

Æræ Cap. 815.

KOINON NEOK. MHTPO. ET. ϟH. *Commune Neocæsareæ Metropoleos anno* 98. Templum quatuor columnarum. *Num. M. Aurelii.* 98.

Neocæsarea nummos M. Aurelio dedicat anno Æræ suæ 98. qui additus ejus initio U. C. 815. incidit in annum 912. & decurrere potuit usque ad annum 218. quo Tribunitiam Potestatem XII. & XIII. suscepit; quâ de causâ ipsi gratulabatur. De templo quatuor columnarum, si mihi augurari liceret, Neroni illud adjudicarem, cùm in plurimis nummis ejus occurrat, & figura in cippo more Imperatorum paludata.

KOINON NEOKAIC. MHT. ET. ϞMH. *Commune Neocæsarensium Metropoleos anno* 148. Templum quatuor columnarum, in quo icuncula cippo imposita. *Num. Severi, Jul. Domnæ, Caracallæ & Getæ.* 148.

Commune Neocæsarensium Severo & ejus familiæ nummos cudit eodem Æræ suæ anno, nempe 148. quem si addideris ejus initio anni U. C. 815. correspondet anno 862. quo Severus Calidonios aliosque barbaros in Angliâ vicit, & familiam Imperatoriam secum in eam duxerat. Templum idem ut in M. Aurelio, quod nostram suprà auget conjecturam.

NEOKAIC. MHT. ΠONTOY. ET. ϞEB. *Neocæsareæ Metropoleos Ponti. anno* 162. Mensa supra quam duæ urnæ cum palmis. *Num. Al. Severi.* 162.

Neocæsarea in nummis Neronianam computat Epocham ab anno U. C. 815. hic habet 161. qui simul copulati, correspondent anno U. C. 975. quo Alexander Severus, mortuo mense Septembri Elagabalo, Imperium suscepit. Mensa cum Ludorum urnis, denotat Certamina Neocæsareæ edita, quæ cùm non sint nominata in nummis, ignorantur.

ΟΡΘΩCIAC.

Orthoſia, urbs Phœniciæ maritima, Syriæ ſuperiori finitima, quæ Eleuthero amne ab illâ ſeparatur. De hac ſic habet Strabo lib. 16. *Deinceps eſt Taxymira, Orthoſia, & Eleutherus amnis, quem quidam Seleucidis terminum faciunt.* Illa quidem antiqua fuit, ſi in libro Macchabæorum ejus mentio fiat, in quam Tryphon ab Antiocho Evergete Doris obſeſſus navi fugit, & Epocham Seleucidarum ab anno U. C. 442. dinumeret, ut ex nummis Antonini Pii eruitur; nam in aliis nullam computat. —— Æræ Cap. 442.

ΟΡΘΩCIEΩN ЄΠ. *Orthoſienſium anno* 462. Aſtarte tunicata Fluvio inſiſtens, dextrâ haſtam, coronatur à Victoriâ in cippo. *Num. Antonini Pii.* 462.

Orthoſia nummos Auguſto & Trajano percuſſit, ſed in illis Epocham haud ſignavit, ut in M. Aurelio & Elagabalo, ſed tantùm in iis Antonini Pii numeravit annos 468. Æræ nempe Seleucidarum, qui ſi illius initio U. C. 442. correſpondenti adjicias, annum habebis 903. quo illa Autumno cœpit, & Antoninus Tribunitiam Poteſtatem XIII. ſuſceperat. Aſtarte ſui cultum in urbe, ut in aliis Phœniciæ, frequentem indicat. *Vide noſtrum de Coloniis librum.*

ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΙC.

Pompeiopolis urbs gemina in nummis occurrit, una in Paphlagoniâ, quæ Metropolis in iis perhibetur; altera Ciliciæ, quæ Æram dinumerat: utraque à Pompeio M. cognominata, hæc priùs dicta Soli, à Solone qui eam condiderat, teſte Diogene Laërtio. In hanc hominum frequentiâ deſtitutam Pompeius piratarum reliquias tranſtulit, quas judicabat potiſſimùm ſalute & providentiâ aliquâ dignas, & mutato nomine eam Pompeiopolim dixit anno U. C. 687. à quo tempore Epocham deinceps computavit. —— Æræ Cap. 687.

ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΠΗΓΗ COΥΝΙΑC. ΒΝC. *Pompeiopolitarum Fons Sunias. Anno* 252. Fluvius dextrâ ramum, ſiniſtrâ urnæ aquas vomenti innixâ. *Num. Commodi.* 252.

Pompeiopolis Ciliciæ nummos M. Aurelio & L. Vero adulans, ſub Chryſippi Philoſophi, & Arati Aſtrologi inſignium ſuorum popularium iconibus ſignavit anno Æræ ſuæ 229. qui ex illius computo incidit in Autumnum anni U. C. 915. quo L. Verus ad bellum Parthicum properans, Pompeiopolim tranſiit. Nil mirum igitur ſi ipſa urbs Commodo illius filio & hu- 229.

jus nepoti nummos etiam dedicat anno ipsius Imperii 14. si
252. enim annum Æræ Pompeiopoleos 252. in nummo signatum, cum illius initio ad annum U. C. 697. assignato conjunxeris, annum U.C. 942. habebis. Fons Sunias in Minervæ honorem dictus, cujus icon forsan in nummo repræsentatur.

282. ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΙΤΩΝ ΒΠΟ. *Pompeiopolitarum anno* 282. Minerva cum crescente Lunâ humeris falcatâ, dextrâ victoriam, sinistrâ hastam. *Num. Ant. Caracallæ.*

Pompeiopolitarum immunitates confirmasse Caracallam testari videtur hic nummus, dum eorum urbem ingressus est, ad bellum Parthicum properans; cujus rei memores, huic Augusto illum percusserunt anno Æræ suæ 282. quem si conjungas cum ejus initio ad annum U.C. 687. suprà demonstrato, annum attinges 968. quo signatus est Autumno. Caracalla autem A.D. VI. Idus April. 969. occisus est. Minerva in plurimis Ciliciæ civitatibus colebatur; sed hæc crescentem Lunam habens supra humeros, Arnobii sententiam confirmat, de quâ lib. 3. *Aristoteles inquit, & Granius memorat, vir ingenio præpotens, atque in doctrinâ præcipuus, Minervam esse Lunam probabilibus argumentis explicat, & literatâ auctoritate demonstrat.*

309. ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΘΤ. *Pompeiopolitarum anno* 309. Figura virilis nuda sacra facit super aram, ponè eam arbor. *Num. Gordiani.*

Gordianus Pompeiopolim videtur appulisse, & ejus privilegia confirmasse, dum ad bellum Persicum proficisceretur, ut denotat hic nummus, Autumno anni U. C. 995. si annum ejus Æræ 309. cum illius initio ad annum U.C. 687. copulaveris. Figura nuda sacra faciens ante arborem, videtur esse Apollo, in hac urbe cultus, pro Imperatore sacrificans ante laurum ipsi sacram.

ΡΑΒΒΑΘΜΩΜΑ.

Rabbathmoma, Arabiæ Petræ urbs Ptolemæo lib. 5. cap. 17. Stephanus eam tertiæ Palæstinæ assignat, quam à Græcis Arcopolim dictam narrat. Ejus interpres Thomas de Pinedo Lusitanus, nomen ejus deflectit ab Hebræo Rhabath Moab, id est *magna urbs Moabiæ.* Ipsa ex nummo Severi Epocham dinumerare
Æræ Cap. 811. videtur ab anno U. C. 811. ob præstitum fortè Romanis auxilium, quando Corbulo Parthis bellis inferebat, propter quod à Nerone Imperatore beneficium aliquod acceperit.

ΡΑΒΒΑΘΜΩΜΗΝΩΝ ΒΜΡ. *Rabbathmomenorum anno* 142. Mulier ga- 142.
leata, dextrâ haſtam, ſiniſtrâ extensâ aquilam, pede ſaxo impoſito. *Num. Septimii Severi.*

Rabbathmoma Sept. Severo obſequium ſuum teſtari videtur, dum ſuos ipſi nummos dedicat, in iis annum Epochæ ſignans 142. cujus initium ab anno U. C. 811. ſub Nerone ſumus augurati. Hi ſimul juncti incidunt in annum 953. quo Severus Parthos fugavit. Figura muliebris in nummo videtur eſſe Roma, quam Dominam veneratur Rabbathmoma.

ΡΑΜΑΘΑ.

Ramatha, urbs Palæſtinæ in Tribu Ephræmitarum apud Joſephum Antiq. lib. 5. cap. 11. Hi dicti ſunt ab Ephreme Joſephi filio, qui inter filios Jacobi cum fratre adoptatus eſt: ipſorum Tribus terram à Jordane uſque Gadara in longum protenſam ſortita eſt, in latum patentem à Bethelis uſque magnum campum. Ramatha Æram computavit, quando ſe ex Seleucidarum Imperio, dum mutuis cladibus ſe Antiochi fratres Syriæ Reges atterebant, ut aliæ urbes liberavit, forſan eodem tempore quo Aſcalonitæ, nempe U. C. 640. ut ſuprà diximus. Æræ Cap. 640.

ΡΑΜΑΘΗΝΩΝ ΒΙΡ. *Ramathenorum anno* 112. Caput turritum. *Num.* 112.
Auguſti.

Ramatheni Auguſto, cùm Archelai Judæorum Ethnarchæ auxilio libertatem iterùm recupavere, anno 764. nummos gratulabundi percuſſerunt: nam ſi annos eorum Epochæ 112. cum ejus initio ad annum U. C. 650. à nobis aſſignato copulaveris, ad Autumnum anni 761. uſque alterum ſubſequentis decurrentem pervenies, quo Archelaus Viennam relegatus eſt.

ΡΑΦΙΑ.

Raphia, ultima eſt civitas ditionis Regum Syriæ versùs Ægyptum, Antiochi Magni cum Ptolemæo clade inſignis, parùm à mari diſtans: at cùm Raphia ab Alexandro Jannæo ſupra Seleucidas, dum ſe bellis inteſtinis deſtruerent Syriæ Reges, occupata fuiſſet, Pompeius cum aliis urbibus liberas eſſe juſſit, teſte Joſepho: hæc verò ſub Gabino Syriæ Præſide tantùm reſtaurata anno 697. ab hoc tempore Æram computavit, teſte Em. Noriſio. Æræ Cap. 697.

ΡΑΦΙΑ ΖΑC. *Raphia anno* 237. Diana Venatricis habitu ſtans cum 237.
creſcente Lunâ in capite, d. ſagittam è pharetrâ dorſo impoſitâ depromit, ſ. arcum: pro ped. cervus. *Num. Commodi jun.*

Raphia Commodo Imperium, poſt M. Aurelii patris mortem A. D. XVI. Kal. April. U.C. 933. ſoli ſuſcipienti gratulans, nummos percuſſit, quod ex computo Epochæ anni 237. cum ejus initio ad annum U.C. 697. aſſignato probatur. Juvenili autem facie ille depingitur. Diana ſui cultum in urbe indicat.

266. ΡΑΦΙΑ ϛϞϚ. *Raphia anno* 266. Apollo nudus ſtans, dextrâ plectrum, lævam apponit lyræ tripodi impoſitæ. *Num. Caracallæ.*

Caracallæ nummos ſignavit Raphia anno Epochæ ſuæ 266. quæ cœpit ab Autumno anni U. C. 697. qui ſimul juncti cadunt in annum 962. ad Autumnum anni ſequentis decurrentem, quo cum patre Severo in Britanniâ moraretur. Raphiotæ ſe Apollinem per hunc nummum, & Dianam per ſuperiorem, ex Latonâ gemellos colere demonſtrarunt.

CAMOCATA.

— Samoſata, urbs Commagenæ ſuperioris, Syriæ partis, quæ pro
Æræ Cap. Syriæ regno Antiocho à Pompeio relicta eſt; hæc quidem ad
825. Orontem fluvium naturâ fuit munita, apud Strabonem lib. 16. poſteâ Antiochum Epiphanem ex eâ Pætus Syriæ Rector ſub Veſpaſiano expulit, quæ Imperio Romano adjecta eſt, & Metropolis facta cum Sacræ, Inviolatæ, & ſuis legibus utentis immunitatibus, ab anno U.C. 825. Veſpaſiani Imperii quarto; unde ſe Flaviam appellavit, & Epocham dinumeravit.

60. ΑΔΡΙΑΝΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟϹ ΕΤ. Ζ. *Hadrianus Auguſtus anno* 60. Caput Hadriani laureâ inſigniti.

ΦΛΑ. CAMO. ΜΗΤΡΟ. ΚΟΜ. *Flaviorum Samoſatenſium Metropoleos Commagenes.* In coronâ civicâ.

Samoſatenſes Hadriano Imperatori munifico nummos dedicarunt anno Æræ ſuæ 60. qui ſi addatur illius initio anni U.C. 825. incidet in Autumnum anni 884. quo ille Syriam & Commagenem luſtravit, & urbem haud dubiè beneficiis locupletavit, quorum illi memores hunc nummum cuderunt, cum laureâ ex quercu compoſitâ, civium Servatori conceſsâ, quòd Hadrianus pauca bella geſſerit.

Φ. CAM. IEP. ACT. AT. ET. Bϙ. *Flaviorum Samoſatenſium Sacræ, In-*
92. *violatæ, ſuis legibus utentis, anno* 92. Mulier inſidens ſcopulis, d. ſpicas: pro pedibus Fluvius emergens. *Num. L. Veri.*

Epocha Samoſatenſium Flaviana ab anno U. C. 824. qui ſi addatur anno Æræ illius in nummo ſignatæ 92. habebis annum

num U. C. 912. quo illa Autumno cœpit, cùm L. Verus per L. Priſcum Armeniam recuperavit, quâ de re lætantes, nummos huic Imperatori percuſſerunt.

CEBACTH KIAIKIAC.

Sebaſte Ciliciæ dicta eſt in honorem Auguſti ab Archelao Cappadociæ Rege, cùm priùs Eleuſa vocaretur: erat urbs in inſulâ continenti propinquâ, quam Archelaus habitatoribus frequentavit, ac regiam ſibi fecit, cùm Tracheam Ciliciam nactus eſſet, Eleuſam ab Auguſti liberalitate accepit, teſte Dione, anno U. C. 734. & duobus annis poſteà ipſa videtur dicta Sebaſte, unde deinceps Epocham computavit anno ſcilicet U. C. 736. —— Æræ Cap. 736.

CEBACTH IEP. AT. NATAPX. Π. ET. COΔ. *Sebaſte Sacra, ſuis legibus utens, Navarchis Prima, anno* 274. Æſculapius ſtans cum baculo, ad pedes Teleſphorus. *Num. Valeriani.* 274.

De Sebaſtes prærogativis in Commodo & ejus uxore Criſpinâ abundè diximus, nunc nobis ſupereſt ut de ejus Epochâ aliquid proferamus. In ſuperioribus nummis nullam ſignavit, ut multæ urbes, quæ in unico tantùm eam exhibent, unde major dificultas in eâ certò aſſignanda. Sebaſte verò in Valeriano ſignat annum 274. qui copulatus cum ejus Æræ initio ad annum U. C. 736. à nobis indicato, habebis annum U. C. 1010. quo Valerianus ad bellum Perſicum proficiſcens Sebaſten appulit. Maluimus ad hunc annum Sebaſtes Epocham aſſignare duabus de cauſis; prima, quòd tempus elapſum eſt ab Eleuſâ Archelao conceſsâ, & ejus habitatorum frequentatione, & regiorum ædificiorum conſtructione; altera, quòd nummus Valeriano potiùs cuſus ſit cùm illac tranſiit, quàm anteà. Porrò ſi ab anno U. C. 734. quo Eleuſa Regi data eſt, annos numerare velis; non refragabor.

CEBACTH CYPIAC.

Sebaſte, perantiqua urbs, ſi quidem ab Amri Iſraëlitarum Rege condita ſit, unde primùm Samaria dicta eſt, in monte ſita; poſt Reges ſuos ab Aſſyriis novos accepit colonos, deinde Alexandro M. paruit, Ptolemæo poſteà, Seleucidis deinceps, Judæi diſſidentibus inter ſe Syriæ Regibus eam expugnarunt & diruerunt. Herodes Rex Auguſti beneficiis cumulatus, in veteris Samariæ ruinis novam urbem condidit, eamque Sebaſten in ejus honorem appellavit, à quo tempore Epocham anno U. C. 729. dinumeravit. —— Æræ Cap. 729.

91. ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ ΣΤΡΙΑΣ ϟΑ. *Sebaſtenorum Syriæ anno* 91. Aſtarte ſtans, dextrâ caput Oſiridis, ſiniſtrâ haſtam, pede Fluvium calcat. *Num. Neronis.*

Sebaſteni Judæis infenſi ut ſub Antiocho Epiphane, ne cum illis malè acciperentur, Regem ſupplicaſſent, ita videntur Neroni nummos ſuos dicare, ne cum Judæis, qui rebellarant anno U. C. 819. involverentur, ut Æra 91. in eorum nummis ſignata cum ejus capitis computo ab U. C. 729. comprobat. Aſtarte ſui cultum in urbe indicat. *Vide quæ de illa in noſtro de Coloniis libro diximus.*

109 CEBACTHNΩN L. ΘP. *Sebaſtenorum an.* 109. Jupiter ſeminudus ſtans, dextrâ haſtam, ſiniſtrâ extensâ victoriam. *Num. Domitiani. Hunc adde ſuprà in illo Imperatore, quem obliti ſumus.*

Auguſtana eſt Sebaſtenorum Epocha ab Autumno anni U. C. 729. ut diximus, qui ſi adjiciatur annis in eorum ſignatis 109. habebis annum U. C. 837. qui cœpit ab Autumno, & per 838. decurrit, quo Domitianus de Germanis triumphavit: ideò ipſi gratulantes Sebaſti, in nummo Jovem ſuum, cujus ope victoriam retulerat, cum ejus ſigno præ manibus cuderunt.

215. CEBACTHNΩN CTP. L. CIE. *Sebaſtenorum Syriæ anno* 215. Ceres tutulata & ſtolata ſtans, dextrâ tædam oblongam, ſiniſtrâ ſpicas. *Num. Commodi.*

Sebaſteni nummos Commodo cuderunt anno Æræ ſuæ 215. ex ejus computo incidentes in Autumnum anni U. C. 943. uſque ad ſimile tempus anni ſequentis 944. Exhibent verò illi Cererem abundantiæ Deam in urbe cultam, forſan quòd intra annum duo congiaria, ſeptimum nempe & octavum, Populo diſtribuerit: fames autem Romæ fuit, unde SALVS GENERIS HVMANI in nummis Latinis perhibetur.

216. CEBACTHNΩN CTP. L. CIϚ. *Sebaſtenorum Syriæ anno* 216. Mars gradiens galeato capite, dextrâ haſtam, ſiniſtrâ clypeum. *Num. Commodi.*

Nummum hunc anno Æræ ſuæ 216. Commodo ſignarunt Sebaſteni, qui ejus initio ab U. C. 729. copulatus, annum U. C. ſequentem 944. uſque ad Autumnum anni 945. decurrentem efficit. Martem gradivum illi cuderunt, tanquam Commodum ad aliquam expeditionem gradientem.

220. CEBACTHNΩN CTP. L. CK. *Sebaſtenorum Syriæ anno* 220. Ceres ſto-

lata stans, dextrâ tædam oblongam, sinistrâ spicas. *Num. Juliæ Domnæ.*

Sebasteni nummos Juliæ Severi sponsæ percutiunt, ut illius Augustæ gratias sibi concilient, annos Æræ suæ signant 220. qui ejus initio ab anno 729. additi, dabunt annum U. C. 949. qui Autumno præcedentis cœpit, quo Julia Domna in Syriâ moraretur, dum Severus in Osrhoënos, Arabes & Adiabenos erat profectus. Sebasteni Augustam sub Cereris à se cultæ imagine exhibuerunt.

CEAEYKEIA CYPIAC.

Seleucia, Syriæ urbs est maritima, à Seleuco Nicatore Seleucidarum Imperii Fundatore condita, & de illius nomine nuncupata; ad distinctionem verò aliarum *Pieria* dicta, non longè ab Orontis ostiis, cujus descriptionem vide apud Polybium: munitissima quidem fuit ex Strabone. Seleucenses diversis usi sunt Epochis, duabus nempe sub Regibus suis; prior fuit Seleucidarum cum cæteris Syris, ab Autumno anni U. C. 442. altera, ex Chronico Alexandrino, ab Autumno anni U. C. 645. postquàm Antiochus Grypus cum fratre Cyziceno Syriam divisit: Regibus autem ejectis, duas itidem sub Romanis admiserunt, Pompeianam scilicet ab anno U. C. 691. cujus initium cœpit ab Autumno anni præcedentis, quâ antiquatâ Augustanam invexere post Pugnam Actiacam ab anno U. C. 723. quâ etiam relictâ, Pompeianam receperunt.

Prior Æra 690.

Posterior 723.

CEAEYKEΩN ΠIEPIAC CΠΘ. *Seleucensium Pieriæ anno* 289. Templum quatuor columnarum, in quo mons & tres stellæ desuper. *Num. Alex. Severi.* Prioris 289.

A primâ sub Romanis Epochâ à Seleucensibus computatâ, utpote antiquiore incepimus; illa Pompeiana fuit ab Autumno anni U. C. 690. cui adjunctus Æræ annus 289. in nummo signatus, simul component annum U. C. 978. quo ille Autumno cœpit, & Alexander Severus quartam inierat Tribunitiam Potestatem. Mons ille in templo, Jupiter est, qui Seleuciæ sub hac figurâ, ut & sub fulminis icone, colebatur.

Γ. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΖΜ. *Anno tertio, sub Silano Seleucensium anno* 47. Laurea. *Num. Tiberii.* Posterioris 47.

Seleucenses Pompeianam quam ejectis Regibus Æram assumpserant, devicto ad Actium Antonio, ut Antiochenses Au-

gustanam accepere, quam ab anno U.C. 723. dinumerarunt, cui adjecto anno 47. in nummo signato, devenies ad annum U.C. 770. quo decurrebat tertius Imperii Tiberii annus, uti in nummo signatur. Laurea Imperatoris tanquam semper victoris symbolum est.

ΣΙΔΩΝ.

Æræ Cap 643. Sidon, urbs Phœniciæ maritima, à Sidone Noë pronepote condita, proprios habuit Reges, deinde sub Persarum dominio fuit, postea Alexandro M. cessit, & Ptolemæis & Seleucidis paruit, antiquatâque Seleucidarum Epochâ, (de quâ in fine) novam invexit anno nempe U.C. 643. ut rectè annotavit Em. Norisius, ob Autonomiam à Rege Antiocho Cyziceno obtentam. *Vide quæ de Sidone diximus in nostro de Coloniis libro.*

117. ΣΙΔΩΝΟΣ L. ΖΙΡ. *Sidonis anno* 117. Currus Astartes. *Num. Augusti.*

Sidon nummum Augusto non unum percussit, sed plurimos; hic autem tantùm ad nostras manus pervenit anno ejus Epochæ signato 117. qui si jungatur ejus initio ad annum U.C. 643. notato, devenies ad Autumnum anni U.C. 759. quo Tiberius Germaniam vastabat, unde Augustus Imperator appellatus est. De Astartes cultu in Phœniciâ sæpiùs dictum est.

161. ΣΙΔΩΝΟΣ ΘΕΑΣ ΑΞΡ. *Sidonis Deæ anno* 161. Europa tauro vecta. *Num. Claudii.*

Claudio dicavit urbs Sidon anno Æræ suæ 161. qui ex ejus computo incidit in annum U.C. 800. cujus Autumno illa cœpit, forsan gratulans Imperatori urbs, quòd ejus auxilio Mithridates Iberiæ Rex Armeniam occupasset. Europa, dicitur Sidonis Dea, quòd fuisset Sidonia, nempe Agenoris Regis & Argyropes filia, ob pulchritudinem à Jove sub tauri formâ rapta, quam deinceps Sidonii tanquam Deam coluerunt.

175. ΘΕΑΣ ΣΙΔΩΝΟΣ ΕΟΡ. *Deæ Sidonis anno* 175. Typus idem. *Num. Neronis.*

Sidon ut Claudio patri, sic Neroni filio ejus adoptivo nummos consecrat anno Æræ suæ 175. qui junctus ejus initio, dabit annum U.C. 817. cujus Autumno illa inchoavit, cùm Nero A.D. 111. Tribunitiam Potestatem inciperet. Europa tauro vecta, solenne est Sidonis urbis symbolum ad antiquitatem suam demonstrandam.

225. ΣΙΔΩΝΟΣ ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ L. ΒΚΣ. *Sidonis Navarchidis anno* 225. Mu-

lier seminuda supra triremem, dextrâ extensâ. *Num. Trajani.*

Urbs Sidon Navarchidis titulum sub Trajano accipit, à quo videtur eum obtinuisse, ut suprà diximus, quòd ipsa Phœniciæ urbs prima sit: beneficii memor, ipsi Imperatori nummos signat anno Æræ suæ 225. qui ex ejus computo cadit in Autumnum anni U.C. 867. quo Trajanus Assyriam in potestatem Populi Romani redegerat. Mulier seminuda in navi, Fortuna est, navigationem prosperam dirigens.

Alter ΖΚΣ. *Anno* 227. Typus idem. *Num. ejusdem Trajani.* 227.

Nummus hic Trajani à Sidoniis signatus est ab Autumno anni U. C. 869. usque ad mensem Augusti 870. quo mortuus ille Imperator, desumptâ eorum Epochâ ab Autumno anni 643. ut suprà est assignata: idcirco nummus Hadriani cum simili Æræ anno 227. cusus est à mense Augusto, quo Imperii gubernacula suscepit, usque ad Autumnum ejusdem anni 870.

ΘΕΑΣ ΣΙΔΩΝΟΣ L.ΗΚΣ. *Deæ Sidonis anno* 228. Currus Astartes. *Num.* 228. *Hadriani, in Thesauro Regio.*

Sidon nummos iterùm Hadriano percutit anno Æræ suæ 228. qui cum ejus initio copulatus 643. incidit in Autumnum anni 871. quo exercitus Romanos ab Assyriâ, Mosopotamiâ & Arabiâ revocavit, Romam profecturus. Currus ille Astartes, quam eandem esse cum Europâ existimant Sidonii.

In Ærâ Sidonis instituendâ, eam Seleucidarum Epochâ usam fuisse diximus ab U. C. 442. ut plurimæ ejus tractûs urbes, quam tandem recepisse nobis probat nummus Elagabali, qui illam posteà Coloniam Romanam, & Phœniciæ Metropolim adjecto nomine suo constituit. Æræ antiquæ Cap. 442.

ΣΙΔΩΝΟΣ ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ ΒΛΦ. *Sidonis Navarchidis anno* 532. Navis velo expanso. *Num. Regius Elagabali.* 532.

Sidon ut antiquitatem suam denotaret, novâ relictâ Epochâ, veterem Seleucidarum ab anno U. C. 442. resumpsit, cui si addideris annum 532. in nummo signatum, devenies ad Autumnum anni 973. quo illa cœpit; & sic detegitur quo etiam anno facta est Colonia Romana, nempe 974. Navis ad situm ejus maritimum, vel illius in mari potentiam denotandam perhibetur.

TIBERIAC.

Tiberias, urbs Galilææ, olim vocata *Chenereth* ab Herode Tetrarchâ in Tiberii honorem, ſub monte ſita ad oram Lacûs Geneſaretici; Herode verò à Caligulâ in exilium miſſo, data eſt Agrippæ Seniori Herodis Magni nepoti, quam poſteà ejus filius Agrippa à Nerone obtinuit, & Rex anno U. C. 813. dicitur, & ſub Domitiano annos regni 35. numerat, & poſt ejus mortem Romanis acceſſit. Tiberienſes Epocham ab urbis reſtauratione vel conditu Vere anni 770. ex Emin. Noriſio numerarunt, aſſumpto Claudiæ gentis nomine.

Ærx Cap. 770.

81. ΚΛΑΥΔΙΟΤΙΒΕΡΙΕΩΝ ΕΤ. ΑΠ. *Claudio-Tiberienſium anno* 81. Fortuna ſtans ſupra proram, d. temonem, ſiniſtrâ cornucopiæ. *Num. Trajani.*

Tiberienſes ut ſibi Trajani gratiam conciliarent, mox cùm ad Imperium evectus eſt, ei nummos dedicarunt anno Æræ ſuæ 81. qui cum ejus initio ab anno 770. aſſignato copulatus, reſpondet anno U. C. 850. anno primo quo imperare cœpit Trajanus. Fortuna ſui cultum in urbe indicat.

101. ΚΛΑΥΔΙΟΤΙΒΕΡΙΕΩΝ ΕΤ. ΑΡ. *Claudio Tiberienſium anno* 101. Jupiter ſedens in templo tetraſtylo, dextrâ fulmen, ſiniſtrâ haſtam. *Num. Hadriani.*

Populi urbium novo Imperatori gratulantes, ei nummos cudere ſolebant; Tiberienſes ideò Hadriano ſuos conſecrant, addito in eis Æræ anno 101. qui ex ejus computo cadit in annum U. C. 870. quo ille A. D. 111. Id. Auguſti appellatus eſt Auguſtus. Jupiter ſui cultum apud Tiberienſes indicat.

103. ΚΛΑΥΔ. ΤΙΒΕΡ. ΕΤ. ΓΡ. *Claudio-Tiberienſium anno* 103. Aſtarte ſtans, pede proræ impoſito, dextrâ caput Oſiridis, ſiniſtrâ haſtam. *Num. ejuſdem Imp.*

Tiberienſes alterum Hadriano ſignant nummum anno nempe Æræ ſuæ 103. qui ejus initio ab anno U. C. 770. additus, correſpondet anno U. C. 873. quo ille tertium Imperii annum numerabat, & bellum contra Sauromatas geſſit. Aſtarte frequens eſt in nummis hujus tractûs, ſi quidem Dea Syriæ vocabatur.

TPAΛΛΙC.

Trallis urbs Cariæ Plinio & Ptolemæo, uti ſuffragantur nummi, priùs Anthia & Erymna Stephano, eadem Evanthia, & Se-

leucia, & Antiochia Plinio; conditam urbem ab Argivis & quibusdam Thracibus, à quibus ei nomen, referente Strabone. Ad Mæandrum fluvium sita est, in quodam velut abaculo verticem habente defensum, & circùm loca sunt satis munita; civibus optimè frequentata est, ut ulla Asianarum urbium alia, opulentis. Epocham ab anno U. C. 898. numeravit, quo Antoninus Pius terræmotu collapsam restituit, cùm in eâ Imperii omen in Proconsulatu suo acceperit. *Vide Capitolinum.* Æræ Cap. 898.

ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ ΖΘ. *Trallianorum anno* 97. Ædificium quadratum duplici ordine cum areâ, plurimis statuis ornatum. *Num. Gordiani Pii.* 97.

Tralliani in plurimis quos cuderunt nummis, nullam signarunt Æram, nisi in hoc Gordiani nummo annum 97. qui si conjungatur cum ejus initio à nobis anno U. C. 698. assignato, deveniemus ad annum 995. quo Gordianus per Asiam transiit, ad bellum Persicum proficiscens, & munificus Imperator ædificium publicum restaurare jussit, ut Romæ Amphitheatrum Vespasiani fecerat; cujus rei memores Tralliani, illud in nummis exhibuerunt.

ΤΡΙΠΟΛΙC ΦΟΙΝΙΚΗC.

Tripolis, urbs Phœnices maritima, ita dicta, quòd ex tribus urbibus habuerit Colonias, ex Arado, Sidone & Tyro, in quâ Phœnices conventus habere, & de maximis rebus deliberare solebant; à Persis ad Macedones transiit, Ptolemæis cessit, quibus erepta est ab Antiocho Magno; Seleucidis inter se dissidentibus, eam occupavit Dionysius Tyrannus, quem securi percussit Pompeius, & Romanis adjecit, in quorum nummis Seleucidarum Æram adhibuit ab anno U. C. 442. ut sæpè dictum est. Æræ Cap. 442.

L. ΗΠΣ. *Anno* 288. Caput Augusti laureatum. 288.

ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. *Tripolitarum.* Castor & Pollux stantes.

Tripolitæ post Actiacam Victoriam, Marco Antonio devicto, ad Augusti partes ut & reliqua Phœnice transierunt, & ipsi nummos dedicarunt anno Æræ suæ 288. quem si addideris ejus capiti 442. incides in Autumnum anni U. C. 729. quo Augustus Janum clusit, pace toto terrarum orbi partâ; cujus rei lætantes Tripolitæ, nummum cuderunt, in quo exhibentur Dioscuri, quòd illa urbs esset maritima, & navigantibus essent propitii.

331. ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ ΑΛΤ. *Tripolitarum anno* 331. Capita jugata Caſtoris & Pollucis ornata aſtris. *Num. Tiberii.*

Ut obſequium ſuum Tiberio teſtarentur Tripolitæ, nummos etiam conſecrarunt anno Æræ ſuæ 331. qui ex computo ejus capitis correſpondet anno U. C. 772. cujus Autumno illa cœpit, & Tiberius civitates Aſiæ terræmotu dirutas reſtituit, Dioſcurorum cultus ex Caſſio monte ad urbes maritimas tranſlatus dicitur, ex Philone apud Euſebium lib. 1. de Præp. Evang. cap. 7.

428. ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ ΗΚΤ. *Tripolitarum anno* 428. Aſtarte pede proræ impoſito, dextrâ baculum. *Num. Trajani.*

Al. cum eâdem epigraphe. Caſtoris & Pollucis capita jugata. *Num. Hadriani.*

Ex annis Tripolitarum 428. & eorum Æræ initio 442. ſimul junctis, habebis annum U. C. 769. cujus Autumno illa cœpit, & uſque ad Autumnum anni 770. decurrit, intra quod tempus mortuus eſt Trajanus, nempe ante diem 111. Id. Auguſti menſis. Ergo optimè conveniunt iidem anni in Hadriano ſignati. Aſtarte ſui cultum ut & Dioſcurorum in urbe receptum denotat.

453. ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ ΓΝΤ. *Tripolitarum anno* 453. Capita Dioſcurorum ut ſuprà. *Num. Antonini Pii.*

Plurimos Tripolitæ nummos Antonino Pio dicarunt, ſeu ut obſequium ſuum teſtarentur, ſeu quòd ab eo aliquod beneficium acceperint. Primus habet annum Æræ ſuæ 453. qui ex ejus initii computo correſpondet anno U. C. 894. cujus Au-
455. tumno cœpit. Alter exhibet ΕΝΤ. annum 455. cum Dioſcurorum pileis, in annum U. C. 896. incidentem. Tertius ſignat
459. ΘΝΤ. annum 459. cum Aſtarte pede proræ impoſito, correſpondentem Autumno anni U. C. 870. Huic ſimilem M. Aurelio cuderunt.

525. ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ ΕΚΦ. *Tripolitarum anno* 525. Capita Caſtoris & Pollucis jugata.

Tripolitæ nummos Caracallæ cuderunt anno Æræ ſuæ 525. qui ſi conjungatur cum illius initio ab anno 442. incidet in Autumnum anni U. C. 966. quo ille ob victoriam Germanicam delatam appellatus eſt. De Dioſcuris in ſuperioribus nummis dictum eſt.

ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ ΖΚΦ. *Tripolitarum anno* 527. Templum quatuor co- 527.
lumnarum, in quo Caſtor & Pollux ſtantes ad aram. *Num. ejuſdem Caracallæ.*

Hic nummus Autumno anni U.C. 968. ad Autumnum anni 969. decurrentem, intra quod tempus Caracalla in Syriam & Phœniciam venit; cujus rei lætantes Tripolitæ, ei nummos ſuos dedicarunt. Hic templi Caſtoris & Pollucis toties decantatorum proſpectum exhibet.

ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ ΛΛΦ. *Tripolitarum anno* 531. Templum quatuor co- 531.
lumnarum ut ſuprà. *Num. Elagabali.*

Al. ΒΛΦ. *Anno* 532. Aſtarte pede ſupra Fluvium. *Num. idem.* 532.

Al. ΓΛΦ. *Anno* 533. Templum quatuor columnarum, in quo tres 533.
icunculæ. *Num. idem.*

Tripolitæ ex tot nummis Elagabalo variis annis dicatis, ipſi ei quotannis cudiſſe videntur. Elagabalus A. D. Id. Aprilis U.C. 971. Imperium arripuit: at ſi annum 531. in primo ejus nummo ſignatum copules cum ejus initio ab U. C. 642. incides in Autumnum anni 972. uſque ad Autumnum anni 973. decurrentem, quo percuſſus eſt, anno Elagabali ſecundo: alter anno ſequenti cuſus eſt, nempe ab Autumno anni 973. uſque ad 974. anno Elagabali tertio: poſtremus verò ab Autumno 974. uſque ad 975. anno Elagabali quarto, ac quinto excurrente; ille autem menſe Septembri ejuſdem anni occiſus eſt.

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ ΚΟΙΛΗϹ ϹΥΡΙΑϹ.

Philadelphia, Cœleſyriæ urbs antiquiſſima, priùs *Rabbath* vocata, deinde à Ptolemæo nomen ſortita, circa collem ſita eſt, ab Antiocho Magno Seleucidarum Imperio adjecta, ſub Antiocho Dionyſo ab Arabibus occupata, quibus eam eripuit Pompeius anno U.C. 691. unde urbs Æram deinceps computavit. Æræ Cap. 691.

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ L. ΓΜΡ. *Philadelphenſium anno* 143. Herculis caput 143.
laureatum. *Num. Titi Veſpaſiani.*

Alius Domitiani ſimilis Æræ cum capite mul. turrito & velato.

Pompeiana eſt Philadelphenſium Epocha ab anno U. C. 691. cui ſi adjicias annum eorum 143. in his Titi & Domitiani fratrum nummis ſignatum, incides in Autumnum anni U.C. 833. quo Titus annum Imperii ſecundum ingreſſus erat, cùm Veſpaſianus A. D. VIII. Kal. Jul. 832. mortuus eſſet, Domitianus autem Princeps Juventutis adhuc erat: ſed hoc anno

ambo fratres Consulatum, Titus VIII. Domitianus VII. susceperant.

ΦΛΑΥΙΟΠΟΛΙC ΚΙΛΙΚΙΑC.

Æræ Cap. 827. Flaviopolis, urbs Ciliciæ Campestris mediterranea ad fluvium Cydnum sita, à Flaviâ Vespasiani gente nomen habens, ab eo condita, vel restaurata, quando ille Ciliciam in provinciam redegit anno U.C. 827. ex Suetonio; unde deinceps Æram computavit, ut sequentibus nummis confirmatur.

68. ΦΛΑΥΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ET. ΗΖ. *Flaviopolitarum anno* 68. Capita Serapidis cum modio, & Isidis cum loto adversa. *Num. Ant. Pii.*

Flaviopolitæ nummos Antonino Pio dicarunt, ut plurimi urbium Ciliciæ populi, quos in hac serie videre est, in hoc nummo annum Æræ suæ signarunt 68. qui ex illius initii computo ab anno U.C. 827. correspondet anno 894. quo illa cœpit, & Antoninus Pius Tribunitiam Potestatem IV. susceperat. Serapis & Isis frequenter in Ciliciâ colebantur.

114. Al. ΔΙΡ. *Anno* 114. Eadem capita Serapidis & Isidis. *Num. Comm.*

Antoninorum familiæ nummos cuderunt Flaviopolitæ, suprà Ant. Pio, M. Aurelio, cujus Æra detrita est, nunc Commodo anno Epochæ suæ 114. qui junctus cum ejus capite 827. incidit in annum U. C. 940. quo sacra Isidis Romæ coluit publicè; ideò Flaviopolitæ capita Isidis & Serapidis sua numina in ejus nummo signarunt.

144. Al. ΔΜΡ. *Anno* 144. Victoria cum palmâ & coronâ. *Num. Diadumeniani.*

Ciliciæ urbes plurimæ Macrino nummos percusserunt, Flaviopolis suos Diadumeniano ejus filio dedicat, signato Æræ anno 144. qui cadit in annum U.C. 970. quo pater post Caracallæ mortem mense Aprili Imperium susceperat. Victoria exhibetur in spem ejus quam de Elagabalo Macrinus referre existimabat.

155. Al. ΕΛΡ. *Anno* 155. Capita Serapidis & Isidis. *Num. Alex. Severi.*

Plurimas Ciliciæ urbes quæ Macrini partes erant secutæ, malè tractavit Elagabalus, ideò paucæ illi nummos percusserunt; iis omnibus ignovit Alex. Severus: ideò Flaviopolis illi suos consecrat anno Epochæ 155. qui ex illius initii computo cadit in annum U.C. 981. quo Imperator Tribunitiam Potestatem VI. & VII. iniit. Serapis & Isis, solennia sunt urbis numina.

XAAKIC.

Chalcis, Syriæ urbs inter civitates nominibus Macedoniæ insignitas, & à Seleuco huic provinciæ datas, ab Appiano recenſetur in Syriacis. Hæc in monte Libano ſita eſt, eam ad Belum cognominat Plinius; diſſidentibus tandem inter ſe Seleucidis, eorum Imperium diſtraxerunt Arabes, Judæi, & plures Tyranni; Chalcis exinde plures habuit Regulos, quibus deſinentibus, addita eſt Romanis ſub Domitiano anno U. C. 845. ut obſervavit Eminent. Card. Noriſius, unde Flaviæ nomen aſſumpſit. Æræ Cap. 645.

ΦΛ. XAAKIΔEΩN KE. *Flaviorum Chalcidenſium anno* 25. In laureâ. *Num. Trajani*, & alter *Hadriani*. 25.

Chalcidenſes uti Trajano, ita Hadriano ejus filio adoptivo nummos conſecrarunt eodem Æræ ſuæ anno 25. non quòd Trajanus vivens Hadrianum Imperii participem fecerit, ſed nummus Trajani paulò ante mortem, alter Hadriani, ejus principatûs initio ſignatus ſit; nam ille annus cum initio Æræ U. C. 845. junctus incidit in Autumnum anni U. C. 869. uſque in Autumnum anni 870. decurrentem. Trajanus autem menſe Auguſto hujus anni mortuus eſt, & die XI. ejuſdem menſis Imperium ſuſcepit Hadrianus.

ΦΛ. XAAKIΔEΩN 9. *Flaviorum Chalcidenſium anno* 90. In laureâ. *Num. Commodi*. 90.

Plurimos Imperatoribus nummos percuſſerunt Chalcidenſes non aſſignatis Æræ ſuæ annis; ſed hic exhibet annum 90. ex illius initii computo incidentem in Autumnum anni U. C. 934. quo ipſa cœpit, & ille Conſulatum III. iniit. Laurea, ſolitum eſt Chalcidenſium ſymbolum.

URBIUM NUMINA.

ΑΓΑΘΟΝ. *Bonus Eventus.*

BONUS Eventus pro Deo ab antiquis cultus est, & inter Consenses divos agricolarum recensetur à Varrone de Re Rust. lib. 1. Lymphæ comes datus, quoniam sine aquâ & successu misera est agricultura, & frustratio quædam. Euphranoris simulacrum Boni Eventûs nudum erat, dextrâ pateram, sinistrâ spicam & papaver tenens, ut in nummo exhibetur: templum habuit Romæ, ut & Ephesi.

ΤΟ ΑΓΑΘΟΝ ΕΦΕCΙΩΝ. *Bonus Eventus Ephesiorum.* Vir nudus stans, dextrâ pateram, sinistrâ spicas. *Num. Saloninæ.*

ΑΠΟΛΛΩΝ. *Apollo.*

Apollo, Jovis & Latonæ filius, cum Dianâ sorore uno partu editus; dictus autem Apollo ἀπὸ τῦ ἀπολλύειν, quòd jaculis perderet: sed Chrysippo teste, ab *a* privativo & πολλοὶ, cui non sunt multi similes, vel quòd solus luceat, unde & Sol, inter Deos majores adscribitur: diverso autem nomine apud Græcos cultus est.

ΔΙΔΥΜΕΥΣ ΜΙΛΗΣΙΩΝ. *Didymeus Milesiorum.* Apollo nudus stans, dextrâ lyram pulsat. *Num. Caligulæ.*

Al. dextrâ cervum, sinistrâ lyram. *Num. Claudii.*

Apollinem Macrobius Didymeum fuisse vocatum narrat, quòd geminam speciem sui nominis præferat, illuminando, formandoque Lunam; nam δίδυμοι, *gemini* dicuntur, ex uno fonte lucis, gemino sydere, spatia diei ac noctis illustrat. Hoc nomine apud Milesios colebatur, ubi oraculum reddebat, & templum pulcherrimum habuit.

ΑΠΟΛΛΩΝ ΕΜΒΑCΙΟC ΕΦΕCΙΩΝ. Apollo stans nudus, dextrâ demissâ, sinistro cubito columnæ impositò, telum gerit: ex adverso Diana Venatricis habitu, dextrâ pariter demissâ, sinistrâ jaculum tenet. *Num. Antonini Pii.*

ΕΜΒΑCΙΟC Apollinis fuit cognomen, hoc est, *ascendens navim*, ex re nauticâ à veteribus ei datum, ut ΕΚΒΑCΙΟC, id est, *descendens navim.* Priori Jasonem, cùm Argo navem esset conscensurus, rem sacram fecisse docet Apollonius. Utroque co-

gnomine Cyzicenum Apollinem vocatum ſcribit Socrates: nummus verò apud Epheſios etiam Apollinem Εμβάσιον cultum fuiſſe nobis demonſtrat.

ΠΥΘΙΟΣ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Pythius Trallianorum.* Apollo muliebri veſte ornatus, dextrâ ramum, ſiniſtrâ lyram. *Num. Domitiani.*

ΠΥΘΙΟΣ, Pythius Apollo dictus eſt à Pythone ſerpente, quem ſagittis adhuc puer interemiſſe dicitur, cujus fabulam Hyginus & Ovidius deſcripſerunt. In longâ veſte hunc fuiſſe, uti in nummo exhibetur, refert Propertius:

Pythius in longâ carmina veſte ſonat.

Porrò alii Apollinem dictum fuiſſe Pythium ἀπὸ τῦ πυνθάνεσθαι, hoc eſt, *à conſulendi uſu:* alii verò ἀπὸ πύθεσθαι, id eſt, *à putreſcendo*, eò quòd ſine vi caloris nunquam fiat putrefactio. Pythium Apollinem Trallianos Lydiæ coluiſſe nummus nos edocet.

ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ. *Æſculapius.*

Æſculapius, Apollinis & Coronidis Phlegiæ filiâ natus eſt; à patre Medicinam edoctus, à Græcis Ασκλήπιος dictus eſt, ut quidam putant, ὡς ἀπὸ τὸ τὰ ἀσκελῆ τῶν νοσημάτων ἥπια ποιεῖν, hoc eſt, *ab eo quòd quæ morborum aſpera ſunt, mitia faciat.* Alii ab ἄσκλω καὶ ἤπιος deducunt. A Chirone eruditum Medicinam accepiſſe referunt quidam, cujus filiam Epionem duxiſſe narrat Pauſanias, ex quâ Hygiam & tres alias filias habuiſſe. Ipſe Medicinæ Deus habitus eſt, & plurimis in locis cultus.

ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ ΑΜΑΣΤΡΙΑΝΩΝ. *Æſculapius Amaſtrianorum.* Æſculapius ſtans, d. baculum cui involutus ſerpens. *Num. Ant. Pii.*

ΣΩΤΗΡΙ ΑΣΚΛΗΠΙΩ ΝΙΚΑΙΕΙΣ. *Servatori Æſculapio Nicæenſes.* Æſculapius ut ſuprà. *Num. ejuſdem Auguſti.*

ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ ΤΙΑΝΩΝ. *Æſculapius Tianorum.* Typus idem. *Num. Antonini Pii.*

Amaſtriani Paphlagoniæ, ut Nicæenſes Bithyniæ, & Tiani in Bithyniâ Paphlagoniæ confinio Stephano, Æſculapium per nummos tanquam Servatorem urbium ſuarum veneratos fuiſſe edocent.

ΔΙΟΝΥΣΟΣ. *Dionyſius.*

Bacchus ex Jove & Semele Thebarum Regis filiâ natus eſt; cùm autem mater arſiſſet, ex igne ſurreptus, Jovis patris femori aſſutus eſt, qui matris munere functus, partûs tempore in Ny-

sam Arabiæ urbem Nymphis Nysæis educandum dimisit; atque inde ex Jove & Nysâ, id est, à Διὸς καὶ Νῦσα, vocatus Dionysus vel Dionysius. Multæ sunt aliæ de voce Dionysi interpretationes, quas hîc referre supervacuum videtur.

ΔΙΟΝΥCΟΝ ΚΤΙCΤΗΝ ΝΙΚΑΙΕΙC. *Dionysum Conditorem Nicæenses.* Bacchus stans, dextrâ cantharum, sinistrâ thyrsum, pro pedibus tigris. *Num. Antonini Pii & M. Aurelii.*

Nicæa Bithyniæ inter urbis suæ Præsides & Custodes apud Dionem Chrysostomum Orat. 29. Bacchum auctorem civitatis appellat.

ΔΙΟΝΥCΟC ΝΥCΑΕΩΝ. *Dionysius Nysæorum.* Bacchus ornatu muliebri stans, dextrâ racemum, sinistrâ thyrsum, pro pedibus tigris. *Num. Hadriani & Sabinæ.*

Nysæa Cariæ urbs Bacchum sub nomine Dionysi ex suprascriptâ ejus etymologiâ à Διὸς καὶ Νῦσα, coluisse videtur, nomen illi ab urbe suâ inditum gloriata.

ΖΕΤΣ, ΔΙΟC, ΔΙΑ. *Jupiter, Jovis, Jovem.*

Jupiter, vel Ætheris aut Cæli, vel Saturni filius, Universitatis Rector à gentibus habebatur: licèt autem Sapientes unum putarent, pluribus tamen cognominibus appellabant, ita ut plùs quàm trecentos memorent; plurimæ enim urbes diversè eum nuncuparunt, eundemque apud se natum dixere; hîc viginti ex nummis proferam. Græci Jovem vocarunt Ζῆνα, quòd vitæ auctorem esse putarent.

ΔΙΟC ΑΓΟΡΑΙΟΥ ΝΕΙΚΑΕΙC ΠΡΩΤΟΙ ΤΗC ΕΠΑΡΧΕΙΑC. *Jovis Forensis*, ara, *Nicæenses Primi Provinciæ. Num. Domitiani.*

Diximus urbes Primatu insignes, conventuum ac judiciorum esse sedes, in quibus aliæ civitates disputarent: ideò Nicæenses cùm Primatum provinciæ Bithyniæ obtinuissent, aram Jovi Forensi erexerunt. Ille autem Athenis & Lacedæmone colebatur, teste Pausania; imò Mercurius, Minerva & Diana hoc nomine nuncupati sunt.

ΑΚΡΑΙΟC ΕΠΙ ΒΩΛΑΝΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. Jupiter *Acræus* sedens, dextrâ victoriam, lævâ hastam. *Num. Vespasiani.*

Acræus Jupiter dicitur, quòd arcibus præsideret; ἀκραῖος autem, id est, *in summo positus*, unde Juno Ἀκραία apud Euripidem, & Venus Ἀκραία apud Pausaniam. Smyrnæi suum ita præcipuum Deum vocarunt Acræum; quam etiam inscriptio-

nem in marmore reperimus, dum in hac urbe anno 1672. moraremur.

ΖΕΥC ΕΥΡΩΜΕΥC ΕΥΡΩΜΕΩΝ. *Jupiter Euromeus Euromeorum.* Jupiter velut in truncum desinens in templo quatuor columnarum. *Num. Caracallæ.*

Jupiter hic Euromeus videtur esse ille qui Labradæus dicitur in Cariâ, prope Mylasa in Labrandâ vico: at cùm Euromus esset Cariæ urbs, sic dicta ab Euromo Idriæi filio, eundem Jovem coluisse videtur, quem à se Euromeum, ut Labranda Labrandeum, appellavit, qui apud Herodotum lib. 1. Jupiter Carius vocabatur: *In Mylassæ Jovis Carii delubrum vetus ostenditur.*

ΖΕΥC ΕΦΕCIOC ΠΡΩΤOC ACIAC ΕΦΕCIΩΝ. *Jupiter Ephesius Primus Asiæ, Ephesiorum.* Jupiter stans, dextrâ Dianæ Polymammiæ signum. *Num. Severi.*

Plurimæ urbes Jovem, etsi alios Deos tutelares seu conditores colerent, tanquam præcipuum numen venerabantur; ideò Ephesii illum Asiæ primum, subaudi Deum, appellant, imprimis quòd Ephesius à denominatione urbis tanquam topicus nuncuparetur, in cujus manu Dianam suam Polymammiam posuerunt.

ΖΕΥC ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΥC ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *Jupiter Capitolinus Antiochensium.* Jupiter sedens, dextrâ hastam, sinistrâ victoriam: ex adverso Fortuna stans. *Num. M. Aurelii.*

Capitolinus Jupiter Romæ summo honore colebatur, à Capite Toli Vulcentani dictus: at si ei ex toto terrarum orbe donaria pretiosissima mitterentur, nil mirum si quædam urbes illi templum extruxerint, inter quas Corinthum numerat Pausanias lib. 2. *Supra theatrum templum est Jovis, quem Capitolinum Romanorum voce, Græcâ linguâ Coryphæum rectè appellant.* Nummus verò Antiochiam Cariæ urbem illum pariter veneratum esse nos edocet.

ΖΕΥC ΚΑCIOC CΕΛΕΥΚΕΩΝ ΠΙΕΡΙΑC. *Jupiter Casius Seleucensium Pieriæ.* Lapis ingens in templo quatuor columnarum. *Num. Trajani, Severi.*

Casius Jupiter dicitur à Monte Casio Seleuciæ Pieriæ imminente, qui ut Deus colebatur, de quo dici potest quod Trebatio aiebat Cicero Ep. lib. 7. *Tibi placebit Jovem lapidem jurare.*

Seleucienſes ipſi templum erexere, cui Trajanus ſacra fecit, teſte Suida, in cujus rei memoriam nummos cuderunt; quod idem Severo forſan evenit.

ΔΙΟC ΚΑΤΑΙΒΑΤΟΥ ΚΥΡΡΗCΤΩΝ. *Jovis Fulminatoris Cyrrheſtarum.* Jupiter ſedens, dextrâ fulmen, ſiniſtrâ haſtam, ad pedes aquila. *Num. Trajani, Ant. Pii, M. Aurelii, L. Veri, Commodi.*

Eadem epigraphe. Jupiter ut ſuprà in templo quatuor columnarum. *Num. Caracallæ, Philippi Sen. Philippi jun.*

Catæbates Jupiter, id eſt deſcenſor, teſte Pauſania in Eliacis, ἀπὸ τὸ καταβαίνω, *deſcendo.* Suidas: Καταβάτης Ζεὺς, παρ' Ἀθηναίοις καταβιβάζειν τὸ κεραυνὸν, à dejiciendo fulmine, unde Fulgerator Jupiter. Pauſanias Sicyonios Jovi Catæbati aram erexiſſe narrat, ut nummi Chyrrheſtas Syriæ ipſi templum dedicaſſe, cujus iconem exhibent, nos docuerunt.

ΖΕΥC ΚΕΡΑΥΝΙΟC CΕΛΕΥΚΕΩΝ. *Jupiter Fulminator Seleucienſium.* Fulmen ſellæ impoſitum. *Num. Caracallæ.*

Ceraunius Jupiter, idem qui Fulminator dicitur à Latinis, teſte Apuleio, à voce κεραυνὸς, quam Græci fulmen appellant; ſic verò vocatus, ut ait Pauſanias lib. 5. poſt Oenomai domum fulminatam. Heſychius verò hoc nomine in Seleuciâ Jovem vocitatum refert, quod confirmat Appianus Syriac. lib. *Aiuntque, in condendâ ad mare Seleuciâ, ſecutum augurium fulminis: ideoque ibi fulmen tanquam numen conſecratum, hodieque coli hymnis propriis ac ceremoniis.*

ΖΕΥC ΚΩΙΩΝ. *Jupiter Coiorum ſeu Coenſium.* Caput Jovis. *Num. Auguſti.*

Coius appellatur Jupiter ab urbis denominatione, ut ſuprà Epheſus ab Epheſo urbe, licèt illius cultus in utrâque urbe à nullo auctore nobis indicetur, ſed nummi quotidie ab illis prætermiſſa nobis ſuppeditant; adde quòd in omnibus ferè oppidis ut præcipuus Deus imprimis colebatur.

ΠΕΙΟC ΕΦΕCΙΩΝ. *Pius*, ſubaud. Jupiter, *Epheſiorum.* Jupiter in nubibus ſedens, dextrâ pluviam guttatim terræ impertitur, ſiniſtrâ fulmen. *Num. Antonini Pii.*

ΠΕΙΟC ΖΕΥC ΠΕΡΓΑ. *Pius Jupiter Pergamenorum.* Jupiter ſedens, dextrâ pateram, ſiniſtrâ haſtam. *Num. Trajani.*

Pius Jupiter colitur ab Epheſiis & à Pergamenis: quia enim vox *Pius* pro leni ac miſericorde accipitur, ex quâ loquendi conſue-

consuetudine factum est, ut & Deus ipse dicatur Pius, quem tamen Græci nullo suo sermonis usu Εὐσεβῆ vocant. Seguinus Jovem hoc loco *Beneficum* intepretatur lib. Sel. Num. p. 155.

ΖΕΥϹ ΠΑΝΔΗΜΟϹ ϹΥΝΝΑΔΕΩΝ. *Jupiter Præses totius Conventûs Synnadensium.* Jupiter sedens, dextrâ victoriam, sinistrâ hastam. *Num. Domitiani.*

ΔΙΑ ΠΑΝΔΗΜΟΝ ϹΥΝΝΑΔΕΙϹ. *Jovem totius Conventûs Præsidem Synnadenses* colunt. Jupiter sedens ut suprà. *Num. Nervæ.*

Ut Jupiter Forensis apud Nicæenses, quòd Judiciis præesset, colebatur; ita Jupiter Pandemus dicitur apud Synnadenses, quòd totius Conventûs provinciæ Præses esset. Ita Venus dicitur Παύδημος, seu Popularis, apud Pausaniam in Atticis, Eliacis & Bœoticis. Porrò Apollodorus in libro de Deis, Venerem Athenis ait sic vocari, quòd ad forum antiquum sic posita esset, in quo soleret πᾶν δῆμος, hoc est, omnis populus ad conciones convenire.

ΖΕΥϹ ΠΕΡΓΑΜ. Ipse sedens, dextrâ pateram, sinistrâ hastam. *Num. Hadriani.*

Jupiter ille, qui Pergamenorum tantùm dicitur, an idem est qui suprà ab iis Pius appellatus, sedens ut ipse, & iisdem attributis insignis, nempe cum paterâ & hastâ depingitur: an verò Deus Philius seu Amicus, qui Pergami etiam colebatur, & urbis Servator vocatus.

ΖΕΥϹ ϹΤΡΑΤΗΓΟϹ ΑΜΑϹΤΡΙΑΝΩΝ. *Jupiter Imperator Amastrianorum.* Ipse seminudus stans, dextrâ hastam, pro pedibus aquila. *Num. Antonini Pii.*

Jupiter Imperator Romæ colebatur, Prænestæ in deditionem accepto Romam translatus, de quo Cicero in 4. Verrin. *Jovem Imperatorem*, inquit, *quanto honori in suo templo fuisse arbitramini, colligere potestis.* Sic in nummo Septimii Severi IOVI IMPERATORI. An Amastriani hujus cultum in urbem adduxere, aut Jovem suum aliâ de causâ nominavere?

ΖΕΥϹ ϹΤΡΓΑϹΤΗϹ ΤΙΑΝΩΝ. Jupiter stans, dextrâ fulmen, sinistrâ hastam, pro pedibus aquila. *Num. Domitiani, Ant. Pii.*

Jupiter ille ab aliis ϹΤΡΓΑϹΤΗϹ pro ΕΡΓΑϹΤΗϹ, id est, *Opifex*, ut Cicero lib. de Nat. Deor. *Ille Opifex Ædificatorque mundi Deus*, quem Tium urbem veneratur, eam Stephanus narrat ex Demosthene, ἐκ τῆς πομπῆς τὴν Δία, à cultu Jovis Tium ap-

pellatum: alii legunt ΣΥΡΓΑΣΤΗΣ, qui Doricè pro Σύραγξος dicitur, quòd Æsculapius eodem nomine, id est, *Serpentarius*, appelletur, qui idem est cum Jove, unde à Pergamenis ΖΕΥΣ ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ. Ita Æsculapius à Tianis cultus, ut fert alius urbis nummus, ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ ΤΙΑΝΩΝ: proinde non insolitum si Jupiter tum Æsculapius hujus nomine ΣΥΡΓΑΣΤΗΣ seu *Serpentarius* ibi colatur.

ΔΙΟΣ ΤΑΡΣΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. *Jovis Tarsensium Metropoleos.* Ipse sedens, dextrâ pateram, sinistrâ hastam, pro pedibus aquila. *Num. Hadriani.*

Jupiter ille, qui per excellentiam *Jupiter Tarsensium* dicitur, ab Eratosthene apud Eustathium in Dionys. *Tersius* appellatur, qui nomen Tarsi civitati indidit. Vide ejus templum decem columnarum apud Tristanum lib. 2. pag. 217. in cujus frontispicio aquila ipsius symbolum visitur. Hadrianus plurima Tarso beneficia contulit, quorum memor urbs se Hadrianam deinceps nuncupavit, ut nummi ejus superstites confirmant.

ΖΕΥΣ ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Jupiter Philalethes Laodicensium.* Ipse stans, dextrâ aquilam, sinistrâ hastam. *Num. Augusti.*

Philalethes seu Amans Veritatis Jupiter colitur apud Laodicenses. Veritas, Dea existimata est, ΑΛΗΘΕΙΑ à Græcis vocata, Virtutis mater effingebatur; sed Romani patrem ejus Saturnum existimabant, ex Plutarcho: Pindarus verò eam Jovis Olympii filiam facit in Hymnis.

ΖΕΥΣ ΦΙΛΙΟΣ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Jupiter Philius Pergamenorum.* Ipse sedens, dextrâ pateram, sinistrâ hastam. *Num. Trajani.*

Jovem Philium seu Amicum Pergameni summo cultu venerati sunt; eum etiam ΘΕΟΝ ΣΩΤΗΡΑ in nummis vocabant, cui templum quatuor columnarum erexere, ut nos docent ejus Imperatoris nummi. Ejus fit mentio apud Pausaniam in Arcad. cujus cella erat Megalopoli, & frequens Platoni, Apuleio, Luciano & aliis.

ΗΡΑΚΛΗΣ. *Hercules.*

Hercules hoc nomine plures fuerunt; sed iis præteritis, hunc memoramus, qui Jovis ex Alcmene filius perhibetur, Thebanus dictus, cui omnia quæ ab aliis gesta sunt, tribuerunt Græci, ut esset illustrior: ejus duodecim Labores enumerant passim Scriptores, unde Alcides ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, id est, *à fortitudine.*

ΗΡΑΚΛΗ CΩΤ. Μ. ΙΟΥΛ. ΑΓΥΡΟC CΜΥΡ. *Herculi Servatori Marcus Julius Agyrus Smyrnæorum.* Hercules ſtans, dextrâ tria poma, ſiniſtrâ clavæ impoſitâ. *Num. Domitiæ.*

Smyrnæi Herculem non modò venerati ſunt, ſed eum Servatorem in nummo appellant; frequenter in aliis dextrâ poculum ſeu cantharum gerentem exhibent, ſed in hoc tria poma ad Certamina Olympica ſpectantia. Marmor apud Sponium pag. 367. allatum eſt, in quo C. Antius Septimius ea Smyrnæ octies retulit. Smyrnæi Herculem, quòd ea inſtituiſſet, ideò præſertim coluiſſe videntur.

ΜΑΡΝΑC. *Marnas.*

Nullus dubito quin Marnas apud Gazenſes ſub nomine Jovis, qui apud Syros Marnaſſi idem ſonat ac apud Latinos *Dominus hominum*, cultus fuerit; ſed cùm in nummo ſequente Hadriani, poſt ΓΑΖΑ, vox ΜΑΡΝΑ ſequitur, & nulla ſit iſtius Dei Marnæ effigies, ſed à dextris Diana Venatrix dextrâ telum depromens, lævâque arcum gerens, & à ſiniſtris ejus frater Apollo nudus, dextrâ plectrum, ſiniſtrâ arcum, ambo in templo diſtylo, quos etiam ex Marco Diacono Gazenſes venerabantur: ΓΑΖΑ ΜΑΡΝΑ duo eſſe urbis nomina, ut in altero ejuſdem Imperatoris ΓΑΖΑ ΕΙΩ, *Gaza, Io*, potiùs quàm Dei nomen hîc eſſe ſuſpicor; videant tamen Eruditi.

ΓΑΖΑ ΜΑΡΝΑ Ε. ΕΠΙ ΔΡΡ. *Gaza Marna anno 5. cum anno* 194. Diana & Apollo ſtantes in templo diſtylo. *Num. Hadriani.*

ΜΗΝ. *Menſis ſeu Lunus.*

Mas & fœmina Luna exiſtimata eſt, imprimis apud Ægyptios, deinde eorum cultus ad Græcos tranſlatus, & Deus Lunus habitus eſt, cui templa in plurimis locis erecta ſunt, ut videre eſt ſparſim in urbibus quæ hujus Dei effigiem in ſuis nummis exhibuerunt. Pileo Phrygio inſignis, cum creſcente Lunâ humeris falcatâ depingitur.

ΜΗΝ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΠΡΟC ΛΙΒΑΝΩ. *Menſis* ſive *Lunus Laodicenſium ad Libanum.* Lunus cum pileo Phrygio, dextrâ muli habenas. *Num. Sept. Severi.*

Spartianus in Vitâ Caracallæ, Dei Luni in Meſopotamiâ Carrhas meminit, quem miro cultu & veneratione colebant. An Laodicenſes Cœleſyriæ ad Libanum ex eâ urbe illius cultum attulerint? Feſtus, ut potiùs mulum quàm equum Luno

tribui crediderim, mihi ſuadet. *Mulus*, inquit, *vehiculo Lunæ adhibebatur, quòd tam ea ſterilis ſit quàm mulus, vel quòd ut mulus non ſuo genere & naturâ, ſed equis creetur; ſic ea Solis, non ſuo fulgore luceat.*

ΚΑΜΑΡΕΙΤΗC ΝΥCΑΕΩΝ. *Camarites Nyſæorum.* Deus Lunus ſtans cum attributis, dextrâ pateram, ſiniſtrâ haſtam. *Num. Hadriani, M. Aurelii.*

Camarites, nomen eſt Dei Luni à Nyſæis Cariæ ipſi inditum, quorum Nyſa urbs condita à Nyſenis Arabiæ Felicis juxta Ægyptum, in quâ fuerat educatus Bacchus Jovis filius, à patre & à loco Dionyſus appellatus. Kamar autem ab Arabibus Luna dicitur, unde Græcè ab iis Καμαρεῖται nomen Luni factum potiùs quàm à Καμαῖος Cretæ urbe videtur.

ΤΕΛΕCΦΟΡΟC. *Teleſphorus.*

Teleſphorus ex quodam Oraculo dictus eſt à Pergamenis, qui priùs Evamerion appellabatur, & illi divini honores habebantur, ex Pauſania lib. Corinth. ſed ut Æſculapius tanquam Deus Sanitatis Pergami colebatur, & Hygia ejus filia, Salus appellabatur, & Coronis Æſculapii mater in hac urbe etiam divinos recipiebat honores, Teleſphorus inter Deos ſanitatis Præſides annumeratus eſt; Τελεσφόρος autem videtur à quibuſdam dictus, quòd finem morbis imponeret.

ΘΕΩ ΤΕΛΕCΦΟΡΩ ΝΙΚΑΙΕΙC. *Deo Teleſphoro Nicæenſes.* Teleſphorus ſtans cuculo, aliis chlænâ, ornatus. *Num. Antonini Pii.*

Teleſphorus parvus & cuculo involutus ſemper depingitur, forſan quòd embryonem ſeu fœtum in utero per novem menſes perferre dicitur Teleſphorus: καλεῖται ὁ ἡ Τελεσφόρος, τελειεῖ δὲ τὰ ἐμβρύια, ut inquit Nicomachus Geraſenus. Nicæenſes Teleſphori cultum à Pergamenis, cum quibus ſocietatem habuerunt, accepiſſe videntur.

DEÆ.

ΑΡΤΕΜΙC. *Diana.*

Diana Latinis dicta eſt, ſi Macrino fides, ab Ianâ, D litterâ additâ: Iana enim Luna eſt. Ἄρτεμις Græcè, ut Plato docet, διὰ τὸ ἀρτεμὲς, *propter integritatem*, quod confirmat Strabo lib. 13. ἡ Ἄρτεμις διὰ τὸ ἀρτεμέας ποιεῖν, id eſt, Artemis dicta, quòd integros faciat: ſed Macrobius ad Lunam reſpiciens, ait, Ἄρτεμις

quasi διεροτόμη, quòd scilicet aëra secet. Diversis urbibus culta est.

ΑΡΤΕΜΙC ΤΥΧΗ ΓΕΡΑCΩΝ. *Diana Fortuna Gerasorum.* Caput Dianæ cum crescente Lunâ in capite, & pharetrâ dorso. *Num. Hadriani, Crispinæ.*

Dianam Gerasos Decapolitanæ regionis in Syriâ summo cultu veneratos fuisse nos docent eorum urbis nummi, quippe Fortunam illorum esse Deæ venerationem existimantes. Illa bicornem Lunam gerit in capite, ad denotandam Dianam & Lunam esse eandem: ipsi pharetra dorso apponitur, cùm venationi præesse crederetur.

ΕΦΕCΙΑ, ΕΦΕCΙΩΝ. *Ephesia, Ephesiorum.*

ΑΡΤΕΜΙC ΕΦΕCΙΑ. *Diana Ephesia.* Diana Polymammia cum verubus. *Num. Domitiani, Trajani, Sabinæ, M. Aurelii, Commodi, Mamææ, Otacilliæ, Etruscillæ, Galieni.*

Ephesia denominata est Diana ab Epheso urbe, in quâ summâ veneratione colebatur. Minucius eam vocat Ephesiam, mammis multis & uberibus extructam, sicut ejus figura in nummis demonstrat, ut ex ipsâ mentirentur omnium eam bestiarum & viventium esse auctricem, teste D. Hieronymo in Epist. D. Pauli ad Ephes. De celeberrimo illius templo sat dictum à Scriptoribus; id tantùm occurrit notandum in nummis sub epigraphe ΑΡΤΕΜΙC ΕΦΕCΙΑ, Dianam Polymammiam ferè semper ab Ephesiis exhiberi.

ΑΡΤΕΜΙC ΕΦΕCΙΩΝ. *Dianæ Ephesiorum.* Illa Venatricis habitu, dextrâ telum depromens, sinistrâ arcum; aliquando canis. *Num. Neronis, Hadriani, Sabinæ, Commodi, Crispinæ, Gordiani, Valeriani.*

Non modò Diana Polymaston Ephesi colebatur, sed etiam Venatrix; id nos Pausanias & nummi edocent: sed hoc notandum, quòd plurimi cum Venatricis effigie ΑΡΤΕΜΙC ΕΦΕCΙΩΝ inscribuntur. Venatrix autem dicitur, quòd venationi præesse crederetur; multis aliis nominibus donata, quæ passim apud Auctores legere est.

ΑΡΤΕΜΙC ΚΛΑΡΙΑ ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ. *Diana Claria Colophoniorum.* Diana Polymammia cum verubus & cervis. *Num. Trajani.*

Dianæ hujus Polymammiæ cultus Epheso Colophonem transflatus videtur, ut illum per plurimas Asiæ urbes denotant nummi; sed cùm Apollo Clarius diceretur à Claro urbe non

longè à Colophone, illa Dianam ſuam ſub nomine Clariæ potiùs quàm Colophoniæ appellare maluerunt, ut frater & ſoror iiſdem nominibus indicarentur, cùm locus iſte eſſet Apollinis oraculis celeberrimus. *Poſt Colophonem*, inquit Strabo, *parva Inſula Dianæ ſacra.*

ΛΕΥΚΟΦΡΥΣ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Leucophrys Magnetum.* Diana Polymammia cum adminiculis, hinc & inde victoriæ volitantes circa caput: pro pedibus columba. *Num. Hadriani.*

ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. *Magnetum Neocororum Dianæ.* Typus idem. *Num. Maximi Cæſaris.*

Diana apud Magnetes prope Mæandrum cognomine Λευκοφρυὸς, id eſt, *candida habens ſupercilia*, colebatur, teſte Xenophonte. De illius templo audi Strabonem. *Fanum Dianæ Leucophrynes magnitudine quidem templi, & multitudine donariorum Epheſio cedens, concinnitate autem & artificiosâ delubri ſtructurâ longè ſuperius, magnitudine etiam omnia Aſiatica ſuperat, duobus exceptis, Epheſio & quod Didymis eſt.* Nummi Gallieni Leucophrynes cultum Clazomeniis fuiſſe traductum nos docent.

ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΑΡΤΕΜΙΣ. *Metropolitarum Diana.* Diana Polymammia, à dextris Sol, à ſiniſtris Luna bicornis. *Num. Otaciliæ Severæ.*

Hic nummus Dianæ Polymammiæ cultum ex Epheſo Metropolim Phrygiæ tranſmiſſum fuiſſe denotat, per aliquam inter eas urbes, ut videtur, ſocietatem ſeu ἀυτονομίαν. De illâ dictum eſt ſub nomine Deæ Epheſiæ. Sol & Luna, Apollinis fratris & Dianæ ejus ſororis ſymbola, quæ adduntur, quòd illa numina ſanitatis Præſides crederentur. Illuſtr. Spanhemius annos ac tempora denotare exiſtimat.

ΑΡΤΕΜΙΣ ΠΕΡΓΑΙΑ. *Diana Pergæa.* Ipſa Venatricis habitu. *Num. Claudii.*

ΠΕΡΓΑΙΑΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. Typus idem. *Num. Hadriani.*

Pergæa Diana vocata eſt ab oppido Pamphyliæ Pergâ, de quâ ſic Pomponius Mela. *Inter eos Perga eſt oppidum, & Dianæ, quam ab oppido Pergæam vocant, templum munivit etiam Apollonius Tyaneus ejus Deæ, in cujus laudem Sapphus comitem carmina edidiſſe narrat.* Hi nummi Dianam Venatricis habitu cultam ut Epheſi exhibent, licèt Polymammiæ templum eſſet celeberrimum.

ΑΡΤΕΜΙC ΠΕΡΓΑΙΑ. *Diana Pergæa.* Templum duarum columnarum, in quo caput Dianæ pectore tenus. *Num. Sept. Severi.*

ΠΕΡΓΑΙΑC ΑΡΤΕΜΙΔΟC. Typus idem. *Num. M. Aurelii, L. Veri, Tranquillinæ, Philippi Sen.*

Hi nummi nobis templi Dianæ Pergææ, & illius ſimulacri iconem exhibent. Id fanum, ſanctiſſimum & antiquiſſimum vocat Cicero Verrinâ 6. In illo conventus per ſingulos annos celebrari narrat Strabo lib. 14. Pergæ urbi debet natales Apollonius Pergæus inſignis Comicorum Scriptor.

ΗΡΑ. *Juno.*

Juno, Græcè Ηερα vocatur, Saturni & Opis filia, Jovis conjux. Phyſici & Græci Ηερν, *aëra* ipſum interpretantur, Jovis ideò ſponſa, quòd aër igne ferveſcat. Perpetuum ejus ſymbolum eſt pavo, quòd ea avis Deæ ſacra eſſet, teſte Pauſania lib. 2. Sami Junonem ad Imbraſium fluvium & hac in urbe primam nutriviſſe memorant.

ΗΡΑ ΑΜΑCΤΡΙΑΝΩΝ. *Juno Amaſtrianorum.* Dea ſtans ſtolata, dextrâ haſtam, ſiniſtrâ extensâ: pro pedibus pavo. *Num. Ant. Pii, Fauſtinæ Senioris.*

Amaſtriani Paphlagoniæ, inter Deas quas venerati ſunt, Junonem in nummis ſuis, ut Fauſtinæ Antonini Pii uxori gratularentur, ſignandam prætulerunt: ut erat illa Jovis ſponſa, ſic Antonino Pio ſub Jovis Imperatoris effigie ſuprà repræſentato, Fauſtinam ſub Junonis titulo & effigie exhibuerunt.

ΘΕΑ ΚΛΑΖΟΜΕΝΗ.

Cybele eadem eſt quæ Rhea & Ops, Cæli & Terræ filia, vocataque Deûm Mater, Saturni uxor à gentibus credebatur. Dicta eſt Cybele à monte Cybelo Phrygiæ, ideò Dea Phrygiæ appellata fuit, quòd ibi ejus ſacra primò crederentur inſtituta, quæ per plurimas Aſiæ Minoris urbes tranſlata ſunt, ut nummi confirmant.

ΘΕΑ ΚΛΑΖΟΜΕΝΗ. *Dea Clazomene.* Mulier turrita ſedens, dextrâ ſignum Cybeles ſuſtinet. *Num. Valeriani Sen.*

Clazomenii Ioniæ inter plurimas quas colerent Deas, in hoc nummo ſe Cybelem præcipuè venerari ſignificarunt, cùm eam per excellentiam appellavere Deam Clazomeniam, cujus ſignum urbis Genius ſub mulieris turritæ effigie dextrâ gerit, ſub cujus tutelâ tota eſſet civitas. In nummis Caracallæ & aliis

Valeriani ipsa Cybele à Clazomeniis adumbratur, sed sine hoc titulo.

ΘΕΑ ΣΙΔΩΝΟΣ.

Dea Sidonis, Astarte fuit, ut testantur sacri Codices. *Colebat Salomon Astarten Deam Sidoniorum*, lib. 3. Reg. cap. 11. 5. De Astarte meminit Ælianus, qui eam Deam Syriam appellat, ut & Lucianus; sed nummi Astarten & Europam eandem Sidoniorum Deam designant, quæ sub Tauri imagine à Jove ex agro urbis raptam fabulantur, uti jam cognovit Eusebius lib. 1. cap. 7. *Imposuit autem*, inquit, *Astarte capiti suo regale insigne, Tauri caput.*

Θ. ΣΙΔΩΝΟΣ L. ΖΙΡ. *Deæ Sidonis anno* 117. Currus Astartes. *Num. Augusti.*

ΘΕΑΣ ΣΙΔΩΝΟΣ ΖΚΣ. *Deæ Sidonis anno* 227. Currus in quo caput Astartes. *Num. Hadriani.*

Astarte non in solis urbis Sidonis nummis exhibetur, cùm ejus cultus in plurimis Syriæ & Phœniciæ civitatibus admissus fuerit; illa succincta depingitur, aliquando caput Osiridis dextrâ sustinens, aliquando baculum in crucem efformatum, aliquando etiam pede Fluvium calcans, sed planè ab Europâ dissimilis: eandem tamen esse Astarten & Europam suprà diximus post Emin. Norisium, quòd utraque inscribatur Dea Sidonis. Sed cur illæ, variæ esse non possint, & utraque Sidonis Dea appellari?

ΘΕΑΣ ΣΙΔΩΝΟΣ. *Deæ Sidonis.* Europa tauro vecta. *Num. Augusti, Claudii, Neronis, Trajani, Hadriani.*

Europa Agenoris Phœniciæ Regis & Teleptus filia, ob eximiam formam à Jove adamata, quam sub Tauri formâ in Cretam rapuit, hæc deinceps à Sidoniis pro Deâ habita & culta est, imò Sidonis Dea appellata; quâ de re Lucianus de Deâ Syriâ. Nummi quo Sidonii utuntur, habent Europam Tauro, Jovi videlicet, insidentem.

ΘΕΑ ΣΥΡΙΑΣ.

Alia est Dea Syriæ, quæ Dea Sidonis. Lucianum audiamus de Deâ Syriâ opiniones recensentem. *Alius*, inquit, *sermo fertur, quem ego à viro sapiente audivi, quòd Rhea ipsa sit, & templum Attes opus.* Illa est quæ in nummis Hieropolitanis leone vehitur, ut confirmat D. Augustinus lib. 7. de Civit. Dei, illam Matrem Magnam & Tellurem appellans. *Leonem*, ait, *adjungunt solutum*

&

& manſuetum, ut oſtendant nullum eſſe genus terræ tam remotum, ac vehementer ferum, quod non ſubjici cuique conveniat.

ΘΕΑC CΥΡΙΑC ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Deæ Syriæ Hieropolitarum.* Mulier leone vecta, dextrâ ſceptrum. *Num. Caracallæ, Alex. Severi, Jul. Mamææ, Philippi Sen.*

Al. Dea ſedens inter duos leones, dextram imponit crotalo. *Num. Elagabali.*

Mulier illa ab Hieropolitanis Syriæ in nummis ſuis Dea Syria vocata, Rhea eſt, plurimis aliis nominibus dicta, Ops, Cybele, Magna Mater, Tellus, & Deorum Mater. Vocatam volunt Rheam ἀπὸ τῆ ῥεῖν, quòd affluat rebus omnibus Terra; ideò tanquam Regina ſceptrum gerit. Depingitur etiam leone vecta à Carthaginenſibus, qui eam ex Syriâ attulerant, ut nummus Severi argenteus teſtatur cum epigraphe, INDVLGENTIA AVGG. IN CARTH.

KOPH. *Proſerpina.*

Proſerpina, Jovis & Cereris filia, Περσεφόνη vulgò Græcis dicta, quòd φέρουσα τὸ ἄφενος, *ferens divitias.* Κόρη etiam, id eſt, *puella*, ab illis frequenter appellata eſt, de quâ Pauſanias inquit, *uti Jovis ſatu genitam* Κόρην *vocant.* Hæc floribus legendis occupata in campis Enneis à Plutone rapta fuit, quam mater accenſis in Ætna monte tædis toto terrarum orbe, magno labore perquiſiit, tandem Arethuſæ Nymphæ indicio certior facta eſt Proſerpinam apud Inferos eſſe.

KOPH CΩTEIPA KΥZIKHNΩN. *Proſerpina Servatrix Cyzicenorum.* Caput Fauſtinæ cum ſpicarum coronâ.

KΥZIKHNΩN NEΩKOPΩN. Navis cum remigantibus.

Cyzicus Helleſponti urbs præcipuo honore Proſerpinam ſub Κόρης nomine colit, quia, ut ait Appianus de Bello Mithrid. fertur hanc urbem in dotem à Jove datam Κόρῃ Proſerpinæ. Cyziceni in nummis ſuis illam appellant Servatricem, quòd urbs eſſet illius opus, ut ait Stephanus; nam cùm Gigantes abſciſſa littora per mare volventes, oſtia Rhyndaci obſtruere quærebant, Proſerpina verò, cùm de Cyzico certaret, petris radicitùs evulſis, inſulam fecit.

KOPΩNIC. *Coronis.*

Coronis Phlegiæ Lapitharum in Theſſaliâ Regis filia, quæ cùm non ineleganti formâ eſſet, Apollini placuit, à quo & vitiata

& gravida facta est, posteà cuidam Thessalo, mutuo ejus amore captam, sui copiam feciſſe, à corvo deprehensam, ex quo cùm Apollo amicæ perfidiam cognoviſſet, telis eam confodiſſe: alii narrant patrem cùm ab Apolline filiam sensiſſet violatam, confestim irâ percitum, templum ejus Delphis incendiſſe; quapropter Deum iratum, ipsum sagittis etiam interfectum ad Inferos detruſiſſe, Coronidis verò puerum, qui posteà Æsculapius dictus est, ex utero ejus exemptum, Chironi Centauro tradidiſſe educandum.

ΚΟΡΩΝΙC ΕΠΙ CΤΡ. ΠΟΛΛΙΩΝΟC ΠΕΡΓΑ. *Coronis sub Prætore Pollione Pergamenorum.* Figura muliebris velata stans, manibus involutis. *Num. Sabinæ.*

Nemo nescit Pergamenos summo honore Æsculapium prosecutos esse. Tacitus Annal. 3. ait, apud Pergamum sub Tiberio Æsculapii templum compertum Asylum fuiſſe; in eâ autem urbe Æsculapium Medicinam exercuiſſe, ibique officinam habuiſſe Lucianus in Icaromenippo tradit: sed nummi non modò filium, sed & ejus matrem Coronidem Pergamenos coluiſſe, nos faciunt certiſſimos.

NEMECIC. *Nemesis.*

Nemesim Jovis & Necessitatis, alii Justitiæ, filiam fuiſſe tradunt; Dea creditur facinorum impiorum ultrix, honorumque præmiatrix, seu arbitra rerum: ideò à νέμω, quòd bona & mala distribuat: alii à νεμεδάω, *succenseo*, dictam esse. Quidam existimant esse Fortunam, quòd rota ejus pedibus subjiciatur; sed ea illi tribuitur quòd sit velociſſima, & diu non permittat impios præesse atque grassari.

NEMECIC TIANΩN. *Nemesis Tianorum.* Nemesis caput velo tegit, pro pedibus rota. *Num. Antonini Pii.*

Non modò in Atticâ terrâ Nemeseos cultum, sed etiam Patris in Achaiâ nos docet Pausanias, imò & Smyrnæ, ut & nummi; sed hic præcipuam esse Tianorum in Paphlagoniâ Deam. Illius effigies, quæ velo caput obtegit, illam pro Justitiæ filiâ in eâ urbe haberi mihi suadet; cùm enim ipsius Deæ oculi fasciâ obducuntur, ita Nemesis velo faciem tegit, ut nullius habitâ ratione æquiter judicet.

ΠΑΦΙΗ. *Venus.*

Quatuor Veneres à Cicerone commemorantur, inter quas secunda, ut apud Varronem, de Cælo, quod semen igneum cecidisse dicunt in mare, ac natam è spumis Venerem ex conjunctione ignis & humoris, unde Ἀφροδίτη dicta ab ἀφρῷ, id est, spumâ, quæ in Cyprum appulit; & quòd circa Paphum urbem peregrinata sit, dicta est Paphia, si Diodoro credimus, ibique celeberrimum illi templum fuit exstructum ab Aëria vel Cinare Regibus.

ΠΑΦΙΗ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. *Paphia Sardianorum.* Templum Veneris distylum, in quo ejus statua, ante fanum area. *Num. Hadriani, Alex. Severi.*

Sardiani Lydiæ Venerem Cypriam ut Paphii non modò coluerunt, sed illi templum exstruxerunt, de quo audiendus est Tacitus lib. 18. *Templum à Cinara sacratum, Deamque ipsam conceptam mari huc appulsam tradunt, precibus & igne puro altaria adolent; nec ullis imbribus, quanquam in aperto, madescunt. Simulacrum Deæ non effigie humanâ, continuus orbis, latiore initio, tenuem in ambitum metæ modo exurgens, & ratio in obscuro.* Sicut cultus ex urbe Papho in Sardim translatus est.

ΡΩΜΗ. *Roma.*

Roma & à Latinis & à Græcis pro Deâ culta est, de quâ Martialis, *Terrarum Dea gentiumque Roma.* Cassiodorus sub Hadriano Imperatore, Pompeiano & Atelliano Coss. Romæ fanum fuisse constructum narrat, cujus iconem exhibent nummi Antonini Pii cum epigraphe, ROMAE AETERNAE. Ejus effigies modò galeata, modò turribus ornata repræsentatur. Smyrnæi ipsi templum, teste Tacito, ædificarunt, & pro Deâ à plurimis urbibus, quas videre est apud Patinum in lib. Impp. habita est.

ΘΕΑ ΡΩΜΗ ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ ΙΛΙ. *Dea Roma, Sacer Senatus, Ilienſium.* Capita Deæ Romæ & Senatûs, Palladio intermedio. *Num. Caligulæ.*

Ilienses, si Deam Romam colerent, nihil mirum, cùm ipsi parentem urbis Romæ Trojam referrent, apud Tacitum, & se Julii Cæsaris beneficiis cumulatos faterentur, apud Strabonem. Videntur etiam Senatum ut Deum veneratos esse: sed cùm ΘΕΟΝ ΣΥΝΚΛΗΤΟΝ, ut in quibusdam aliarum urbium, non

ſcripſerunt, ſed tantùm honorificâ *Sacri* appellatione contenti, illum inter civitatum Numina à nobis hîc relata non adſcripſimus.

ΘΕΑ ΡΩΜΗ CMΥΡΝΑΙΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Roma galeata ſedens, dextrâ victoriam, ſiniſtrâ haſtam. *Num. Juliæ Domnæ.*

ΘΕΑC ΡΟΜΗC CMΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟ. Typus idem. *Num. ejuſdem.*

Smyrnæi apud Tacitum Annal. lib. 4. ſe jactant primos templum urbis Romæ ſtatuiſſe, M. Porcio Conſule, magnis quidem Populi Romani rebus, nondum tamen ad ſummum elatis, ſtante adhuc Punicâ urbe, & validis per Aſiam Regibus: cujus cultum nummi adhuc Severi temporibus magnâ veneratione apud ſe conſervare teſtantur.

ΥΓΕΙΑ. *Salus.*

Hygia, una ex Æſculapii & Coronidis filiabus perhibetur, à Romanis dicta Salus, cui ædes in urbe à C. Junio Bubulco Cenſore locata fuit. In plurimis civitatibus apud Græcos Hygia culta eſt aut ſola, vel cum patre Æſculapio, cui frequens adſtat ejus effigies, ſtans eſt, & eſcam ſerpenti porrigens, qui pro ſanitatis ſymbolo habetur, cùm quotannis pellem deponat, quaſi novam naturam induens; imò Æſculapius ipſe ſub ſerpentis effigie cultus, ex Epidauro, & ille etiam in Hygiæ tutelâ eſſe videtur.

ΥΓΕΙΑ AMACΥΡΙΑΝΩΝ. *Hygia Amaſtrianorum.* Salus ſtans, eſcam præbet ſerpenti. *Num. Fauſtinæ.*

Amaſtriani Paphlagoniæ per nummos ſuos non modò Æſculapium patrem coluiſſe, ſed ejus filiam Hygiam ſeorſim veneratos eſſe, & illi ſeu templum ſeu aram exſtruxiſſe videntur.

ΘΕΑ ΥΓΕΙΑ ΝΙΚΑΙΕΙC. *Dea Hygia Nicæenſes.* Salus ut ſuprà ſerpentem paſcit. *Num. M. Aurelii.*

Dio Chryſoſtomus Nicææ urbis Deos Præſides & Cuſtodes ſingulatim appellat Jovem, Bacchum, Herculem, Minervam, Venerem, Amicitiam, Concordiam & Nemeſim, nullâ Æſculapii & Hygiæ factâ mentione; niſi dicamus Antiquos Æſculapii nomine Jovem, & Hygiæ Minervam intellexiſſe, unde Jovem ut Æſculapium, Servatorem appellarunt, & filiam ipſam, Sanitatem.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

URBIUM CONDITORES.

DII.

HPAKΛHC. *Hercules.*

TON KTICTHN KYZIKHNΩN. *Conditorem Cyzicenorum*, ſubaud. *urbs colit.* Hercules, dextrâ clavæ innixâ, ſiniſtrâ ſpolia leonis. *Num. Domitiani.*

Appianus Cyzicum urbem in dotem Proſerpinæ à Jove datam narrat lib. de Bell. Mithr. ſed ipſa plurimùm turbata eſt à Gigantibus, nam illi abſciſſa littora per mare volventes, oſtia Rhyndaci obſtruere quærebant; ſed Herculis interventu lapides evertit, teſte Stephano. Itaque Cyziceni, Proſerpinâ Servatrice urbis in nummis ſuis appellatâ, Herculem Conditorem ſuum nuncupant.

ΔIONYCOC. *Dionyſus.*

TON KTICTHN NIKAIEIC. *Conditorem Nicæenſes*, ſubaud. *colunt.* Bacchus cum cantharo & thyrſo in curru quatuor elephantorum. *Num. Antonini Pii, Commodi.*

Nicæenſes Bithyniæ Bacchum ſuum Conditorem vocant; quod confirmat Dio Chyſoſtomus Orat. 29. *Rogo igitur & oro Bacchum auctorem hujus civitatis*, quem Πατέρα vocat. Libanius in Vitâ ſuâ, ait: *Quare adorato Dionyſio ſequebar.* Nicæa autem, recens eſt urbis nomen à Lyſimacho ejus reſtauratore, à nomine Nicææ Antipatri filiæ, uxoris ſuæ, ipſi inditum.

IMPERATORES.

AUGUSTUS.

ΣEBACTON KTICTHN. *Auguſtum Conditorem*, ſubaud. *colit.* Caput Auguſti.

IEPA NIKOΠOΛIC. *Sacra Nicopolis.* Palma in coronâ roſtratâ. *Vide in Auguſti nummis alios hujus urbis huic Imperatori cuſos.*

Auguſtus devicto navali prælio ad Actium Promontorium M. Antonio, urbem in victoriæ memoriam condidit Nicopolim; & ut eam nobilitaret, nihil prætermiſit. Audi Suetonium in ejus Vitâ: *Ludos illic Quinquennales conſtituit, & ampliato*

vetere Apollinis templo, locum castrorum quibus fuerat usus, exornatum navalibus spoliis, Neptuno & Marti consecravit. Vide Pausaniam in Eliacis. Palma victoriam, corona rostrata in mari relatam denotat.

ΚΤΙΣΤΗΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Conditor Augustus.* Caput illius nudum.

ΤΗΙΩΝ. *Teiorum.* Bacchus muliebri habitu stans, dextrâ cantharum, sinistrâ thyrsum.

Augustus Tei urbis Ioniæ in ejus nummis Conditor appellatur per adulationem nempe, qui illius fuit tantùm Restaurator; si quidem longè illo vetustior erat urbs, Herodoto & Strabone testibus. Augustus Isthmi, ubi sita erat Teos ab Austrum, & Clazomenæ apud Septentrionem civitates reparasse videtur, cùm ille in nummo à V. Cl. Morellio in 2. edit. Speciminis allato, ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΤΙΣΤΗΣ ΚΛΑΖΟΜΕΝΙΩΝ etiam vocetur. Teios in Augusti honorem memores exstruxisse nos alter nummus Regius edocet.

TRAJANUS.

ΑΥΤ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΣΩΤΗΡ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ. *Imperator Servator urbis.* Caput Trajani laureatum. *Nummus Romæ à me repertus.*

ΝΕΙΚΟΠΟΛΙΣ. *Nicopolis.* Victoria gradiens capite turrito.

In Mœsiâ apud Iatri fluvii cum Danubio confluentiam Nicopolis urbs est, quam in indicium victoriæ Trajanus condidit Imperator, teste Ammiano lib. 30. post Decebalum Regem victum; quod confirmat nummus ipsius Augusti. Victoriæ caput turribus ornatum, in victoriæ monimentum, & hoc urbi nomen inditum denotat.

Nemo nescit Trajanum in Thraciâ Trajanopolim, Plotinopolim & Marcianopolim condidisse; sed cùm earum nummi illi ΚΤΙΣΤΟΥ vel ΣΩΤΗΡΟΣ nomen non inscribant, eas prætermisimus, ut Hadrianopolim & hoc tractu, & Ἁδριανοθήρας in Bithyniâ ab Hadriano Imperatore ædificatas.

URBIUM ILLUSTRES.

ΑΘΥΜΒΡΟC. *Athymbrus.*

ATHYMBRUM, Athymbradum, atque Hydrelum tres fratres Lacedæmone in Cariam veniſſe narrat Strabo lib. 14. qui urbes ſibi cognomines condiderunt. Athymbrus proximam Mæandro Athymbram ædificavit; ſed cùm cives deinde defeciſſent, vocata eſt Nyſa in Bacchi honorem: & quidem Nyſæi Athymbrum ſuæ urbis auctorem perhibebant, teſte eodem Strabone.

ΑΘΥΜΒΡΟC ΝΥCΑΕΩΝ. *Athymbrus Nicæenſium.* Ipſe nudus ſtans juvenili facie, dextrâ pateram ſuper aram, ſiniſtrâ haſtam. *Num. Maximini.*

Athymbrus ex paterâ libans depingitur, cui tanquam Conditori Nyſæi ſacra ſe feciſſe pro Maximini Imperatoris ſalute per nummos demonſtrant: ille nudus exhibetur ut Heros, & ipſe haſtam ut populorum domitor, manu tenet.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC ΜΕΓΑC. *Alexander Magnus.*

Alexander cognomento Magnus, Philippi Macedonum Regis & Olympiadis filius, paterno regno non contentus, peragravit orbem; Dario tribus præliis profligato, Medis & Perſis imperavit, Indiam cepit, poſt decem belli annos omnium victor rediens, inter voluptates quas vincere nequit, morbo periit Babylone, annos natus trigeſimo tertio, cùm annos regnaſſet duodecim.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC ΜΕΓΑC ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. *Alexander Magnus Macedonum.* Caput Alexandri radiatum. *Num. M. Aurelii.*

Hic nummus M. Aurelio à Communi Macedonum dicatus eſt, ut ſolent illi in pleriſque inſcribere ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ: nec mirum ſi tanti Regis memoriam poſt tot ſæcula in nummis ſuis renovent; ſed adulantes, M. Aurelium tot bellis illuſtrem, incomparabili Heroi ſuo comparare voluere.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ ΝΙΚΑΙΕΙC. *Alexandrum Nicæenſes* colunt. Caput Alexandri diademate redimitum. *Num. M. Aurelii, Commodi.*

Nicæenſes Bithyniæ ſe Alexandrum venerari profitentur, non ut Fundatorem, cùm jam haberent, apud Dionem Chry-

ſoſtomum, Bacchum & Herculem, ſed urbis Reſtauratorem, cujus juſſu Antigonus & Lyſimachus ipſius duces rem ſuſceperant. Vide Photium, qui de Nicææ nomine rem aliter narrat.

BYZAC. *Byzas.*

Byzas, ſi Stephano fides, Neptuni & Croëſſæ Iius natæ filius fuit, vel claſſis Byzæ Thraciæ Regis Dux. Euſtathius Byzam illum Megarenſium claſſis Præfectum extitiſſe refert: inde Porphyrogeneta de Them. lib. 2. cap. 1. Byzantium fuiſſe Coloniam Megarenſium narrat. Byzas galeâ utplurimùm inſignitur, ſemel tantùm diademate ornatum obſervavimus. Byzantis uxor Phidalea.

BYZAC. *Byzas.* Caput galeatum cum barbâ prolixâ. *Num. Alex. Severi.*

Byzantii Thraciæ Conditoris ſui effigiem in nummis ſæpè exhibuerunt, ſed in anteriori parte, cum prorâ navis in poſteriori, & Archontis ſeu Magiſtratûs nomine. Alexander Severus Byzantium, quod diruerat & in vici formam redegerat Septimius Severus, reſtituiſſe videtur, ita ut Byzantini in rei memoriam, in eodem nummo Conditorem & Reſtauratorem repræſentare voluerint.

EKTΩP. *Hector.*

Hector, Priami Trojæ Regis & Hecubæ filius, à Platone dictus ἀπὸ τῦ ἔχειν τὴν πόλιν, quòd urbem à Græcis obſeſſam contra eorum impetum tenuerit, & patriam ſervaverit, ſed tandem ab Achille occiſus eſt, & urbs poſt decennium capta; & cùm Trojanos irrideret Fimbria Val. Flacci Quæſtor, quòd intra undecim dies in poteſtatem ſuam eorum urbem redegiſſet, unus ex iis reſpondit, *Non nobis erat Hector qui pro urbe propugnaret.* Strabo lib. 13.

EKTΩP IAIEΩN. *Hector Ilienſium.* Ipſe galeatus in bigis, dextrâ haſtam, ſiniſtrâ clypeum. *Num. M. Aurelii, Commodi, Sept. Severi.*

Ilienſes Hectora ſuum tanquam Deum venerabantur, ut narrat Athenagoras in Apol. Chriſt. Ἀλλ' ὁ μὲν Ἰλιεὺς θεὸν Ἕκτορα λέγει. *Sed quidem Ilienſis Deum Hectora dicit.* Illum in bigis, ut ſolebant pugnare Heroes, depingunt, cum haſtâ & clypeo, tanquam Græcos provocaturum, teſte Pauſania in Eliac. In Severo victoriam ei tribuunt, huic Imperatori devictis Imperii æmulis, gratulantes.

ΘΗCΕΥC. *Theſeus.*

Theſeus Ægæi Athenarum Regis & Æthræ Pitthei natæ filius, poſt patris mortem ad regnum evectus, multa memoratu digna geſſit, quæ in ejus vitâ à Plutarcho ſcripta recenſentur: ſed cùm de Nicæâ Bythyniæ nobis eſt ſermo, quæ in iis oris fecerit, apud eum legere poteris, ex Menecrate quodam qui hiſtoriam Nicææ Bithyniæ edidit, Theſea memorat cùm Anthropiam Amazonem teneret, demoratum aliquandiu illis in oris.

ΘΗΣΕΑ ΝΙΚΑΙΕΙC. *Theſea Nicæenſes* colunt. Caput ipſius pelle amictum. *Num. Commodi.*

Nicæenſes Theſea veneratos fuiſſe nos edocet eorum nummus, & Plutarchus in eorum regione Pythopolim condidiſſe, & bellum Amazonibus inde intuliſſe ſcribit; ſic Bythyniam in ejus poteſtate fuiſſe redactam neceſſe eſt. Ut autem Athenienſes Theſea tanquam Heroem colebant, ſic eum Nicæenſes. Theſeus clavâ pro armis utebatur, & cùm Herculis facta imitatus eſt, Nicæenſes illi leonis exuvias tribuerunt; erant autem genere quoque propinqui ex conſobrinis nati Hercules & Theſeus.

ΛΕΑΝΔΡΟC. *Leander.*

Leander, juvenis illuſtris fuit ex Abydo Aſiæ oppido, qui Herus Seſtii Europæ urbis, puellæ formoſiſſimæ, Veneriſque Sacerdotis, amore captus, cùm noctu ejus causâ Helleſpontum trajicere vellet, mari tempeſtate ſubitaneâ agitato ſubmerſus eſt. Hero doloris impatiens, ex editâ turri ubi accenſam lampadem tenebat ad viam illi indicandam, in mare ſe præcipitavit.

ΛΕΑΝΔΡΟC ΗΡΩ ΑΒΥΔΗΝΩΝ. *Leander Hero Abydenorum.* Ipſe natans in mari versùs turrim ſupra quam Hero, Cupidine per aëra volitante cum face. *Num. Caracallæ, Alex. Severi.*

Abydeni, quorum urbs à Mileſiis condita eſt Gyge Rege permittente, Leandri civis ſui memoriam in nummis renovant, illumque Herus amore correptum, trajicientem Helleſpontum depingunt, Cupidine per aëra volitante duce, quorum amores Muſæus carmine Græco, & Ovidius Latino cecinerunt.

ΟΜΗΡΟC. *Homerus.*

Homerus, Poëta Græcus fuit excellentissimus, Clymenes filius, ex Pausania lib. 10. qui ante Romam conditam annis circiter centum & sexaginta, ut tradit Corn. Nepos, Iliados & Odysseæ Carmen composuit, in quo Principum familias ejus ætatis depingit. Cæcum fuisse narrant. De patriâ multæ civitates certatim contendunt, quâ de re apud Gellium:

Κύμη, Σμύρνα, Χιὸς, Κολοφὼν, Πύλος, Αργος, Αθῆναι.
Cumæ, Smyrna, Chius, Colophon, Pylus, Argos, Athenæ.

ΟΜΗΡΟC ΑΜΑCΤΡΙΑΝΩΝ. *Homerus Amastrianorum.* Caput illius Poëtarum Principis. *Num. M. Aurelii.*

Amastris Paphlagoniæ urbs Homeri effigiem non ut civem suum exhibet, sed ut Smyrnæ natum, cum quâ societatem seu ὁμόνοιαν, ut Græci loquuntur, habuerit, ut narrant quidam; unde sacra inter utramque civitatem erant communia. At cùm Smyrna delubrum Homero erexerat, Amastris ei pariter exstruxisse voluit, nummum etiam apud Smyrnæos æreum, ΗΟΜΕRIVM dictum, teste Strabone lib. 4. sic alium nummum Amastrianorum pariter producunt ΗΟΜΕRIVM, in cujus aversâ parte decumbit Meles fluvius cum epigraphe ΜΕΛΗC.

ΟΜΗΡΟC ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Homerus Nicæensium.* Ipse sedet, dextrâ cartham involutam. *Num. Commodi.*

Amastrianis concordiâ cum Smyrnæis junctis, illos Homerum in nummis suis exhibuisse, idem de Nicæensibus proferre possumus; sed Vir Cl. Spanhemius in Urbibus Eruditorum ac Sapientum copiâ florentibus, Homerum Eruditorum Deum & Parentem in æternam memoriam ære signari contendit. Nicæa, teste Strabone, scientiarum apprimè cultrix fuisse videtur, quandoquidem ejus Gymnasium solenne ita describit: *In campo quatuor portis apertum est, & ad angulos ita vici sunt constituti, ut qui in medio lapide Gymnasii consistit, is quatuor omnes portas videat.*

ΠΥΘΑΓΟΡΗC. *Pythagoras.*

Pythagoras Samius, Mnesarchi gemmarum sculptoris filius, Hydasi ex Phlyunte qui exul Samum venit, nepos, Polycratis tyrannidem fugiens, in Ægyptum navigavit discendi cupidus, deinde Babylonem, ut Chaldaïcam disciplinam nosceret, se contulit; in patriam reversus, Polycratem adhuc vivum reperit; in

Græciam abiit, & Metaponti mortuus est. Primus μετεμψυχώσεως, hoc est, transmigrationis animarum in alia corpora, adstructor fuit.

ΠΥΘΑΓΟΡΗC ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Pythagoras Nicæensium.* Ipse sedens globum radio tangit. *Num. Gallieni.*

Cùm Pythagoras primus stellæ Veneris cursum observasset, radio, id est baculo, cælestem globum volvens depingitur: sed quare Nicæenses ejus iconem cum nomine in nummis exhibent, id sententiam Viri Cl. Spanhemii confirmat, qui Urbes Eruditorum copiâ florentes, Scientiarum Illustres, ut Nicæenses supra Homerum Poëseos Principem, & nunc Pythagoram Philosophum insignem, in nummis ad eorum memoriam renovandam, consignare voluisse contendit.

ΠΥΘΑΓΟΡΗC CAMIΩN. *Pythagoras Samiorum.* Typus idem. *Num. Commodi, Caracallæ, Trajani Decii, Etruscillæ.*

Samii civem suum Pythagoram ut insignem virum sibi vindicant, etsi apud eos vitam non finierit. Ille Bruti tempore, qui Romæ libertatem vindicavit, Philosophiam docebat; in omnibus ejus nummis globum volvens exhibetur, cùm Veneris naturam primus, ut suprà diximus, deprehenderit, apud Plinium lib. 2. cap. 3.

ILLUSTRES FOEMINÆ.

ΙΩ. *Io.*

Io, Inachi fluvii filia, à Jove adamata, quam Jupiter ob Junonis metum in vaccam transformavit; Juno tamen id suspicata, illam à Jove postulavit, cui custodem Argum dedit: id ægrè ferens Jupiter, Mercurio ut illum interficeret, jussit; Juno indignata, œstrum Io immisit, cujus aculeis exagitata, in plures regiones fugit, & tandem implorato Jovis auxilio, pristinam formam recuperavit, Osiridique tandem nupsit.

ΙΩ ΓΑΖΑ. *Io Gaza.* Io stolata stans, Genio urbis dextram porrigit. *Num. Trajani, Commodi.*

Io dicitur à Stephano inter suas peregrinationes Gazam Syriæ urbem adnavigasse, ibique moratam, nomen *Ionis* urbi dedisse. Gazæi ut antiquitatem urbis indicarent, illam Genio civitatis suæ turrito sub formâ mulieris depicto dextram porrigentem in nummis exhibuerunt, appositio ejus nomine ΙΩ ΓΑΖΑ.

ΗΡΩ. *Hero.*

Vide quæ de Hero Veneris Sacerdote in Leandro ejus Amasio diximus.

ΡΟΔΟΠΗ. *Rhodope.*

Rhodope, Thracum Regina fuit, ut narrat Ovidius, quæ in montem conversa est, vel, ut aliis placet, ibi sepulta. Quidam Rhodopen Strymonis Macedoniæ fluvii filiam esse perhibent, ex quâ Neptunus Athon gigantem genuit, qui & ipsi monti nomen dedit.

ΡΟΔΟΠΗ ΗΓΕΜ. Μ. ΠΟΝΤ. CABEINOY ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛ. *Rhodope Præside M. Pontio Sabino Philippopolitarum.* Mulier seminuda insidens monti, dextrâ ipsi innixâ, sinistrâ florem gerit. *Num. Antonini Pii.*

Philippopolitani Thraciæ populi ad Hebrum siti, Rodopen Naiadem, & ideò Strymonis fluvii filiam, potiùs quàm Thraciæ Reginam, depingere voluisse existimat Seguinus noster, quòd ea monti Rhodopi nomen dederit, ex quo Hebrus fluvius oritur, qui urbem alluit; sed licèt cultu regio non sit ornata Rhodope, quòd sub monte illo sepulta sit, unde monti nomen, Thraciæ populi Reginæ quondam suæ memoriam potiùs quàm Macedonis fluvii filiam renovare voluisse mihi videntur.

URBIUM MAGISTRATUS & Dignitates.

ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣ. *Agonotheta.*

AGONOTHETA dicebatur, qui seu Certamina constituebat, seu Munerarius, qui sorte ductus erat ex Magistratuum numero, quem Petrus Faber Agonost. lib. 1. eundem esse cum Athlothetâ adversùs Hesychium & Suidam ac plerosque recentiores, variis veterum testimoniis comprobavit. Agonotheta purpureâ veste insignis erat, & sceptrum seu virgam manu gerebat, coronâ etiam redimitus, ac peculiari sellâ donatus.

ΕΠΙ ΑΓΩΝΟΘΕΤΟΥ ΑΡΤΕΜΑΓ. ΑΠΑΜΕΩΝ ΝΕΩ. *Sub Agonotheta Artemagora Apamensium Neocororum.* Num. *Sept. Severi.*

ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. *Proconsul.*

Proconsul is erat, qui gesto Consulatu, in provinciam administrandam cum potestate Consulari mittebatur. Cùm autem Augustus provinciarum divisionem fecisset, quædam fuerunt Consulares dictæ, & in nummis Asiæ Minoris, Achaiæ, & Cypri insulæ tantùm occurrunt Proconsules, sub quibus honoris causâ quædam urbes eorum nomina in nummis suis scripserunt usque ad Antoninum Pium.

ΑΙΧΜΟΚΛΗΣ ΛΟΥΙΟΛΛ. Ἐφεσίων, in num. *Neronis, Poppææ.*

ΑΠΡΩΝΙΑΝΟΣ Σμυρναίων, in num. *Antonini Pii.*

ΑΤΤΙΟΣ ΛΑΚΩΝ. Νεικαέων, in num. *Neronis.*

ΑΥΙΟΛΑ Περγαμηνῶν, in num. *Caligulæ.*

ΓΕΛΛΙΟΣ ΡΟΥΦΟΣ Νεικαέων, in num. *Messalinæ.*

ΕΠΡΙΟΣ ΜΑΡΚΕΛΛΟΣ Κυπρίων, in num. *Vespasiani.*

ΓΑΙΟΣ ΚΑΣΣΙΟΣ ΠΟΛΛΙΩΝ Σαρδιανῶν, in num. *Drusi jun.*

ΚΑΙΣΕΝΝΙΟΣ ΠΑΙΤΟΣ. Ἐφεσίων, in num. *Domitiani, Domitiæ.*

ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΡΟΥΦΟΣ Παφίων, in num. *Claudii.*

ΚΟΜΙΝΙΟΣ ΠΡΟΚΛΟΣ Κυπρίων, in num. *Claudii.*

Μ. ΜΑΡΙΟΣ ΡΟΥΦΟΣ sine urbe, in num. *Domitiani.*

ΜΑΡΚΕΛΛΟΣ Κυπρίων, in num. *Claudii.*

Α. ΜΙΝΔΙΟΣ ΒΑΛΒΟΣ Νικομηδέων in num. *Claudii, Britannici.*

Α. ΜΙΝΔΙΟΣ ΒΩΛΑΝΟΣ Παφίων, in num. *Claudii.*

ΠΟΠΛΙΟΣ, ſic, ΟΥΙΤΕΛΛΙΟΣ Νικομηδέων, in num. *Germanici.*
ΟΥΑΛΕΡΙΟΣ Σωναδέων, in num. *Auguſti.*
ΟΥΟΛΟΣΕΝΝΑ Ιουλιέων Ανκυρανῶν, in num. *Poppææ.*
Μ. ΠΛΑΝΚΙΟΣ ΟΥΑΡΟΣ Νικομηδέων, in num. *Veſpaſiani.*
Μ. ΣΟΥΛΠΙΚΙΟΣ ΠΡΟΚΛΟΣ Νεικομηδέων, in num. *Titi.*
Μ. ΣΥΙΛΛΙΟΣ ΝΕΡΟΥΛΙΝΟΣ Σμυρναίων, in num. *Veſpaſiani.*
ΦΙΡΜΟΣ ΠΑΤΡΩΝΟΣ Νικομηδέων, in num. *Claudii.*

Proconsulatum faciens.

Μ. ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΣ ΠΡΕΤΑΝΙΚΟΣ ΕΞ. ΥΠΑΤ. ΠΡΑΤΤΩΝ. in num. *Neronis.*

ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. *Summus Pontifex.*

ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ, Summus Sacerdos vel Pontifex, in nummis Græcis ſupremam Sacerdotii alicujus urbis dignitatem deſignat; at non propter eam nummorum cudendorum habere poteſtatem exiſtimamus, ſed quòd hanc dignitatem cum Prætoris aut alterius Magiſtratûs munere habeat adjunctam: nam Lepidus inſcribitur PONT. MAX. & non ob ſummum Sacerdotium, ſed quòd eſſet Triumvir Reipublicæ conſtituendæ, nummos ſignare jubebat. Quidam exiſtimant hoc Αρχιερέως nomine ſummum Aſiatici Conventûs deſignari; ſed Aſiarchæ iſti dicuntur: ſed unum & eundem eſſe putant, quòd Philippus modò Ασιαρχ. modò Αρχιερεὺς dicatur; ſed cùm eſſet Smyrnæ Summus Sacerdos, electus eſt Aſiarcha, quod nummus probat de Claudio Frontone, qui ΑΣΙΑΡΧΟΣ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ perhibetur, & quod conjunctio καὶ dignitatem ab alterâ diſtinguit. *Vide infrà in Aſiarchis.*

ΑΡΧ. ΑΙΛ. ΟΝΗΣΙΦΟΡΟΣ Κυζικηνῶν. Cyzici erant Prætores. In num. *Caracallæ.*
ΑΣΚΛΗΠ. ΤΡΥΦΩΝ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ Εφεσίων, in num. *Auguſti.*
Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΒΕΛ. ΑΡΧΙ. Απαμέων, in num. *Philippi Sen.*
Λ. ΑΥΡ. ΗΦΑΙΣΤΙΩΝ ΑΡΧΙΕΡ. Δαλδιανῶν, in num. *Juliæ Piæ.*
ΓΑΙΟΣ ΑΡΧΙ. Βαγηνῶν, in num. *Sept. Getæ.*
ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΓΑΑΤΚΩΝ ΕΥΤΥΚΡΑΤΗΣ Εφεσίων, ubi erant Prætores. In num. *Triumvirorum.*
ΗΡΑΣΑΙΟΣ ΑΡΧ. Εφεσίων, in num. *Auguſti.*
ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΒΙΑΣ Κιανῶν, in num. *Domitiani cum Domitia.*
ΑΡΧ. ΚΟΥΣΙΝΙΟΣ Εφεσίων, in num. *Auguſti.*
ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΝΙΚΟΣΤΡΑΤΟΣ Εφεσίων, in num. *Auguſti.*

ΦΛ. ΦΙΛΗΤΑΣ ΑΡΧΙ. Εὐμολπέων, in num. *Otacilliæ.*
ΦΛ. ΦΙCΙΚΟC ΑΡΧΙ. Εὐμολπέων, in num. *Philippi Sen.*

ΑΡΧΩΝ. *Archon.*

Archon in plurimis urbium, quas hîc deſcribimus, nummis, ſummus eſt Magiſtratus, ut in aliis Στρατηγὸς ſeu Prætor, ſub cujus poteſtate & nomine moneta ſignabatur: hæ Athenienſium erant Coloniæ, vel ex illis quæ Colonias alias deduxerant, vel quæ Athenienſium leges ſequebantur, ſicut in Bithyniâ ab Hadriano conſtitutæ Archontas habuere. Duo fuiſſe videntur, qui per annum in magiſtratu manebant. Primus ab altero per vocem A. quam alter reticebat, diſtinguitur; uterque continuari poterat, ut iidem nos docent nummi in quibus τὸ Β. τὸ Γ. *iterùm*, *tertiùm*, ut apud Gruterum ΚΑΙ ΤΟ Β. ΠΡΩΤΟΝ ΑΡΧΟΝΤΑ.

ΑΙΛΙΟC Βυζαντίων. Num. *Caracallæ* duos Archontes fuiſſe docet.
ΑΙΛ. ΑΤΤΑΛΙΑΝΟC ΤΙΟC ΙΠΑCΟΤ Α. ΤΟ Β. Σαιτηλιτῶν, in num. *Gordiani.*
ΑΙΛ. ΔΗΜΗΤΡΙΑΝΟC ΙΠΠΙΚΟΥ ΑΡΧ. Κοπαέων, num. *Gallieni.*
ΑΙΛ. ΖΠΙΛΟΝΙΤΟC ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. Αβυδηνῶν, num. *M. Aurelii.*
ΑΙΛ. ΗΡΚΥΛΑΝΟC ΑΡΧ. Α. Σαιτηλιτῶν, num *M. Aurelii.*
ΑΙ. ΚΑΠΙΤΩΛΕΙΝΟC ΑΡΧ. Βυζαντίων, num. *Plautillæ.*
ΑΙΛ. ΚΑΠΙΤΩΝ Α. ΤΟ Β. Φιλαδελφέων, num. *Antinoi.*
Μ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. Ἀδριανέων, num. *M. Aurelii.*
ΑΝ. ΡΟΥΦΟC ΑΡΧ. Σαρδιανῶν, num. *Caracallæ.*
ΑΝ. ΡΟΥΦΟC ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. Σαρδιανῶν, num. *Caracallæ.*
ΑΝ. ΡΟΥΦΟC ΑΡΧ. Α. ΤΟ Γ. Σαρδιανῶν, num. *Caracallæ, Domnæ.*
ΑΝΤΩΝΙΟC ΙΕΡΑΞ ΑΡΧ. Σαρδιανῶν, num. *Jul. Domnæ.*
Λ. ΑΠΟΛΛΙΝΑΡΙΟC ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. Ἀδριανέων, num. *M. Aurelii.*
ΑΡΙΖΗΛΟC ΑΡ. Σαρδιανῶν, num. *Trajani.*
Γ. ΑCΙΝΙΟC ΝΙΚΟΜΑΧΟC ΑΡΧ. Σαρδιανῶν, num. *Jul. Mamææ.*
ΑΥΡΗΛΙΟC ΜΑΡΚΟΥ ΑΡΧ. ΠΡΩ. Κιβησσέων, num. *Philippi Sen.*
Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC ΑΡΧ. Βυζαντίων, num. *Severi, Carac. Plautillæ.*
ΑΥΡ. ΑΠΦΙΑΝΟC ΤΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΥ ΑΡΧ. Α. Μαιάνων, num. *Etruſcillæ.*
ΑΥΡ. ΑΠΦΙΑΝΟC ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. Μαιώνων, num. *Decii.* Hic nummus Archontas ultra annum non iniiſſe magiſtratum demonſtrat.
ΑΥΡ. ΓΑCΟΠΑΤΩΡ Καδοήνων, num. *Gordiani Pii.*
ΑΥΡ. ΓΑΥΚΩΝ Γ. ΝΙΓ. ΑΡΧ. Α. Βλαωδέων, num. *Philippi jun.*
ΑΥΡΗ. ΔΙΟΝΥCΙΟC ΑΡΧ. Κιλβιανῶν τῷ ἄνω, num. *Jul. Domnæ.*
ΑΥΡ. ΖΗΝΩΝ ΑΡΧ. Α. Μαιώνων, num. *Jul. Mamææ.*

Α. ΑΥΡ. ΗΦΑΙCΤΙΩΝ ΑΡΧ. Α. Δαλδιανῶν, num. *Gordiani Pii.*
ΑΥΡ. ΙΟΥΛΙΑΝΟC ΑΡΧ. ΤΟ Β. Σαρδιανῶν, num. *Caracallæ.*
ΑΥΡ. ΙΟΥΛΙΑΝΟC ΤΟΥ ΑΡΤΕΜΑ ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. Ιȣλιέων Γορδηνῶν, *Carac.*
Μ. ΑΥΡ. ΚΑΠΙΤΩΝ ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. Φιλαδελφέων, num. *Caracallæ.*
ΑΥΡ. ΚΛΑΥΔΙΑΝΟC ΑΡΧ. Σαρδιανῶν, num. *Otaciliæ Severæ.*
Μ. ΑΥΡ. ΚΟΥΙΝΤΙΛΙΑΝΟC ΑΡΧ. Κοτιαέων, num. *Alex. Severi.*
Α. ΑΥΡ. ΜΑΙΩΡ ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. Σαρδιανῶν, num. *Sept. Severi.*
ΑΥΡ. ΠΑΠΙΑC ΑΡΧ. Βλαυνδέων, num. *Volusiani.*
ΑΥΡ. ΡΟΥΦΕΙΝΟC ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. Φιλαδελφέων, num. *Decii, Q. Herenn.*
ΑΥΡ. CΩΚΡΑΤΗC ΑΡΧ. Α. Αδριανοθηρειτῶν, num. *Philippi Sen.*
ΑΥΡ. ΤΡΩΙΛΟC ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. Αγκυρανῶν, num. *Otaciliæ.*
ΔΑΡΗC ΑΡΧ. Μιλησίων, num. *M. Aurelii.*
Τ. ΔΗΜΗΤΡΙΟC ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. Απολλονιδέων, num. *M. Aurelii.*
ΔΗΜΗΤΡΙΟC ΤΟ Β. id est, ΑΡΧ. Βυζαντίων. In hac urbe erant Archontes. Num. *Hadriani.*
ΔΙΟΔΩΡΟC ΤΟ Β. id est, ΑΡΧ. Βυζαντίων, num. *Sabinæ.*
ΔΙΟΓΕΝΗC ΔΙΟΝΥσίȣ ΑΡΧ. Κοτιαέων, num. *Gallieni.*
ΔΙΟΝΥCΟC ΑΡ. Α. ΤΟ Β. Βυζαντίων, num. *Gordiani Pii.*
ΔΙΟΦΑΝΤΗC ΑΡΧ. Κιλβιανῶν ἄνω, num. *Jul. Domnæ.*
ΔΙΩΝ ΤΟΥ ΔΙΟΦΑΝΤΟΥ ΑΡΧ. Μυνδίων, num. *Sept. Severi.*
ΕΥΓΕΝΕΤΗC Αρχ. Φιλαδελφέων, num. *M. Aurelii.*
ΠΟ. ΟΠΤΙΜΟC ΕΥΔΑΜΟC Β. hoc est, ΑΡΧ. Κωιῶν. Nam in hac urbe Magistratus sunt Archontes. Num. *Caligulæ, Claudii.*
ΤΙ. ΖΗΛΟC ΠΡΩΤΟC ΑΡΧ. Φιλαδελφέων, num. *Alex. Severi.*
Γ. ΙΟΥ. ΚΡΙCΠΟC ΑΡΧ. Σαρδιανῶν, num. *Jul. Domnæ.*
Γ. ΙΟΥ. ΚΡΙCΠΟC ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. Σαρδιανῶν, num. *Sept. Severi.*
ΙΟΥ. ΛΙΒΩΝΙΑΝΟC ΑΡΧ. Σαρδιανῶν, num. *Trajani.*
ΙΟΥΛ. CΟΥΛπίτιος ΕΡΜΟΦΙΛΟC ΑΡΧ. Α. Σαρδιανῶν, num. *Gordiani.*
Μ. ΚΑΜΟCΚΑC ΤΟ Β. Βλαυνδέων, num. *M. Aurelii.*
Α. ΚΑΠΙΤΩΝ ΑΡΧ. Αβυδηνῶν, num. *Alex. Severi.*
ΚΛ. ΓΑΖΩΠΑΤΩΡ ΑΡΧ. Α. Καδοηνῶν, num. *Gordiani Pii.*
ΚΛ. ΚΑΠΙΤΩΝ ΑΡΧ. Φιλαδελφέων, num. *Jul. Domnæ.*
ΛΟΛ. ΞΕΝΟΦΙΛΟC ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. Τημενεθύρευσι, num. *ejusdem.*
ΜΑΡΚΟC ΑΡ. Βυζαντίων, num. *M. Aurelii.*
ΜΗΤΡΟΔΩΡΟC ΤΟ Β. id est, Αρχ. Σαρδιανῶν, *Domitiani, Domitiæ.*
... ΜΕΝΑΝΔΡΟC ΑΡΧ. Α. Αδριανέων, num. *Caracallæ.*
ΜΕΝΕΚΛΗC ΑΡΧ. Μιλησίων, num. *Commodi, Severi.*
Π. ΜΕΟΥΙΟC ΑΡΧ. Αβυδηνῶν, num. *L. Veri.*

ΜΗΝΟΦΑΝΗC

ΜΗΝΟΦΑΝΗΣ ΤΙΜΟΘΕΟΥ ΑΡΧ. Α. Ἀφριανέων, num. *Sep. Severi.*
ΝΙΚΑΤΟΡΑΣ ΑΡ. Κῳίων, num. *Auguſti.*
ΟΥΑΡΟΣ ΣΟΦΙΣΤΗΣ ΑΡΧ. Κηβησσέων, n. *Philippi.* Sophiſta, dignitas eſt.
ΠΑΝΚΡΑΤΙΟΣ ΔΙΟΓΕΝΟΥΣ ΑΡΧ. Ἀφριανοθυρίων, num. *Sept. Severi.*
ΠΑΝΚΡΑΤΙΔΗΣ ΔΙΟΓΕΝΟΥΣ ΑΡΧ. Ἀφριανέων, num. *Plautillæ.*
ΠΑΥΛ. ΜΟΛΟΞΟΣ ΑΡΧ. Α. Σαλιτῶν, num. *Caracallæ.*
Μ. ΠΡΥΤΑΝΕΥΣ.... ΟΥ. ΑΡΧ. Μειλησίων, num. *Sept. Severi.*
ΠΡΥΤΑΝΙΣ, *vide Pauſaniam*, ΕΠΙΚΡΑΤΟΥ Β. id eſt, Αρχ. Ἐμιαλέων, num. *Caracallæ.*
ΠΥΘΟΝΙΚΟΣ, ſupple Αρχ. Κῳίων, num. *Auguſti.*
ΡΟΥΦΕΙΝΟΣ ΑΡΧ. Σαρδιανῶν, num. *Tranquillinæ.*
ΡΟΥΦΕΙΝΟΣ ΑΡΧ. ΤΟ Β. Σαρδιανῶν, num. *Gordiani Pii.*
ΡΟΥΦΟΣ ΕΥΤΥΧΗΣ ΑΡΧ. Ἁλικαρνασσέων, num. *Maximini.*
Γ. ΣΑΛΛ. ΑΡΙΣΤΑΙΝΕΤΟΣ ΑΡΧ. Βυζαντίων, num. *Severi.*
Γ. ΣΑΛΛ. ΑΡΙΣΤΑΙΝΕΤΟΣ ΚΑΙ ΑΙΛΙΣ ΑΡΧ. Βυζαντίων, num. *Caracallæ.*
Γ. ΣΑΛ. ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΣ ΑΡΧΩΝ ΤΟ Β. Σαρδιανῶν, num. *ejuſdem.*
ΣΕΠ. ΜΕΝΕΣΤΡΑΤΙΑΝΟΣ ΑΡΧ. Σαρδιανῶν, num. *Maximi Cæſ.*
ΣΚΡΕΙΒΩΝΙΑΝΟΣ ΑΡΧ. Ἀφροδισιέων, num. *Sept. Severi.*
ΣΟΥΛ. ΕΡΜΟΦΙΛΟΣ ΑΡΧ. Σαρδιανῶν, num. *Tranquillinæ.*
ΣΟΥΛ. ΕΡΜΟΦΙΛΟΣ ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. Σαρδιανῶν, num. *Caracallæ.*
ΣΤΡΑΤΟΚΛΗΣ ΑΡΧ. Ἁλικαρνασσέων, num. *Sept. Severi.*
ΣΩΤΗΡΙΟΣ ΑΡΧ. Μειλησίων, num. *Sept. Severi.*
ΤΟΥΛΛΙΟΣ ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. Σαιτλωῶν, num. *Jul. Domnæ.*
ΤΡΑΙΑΝΟΣ Β. id eſt, Αρχ. Βυζαντίων, num. *Plotinæ.*
ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΤΟ Γ. id eſt, Αρχ. Βυζαντίων, num. *Trajani.*
ΦΑΒΙΟΣ ΑΠΡΩΝΙΑΝΟΣ ΑΡΧ. Ἀβυδηνῶν, num. *Sept. Severi.*
Λ. ΦΑΝΙΟΣ ΘΕΜΙΣΩΝ ΑΡΧ. Ἀφριανέων, num. *Tranquillinæ.*
ΦΙΛΙΠΠΟΣ ΑΡΧ. Δαρδανίων, num. *Sept. Severi.*
ΦΙΛΟΜΗΤΩΡ ΑΡΧ. Μιλησίων, num. *Trajani.*
ΦΙΛΟΠΑΤΩΡ ΑΡΧ. Περινθίων, num. *Tiberii.*
ΦΛΑΟΥΙΟΣ ΚΑΠΙΤΩΝ ΑΡΧ. Ἀβυδηνῶν, num. *Sept. Severi.*
Γ. ΦΛΑ. ΜΑΞΙΜΟΣ ΑΡΧ. Ἁλικαρνασσέων, num. *Getæ.*
Γ. ΦΛ. ΜΑΞΙΜΟΣ ΑΡΧ. ΤΟ Β. Ἁλικαρνασσέων, num. *Caracallæ.*
Γ. ΦΛ. ΜΑΞΙΜΟΣ ΑΥΡΗΛΙΑΝΟΣ ΑΡΧ. ΤΟ Β. Ἁλικαρνασσέων, *Gordiani.*
ΦΛ. ΠΡΕΙΣΚΟΣ ΑΡΧ. Ἀκμονέων, num. *Plautillæ.*
ΦΛ. ΠΡΕΙΣΚΟΣ ΑΡΧ. ΤΟ Β. Ἀκμονέων, num. *Sept. Severi.*

ΑCΙΑΡΧΗC. *Asiarcha.*

Asiarcha, summus erat totius Asiæ Proconsularis Conventûs Ludorum Moderator, quotannis electus uti Lyciarcha, Syriarcha, Ciliarcha, & reliqui in aliis provinciis; à singulis Asiæ civitatibus, Sacerdotum cujuslibet nomina ad concilium gentis commune mittebanur, & à Synedriis ex iis primus Asiarcha seligebatur, cæteri dicebantur socii, de quibus Aristides. Ut autem erat tantùm dignitas, sub ejus potestate non signabatur moneta, sed ille si Prætor, aut Summus urbis Sacerdos, aut Asiarcha renuntiatus erat, dignitatem illam in nummis denotabat, ut videre est in nummis sequentibus.

ΕΠΙ CΤΡ. ΑΙ. ΠΟΛΛΙ. ΑCΙ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Sub Prætore Ælio Pollione Asiarcha Pergamenorum.* Num. *Faustinæ Jun.*

Ælius Pollio Prætor Pergamenorum nummum cudit, sed dignitatem Asiarchæ adjungit in nummo Faustinæ Jun. Prætor *iterùm* in altero ejusdem Faustinæ renuntiatur, sed tum non erat Asiarcha, & comitem hanc non habet dignitatem.

ΕΠΙ CΤΡ. ΑΙ. ΑΠΙΩΝΟC ΑCΙΑΡ. ΤΟ Β. ΥΠΑΙΠΗΝΩΝ. *Sub Prætore Ælio Apione Asiarcha iterùm Hypæpenorum.* Num. *Severi.*

Ælius Apion ut Prætor iterùm (nam in anteriori Prætor primùm appellatur) tantùm nummum signat, & non ut Asiarcha, quam dignitatem honoris tantum causâ sibi vindicat.

CΤΡ. Λ. ΑΥΡΗΛΙΟΥ ΑCΙΑΡΧΟΥ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Prætore Lucio Aurelio Asiarcha Cyzicenorum.*

Lucius Aurelius vocatur Prætor, & eo nomine nummum percussit, dignitate Asiarchæ tantùm comite.

ΚΟΙΝΟΝ ΙΓ. ΠΟΛΕΩΝ ΠΡΟΔΙΚΟΥ ΟΝΤΟC ΚΛ. ΦΡΩΝΤΩΝΟC ΑCΙΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΩC ΙΓ. *Commune tredecim Urbium, Curatore existente Claudio Frontone Asiarcha & Pontifice tredecim.*

Ælius Fronto dignitates Asiarchæ & Summi Sacerdotis separatim accipit, utpote qui Summus urbis suæ Pontifex Asiarcha nominatus est, & nummus Curatoris urbium Conventûs tantùm in hac re existentis nomine cuditur absque ullius urbis appellatione.

ΕΠ. ΔΟΜ. ΡΟΥΦΟΥ ΑCΙΑΡ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ. *Sub*, supple *Archonte*; *Domitio Rufo Asiarcha Sardianorum.*

Sardis pro Magistratu Archontes habuit, ut ibi videre est: sed plurimi sunt urbium nummi, qui Magistratûs appellatio-

nem in eis non inſcribunt, ut ſatis populo notam: hic Domitius Rufus Archontem ſe haud nominavit, eminentiore dignitate contentus.

ΕΠΙ ΤΕΡΤΙΟΥ ΑCΙΑΡΧΟΥ CΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Sub Tertio Aſiarcha Smyrnæorum.* Num. *Gordiani Pii.*

Tertius ille Prætor & Aſiarcha, quam dignitatem priore omiſsâ ſibi arrogat.

ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ. *Scriba.*

Γραμματεὺς, Senatûs & Populi Scriba, omnes Leges, Plebiſcita & Senatuſconſulta in tabulas referebat, eorumque cuſtos & interpres erat, & in omnibus Pſephiſmatibus nomen ſuum, & ante Ἀρχόντος ſeu Στρατηγοῦ, qui Senatus pro Magiſtratûs tempore Præſides fuiſſent, præſcriptum habebat: cum illis quotannis creabatur, & ſi Archon aut Prætor è vitâ in magiſtratu exierat, nomen Scribæ in nummis ſignabatur; quòd in urbibus ubi eorum nomen pro Magiſtratu in nummis apponebatur, duo eligebantur, ut Archontes & Duumviri, ut videre eſt in nummis.

ΑΓΡΙΠΠΙΝΟΣ ΓΡΑΜ. Λαοδικέων, num. *Hadriani, Sabinæ.*

ΑΙΛ. ΠΡΟΚΛΟΣ ΓΡ. Νυσαέων Cariæ, num. *Valeriani, Gallieni.*

ΑΜΑΡΑΝΤΟΣ ΜΟΣΧΙΩΝΟΣ ΓΡ. Μαγνητῶν *ad Mæandrum*, num. *Gord.*

ΑΝΑΞΑΓΟΡΑΣ ΓΡ. Μαγνητῶν, num. *Mamææ.* Apud Magnetes Scribæ ſunt.

ΑΝΤΑΝΔΡΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΓΡ. Ἐφεσίων, num. *Auguſti.*

ΑΝΤΙΟΧΟΣ ΓΡ. Μαγνητῶν, num. *Gordiani Pii.*

ΑΝΤ. ΗΡΩΔΙΑΝΟΣ ΓΡΑΜΜΑΤ. Ἀφραμυτηνῶν, num. *Jul. Domnæ.*

ΑΡΙΣΤΙΩΝ ΜΗΝΟΦΑΝΤΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ Ἐφεσίων, num. *Auguſti.*

Μ. ΑΥΡ. ΑΡΙΣΤΟΜΑΧΟΣ ΓΡ. Μαγνητῶν, num. *Elagabali.*

Μ. ΑΥΡ. ΓΛΑΥΚΟΣ ΓΡ. Ἀντιοχέων Cariæ, num. *Domitiani.*

ΑΥΡ. ΔΗΜΟΚΡΑΤΗΣ ΓΡ. Μαγνητῶν, num. *Gordiani Pii.*

ΑΥΡ. ΔΙΟΔΟΤΟΣ ΓΡ. Νυσαέων Cariæ, num. *ejuſdem.*

Μ. ΑΥΡ. ΚΑΡΠΟΣ ΓΡ. Μαγνητῶν Mæandri, num. *Jul. Mamææ.*

Μ. ΑΥΡ. ΛΑΙΑΝΟΣ ΓΡ. Νυσαέων Cariæ, num. *Valeriani.*

Μ. ΑΥΡ. ΜΟΥΣΩΝΙΟΣ ΓΡ. Νυσαέων, num. *Gordiani Pii.*

ΑΥΡ. ΠΡΕΙΜΟΣ ΡΟΥΦΕΙΝΟΣ ΓΡ. Νυσαέων, num. *Maximini.*

Μ. ΑΥΡ. ΠΥΘΩΝ ΓΡ. Τραλλιανῶν, num. *Valeriani.* Trallibus Scrib.

ΑΥΡ. ΤΥΧΙΚΟΣ ΓΡ. Μαγνητῶν, num. *Alex. Severi, Maximi.*

ΓΕΝΤΙΟΣ ΖΟΣΙΜΟΣ ΓΡ. Τραλλιανῶν, num. *Valeriani.*

ΓΑΥΠΤΟΣ ΓΡ. Τραλλιανῶν, num. *Caracallæ.*

ΔΑΜΕΑΣ ΓΡ. Μαγνητῶν, num. *Gordiani Pii.*
ΔΗΜΟΝΕΙΚΟΣ ΓΡ. Μαγνητῶν, num. *ejusdem.*
ΕΡΜΟΚΛΗΣ ΠΑΓΚΡΑΤΙΔΟΥ ΓΡ. Τεαλλιανέων, num. *Caracallæ.*
ΕΥΑΡΕΣΤΟΣ ΓΡΑΜ. Τεαλλιανέων, num. *M. Aurelii.*
ΕΥΤΥΧΗΣ ΓΡ. Νυσαέων, num. *Maximi.*
ΕΥΤΥΧΗΣ ΓΡ. Β. Νυσαέων, num. *Maximini.*
ΖΟΣΙΜΟΣ ΠΟΛΥΑΙΝΟΥ ΓΡ. Μαγνητῶν, num. *ejusdem.*
ΖΩΠΙΚΟΣ .... ΓΡ. Νυσαέων, num. *Valeriani.*
ΙΟΥΛΙΑΝΟΣ ΑΙΛΙΑΝΟΣ ΓΡ. Τεαλλιανῶν, num. *Maximi.*
ΚΕΦΑΛΙΩΝ ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΩΝ Περγαμηνῶν, num. *Augusti.*
ΚΛ. ΑΘΗΝΟΔΩΡΟΣ ΓΡ. Μαγνητῶν, num. *Gordiani Pii.*
ΜΑΡΤΙΑΝΟΣ ΓΡΑΜΜΑ. Μαγνητῶν, num. *Maximini.*
ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΓΡ. Νυσαέων, num. *Valeriani.*
ΠΑΙΤΟΣ ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ Εφεσίων, num. *Antonini Pii.*
ΠΑΜΜΕΝΗΣ ΓΡ. Μαγνητῶν, num. *Gordiani Tertii.*
ΠΑΥΛΕΙΝΟΣ ΓΡ. Μαγνητῶν, num. *Elagabali.*
ΠΕΡΙΓΕΝΗΣ ΓΡ. Μαγνητῶν, num. *Otaciliæ Severæ.*
ΤΙΜΟΘΕΟΣ ΓΡ. Μαγνητῶν, num. *Maximi Cæs.*
ΤΕΡΕΑΣ ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΩΝ Μυλασέων, num. *Augusti.*
ΦΙΛΙΠΠΟΣ ΚΕΝΤΩΡ ΓΡ. Τεαλλιανῶν, num. *Tranquillinæ.*
ΦΙΛΟΜΕΝΗΣ ΓΡ. Β. Μαγνητῶν, num. *Caracallæ.*
ΦΛΑΚΚΟΣ ΚΑΙ ΠΑΥΛΕΙΝΟΣ ΓΡ. Μαγνητῶν, num. *Elagabali.*
ΦΛ. ΒΑΣΣΟΣ ΓΡ. Μαγνητῶν, num. *Caracallæ.*
ΦΛ. ΜΑΞΙΜΟΣ ΓΡ. Μαγνητῶν, num. *Alex. Severi.*
ΦΩΤΕΙΝΟΣ ΓΡ. Μαγνητῶν, num. *Alex. Severi, Mamææ, Gordiani.*

ΕΠΙΣΤΑΤΗΣ. *Præfectus.*

Epistata, idem ac Prostata, videtur esse Præses, Præfectus, Moderator, aut ejusmodi quispiam, in Gymnasio eundem esse cum Gymnasiarchâ vel Xystarchâ, in Ludis verò aut Stadio ab Agonothetâ sive Athlothetâ tam auctoritate quàm munere proximum existimat Petrus Faber lib. 2. cap. 5. In Marmore Ancyrano Gruteri pag. 406. Αἰνείας Πρύτανις vocatur *Ancyræ Præfectus*, at in nummis Ἐπιστάτης dicitur *Templi Præfectus.*

ΑΝΝΙΟΣ ΕΠΙΣΤΑΤΗΣ ΤΕΜΕΝΟΥ Περγαμηνῶν. *Annius Præfectus templi Pergamenorum.* Num. *Sept. Severi.*

ΗΓΕΜΩΝ. *Præses.*

Ηγεμὼν vocatur in omnibus urbium Thraciæ nummis, *Cæsaris Legatus.* Nemo nescit hanc provinciam in earum divisione ab Augusto factâ apud Dionem, ipsi cessisse. De iis narrat Strabo: Καὶ εἰς μὲν τὰς Καίσαρος Ηγεμόνας καὶ Διοικητὰς πέμπει, *in Cæsaris quidem provincias Præsides & Procuratores mittit.* Ita huic auctori accedunt nummi, & extra Thraciæ urbes ne Ηγεμὼν nomen quæras, excepto unico nummo, in quo Πρεσβευτὴς καὶ Ἀντιστράτηγος & Proprætore, uti ipsi vulgò vocabantur.

Τ. ΑΙΛ. ΝΕΡΑΤΙΟΣ ΗΓΕ. Παιταλιωτῶν, num. *Sept. Severi.*

Μ. ΑΙ. ΣΕΡΟΥΙΛΛΙΑΝΟΣ ΗΓΕ. Φιλιππουπολειτῶν, num. *Commodi.*

ΑΝΤΕΙΧΟΣ ΗΓΕ. Πειρινθίων, num. *M. Aurelii.*

ΑΠ. ΚΛ. ΜΑΡΤΙΑΛΗΣ ΗΓΕΜ. Αἰζιαλίων, num. *Domitiani.*

ΤΙΒ. ΒΑΡΒΑΡΟΣ ΗΓΕΜΟΣ, sic, Τερμανοπολιτῶν, num. *Sept. Severi.*

ΤΙΒ. ΒΑΡΒΑΡΟΣ ΗΓΕ. Φιλιππουπολειτῶν, num. *Sept. Severi, Jul. Domnæ.*

ΓΑΡΓΙΛΙΟΣ ΑΝΤΙΚΟΣ Παιταλιωτῶν, num. *Antonini Pii, L. Veri.*

ΤΠ. ΓΑΡΓΙΛΙΟΥ ΑΝΤΙΚΟΥ Φιλιππουπολειτῶν, num. *M. Aurelii.* Notandum in solis Thraciæ urbibus vocem ΤΠΟ pro ΕΠΙ reperiri.

Λ. ΕΙΤΕΙΟΣ ΒΑΡΒΑΡΟΣ ΗΓΕΜ. Σερδικῆς, num. *Severi.*

ΙΟΥΛ. ΚΑΕΤΟΣ ΗΓΕ. Ἀδριανοπολειτῶν, num. *Commodi.*

ΙΟΥ. ΚΟΜΜΟΔΟΣ ΗΓΕ. Πειρινθίων, num. *Antonini Pii.*

ΙΟΥ. ΚΟΡΔΟΛΟΣ ΗΓΕ. Τοπειρειτῶν, num. *ejusdem.*

ΠΟΜΠ. ΟΥΟΠΕΙΣΚΟΣ ΗΓΕΜ. Πλωτινοπολειτῶν, num. *ejusdem.*

Idem Φιλιππουπολειτῶν, num. *ejusdem.*

Μ. ΠΟΜΠΗΙΟΣ ΟΥΟΠΕΙΣΚΟΣ ΗΓΕ. Παιταλιωτῶν, num. *ejusdem.*

Μ. ΠΟΝΤ. ΣΑΒΕΙΝΟΣ ΗΓΕ. Ἀδριανοπολειτῶν, num. *ejusdem.*

Idem Φιλιππουπολειτῶν, num. *ejusdem.*

ΣΙΚΙΝΙΟΣ ΡΟΥΦΟΣ ΗΓ. Αὐγουστῆς Τερμανῆς, num. *Plautillæ.*

ΣΟΥΛ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΣ ΗΓΕ. Ἀδριανοπολειτῶν, num. *Commodi.*

ΤΑΤΙΑΝΟΣ ΗΓΕΜΟΣ, sic, Ἀδριανοπολειτῶν, num. *Sept. Severi.*

Μ. ΤΕΡΕΒΕΝΤΙΝΟΣ ΗΓ. Μαρκιανοπολειτῶν, num. *Alex. Severi.*

ΤΟΥΛ. ΜΑΞΙΜΟΣ ΗΓ. Ἀδριανοπολειτῶν, num. *M. Aurelii.* Παιταλιωτῶν, num. *Ant. Pii.* Τερμανῆς Αὐγουστῆς, *M. Aurelii.*

ΘΕΟΛΟΓΟΣ. *Theologus.*

Theologus, dignitas est, ut Sacerdos, Pontifex Maximus, & Archiarcha, quæ cum Magistratu in eorum nummis cudebatur. Lucianus in Pseudom. de Theologi voce meminit: Κατὰ τάξιν

τοὺς δεδωκότας ὑπὸ Κλείτου τῷ Θεολόγῳ. Porphyrius lib. 2. de Abstin. apud Cl. Spanhemium refert quendam Seleucum τὸν Θεολόγον. Cicero de Nat. Deor. lib. 3. *Principio*, ait, *Joves tres numerant ii qui Theologi cognominantur.* Illi erant, qui rerum divinarum, & ad Deos spectantium, scientiam callebant.

ΕΠ. C. ΚΟΜ. Φ. ΓΑΥΚΩΝΟΣ ΘΕΟΛΟΓΟΥ Περγαμηνῶν. *Sub Prætore Cominio Fabio Glycone Theologo Pergamenorum.* Num. *Q. Herennii.*

Fabius ille Glycon, Prætor Pergamenorum, à quibus Magistratibus gubernari solebant illi, Theologi dignitatem quâ fungebatur, in nummis sibi adjungit.

ΙΕΡΕΥΣ. *Sacerdos.*

Sacerdos dicitur, qui Deo vel Deæ dicatus est ad sacrificia facienda. Varia erant apud Romanos, ut apud Græcos Sacerdotum genera: quidam ex iis, dignitatis nomen in nummis assumpsere, ut in argenteis Romanis L. Lentulus, qui anno 750. cum Valerio Marcellino Consulatum gessit, FLAMEN MARTIALIS inscribitur: sic in nummis Græcis alii suam Sacerdotis dignitatem cum magistratûs munere quo tunc fungebantur, comitem addiderunt. Aliquando hæc dignitas Sacerdotis διὰ βίου, ad vitam erat.

ΑΥΡ. ΚΕΛ. ΙΕΡΕΥΣ ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΤΩΝ ΣΕΒ. Περγαμηνῶν. *Aurelius Celsus Sacerdos perpetuus Augustorum Pergamenorum.* Num. *Commodi.*

ΓΡ. Μ. ΑΥΡ. ΜΟΥΣΩΝΙΟΣ ΙΕΡΕΥΣ Νυσαέων. *Scriba M. Aurelius Musonius Sacerdos Nysæorum.* Num. *M. Aurelii.*

Nepos forsan hujus Musonii hanc etiam Sacerdotis dignitatem sibi iterùm sociam in avi memoriam assumit alter Musonius in num. *Gordiani Pii.*

ΣΤΡ. ΚΑΛΛΙΣΤΟΣ ΙΕΡΕΥΣ Ἰώνων Κολοφωνίων. *Prætor Claudius Callistus Ioniorum Colophoniorum.* Num. *Treb. Galli.*

ΟΣΤΙΛΙΟΣ ΜΑΡΚΕΛΛΟΣ ΙΕΡΕΥΣ ΤΟΥ ΑΝΤΙΝΟΟΥ. Caput Antinoi nudum.

ΤΟΙΣ ΑΧΑΙΟΙΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ. *Achæis posuit.* Num. *Antinoi.*

ΝΕΩΚΟΡΟΣ. *Neocorus.*

Neocorus primùm dicebatur Ædituus, qui templum verrebat, deinde qui illius curam habuit, posteà qui sacra alicui Deo, vel pro salute Imperatoris faciebat. *Vide quæ diximus de Urb. Neocor.*

Μ. ΕΥΓΕΝΗΣ ΝΕΩΚΟΡΟΣ Αἰγέων. *Marcus Eugenes Neocorus Ægensium.* Num. *Alex. Severi.*

ΠΑΝΗΓΥΡΙΣΤΗΣ. *Panegyriſta.*

Qui Panegyriſtæ dignitate ornatus erat, Deorum vel Imperatorum laudes & elogia in publicis Feſtorum, Ludorum & Certaminum conventibus proferebat, ex Luciano & Jul. Polluce: at in nummis Magiſtratuum nomina, ſub quorum poteſtate illi ſignabantur, ſcripta erant; & ſi aliqua aliunde dignitas erat delata, ipſam, ut paſſim diximus, adjungebant, aut tantùm eam, nomine Magiſtratûs prætermiſſo, utpote ſatis noto, ſibi vindicabant.

ΠΑΥ. ΒΑΚΧΙΟΥ ΠΑΝΗ. Απαμέων. *Paulo Bacchio Panegyriſta Apamenſium.* Num. *Gordiani.*

Paulus ille Bacchius, qui Panegyriſtæ dignitate in hoc nummo prædituſ eſt, in ſuperiore ejuſdem Principis nudè Paulus Bacchius dicitur, quòd ei hæc dignitas nondum erat delata.

ΕΠ. ΑΥ. ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΙΑΝΟΥ ΠΑΝΗΓΥΡ. Απαμέων. *Sub Aurelio Stratoniciano Panegyriſta Apamenſium.* Num. *Trajani Decii.*

Aurelius Stratonicianus in altero Decii nummo Apamenſium non Panegyriſta vocatur, forſan quòd hanc dignitatem adhuc non receperat. Tertius hujus nominis in nummis Commodi Imperatoris, Aurelius Stratonicianus Apamenſium perhibetur.

Μ. ΕΥΓ. Π. Θ. ΜΑΚΡΕΙΝΟΥΠ. Αἰγεαίων. *M. Eugene Panegyriſta Deorum Macrinopoleos Ægenſium.* Num. *Macrini, Diadumeniani.*

ΠΟΛΙΑΡΧΟΣ. *Præfectus urbis.*

Præfectus urbis apud Laodicenſes Phrygiæ videtur fuiſſe dignitas, quâ qui ornatus erat dum ſupremo magiſtratu fungebatur, illam, ut alias de quibus nobis ſermo fuit, in nummis apponebat. Plurimas urbes in voce Γραμματεὺς obſervavimus, quæ nummos ſuos ſub his Magiſtratibus tanquam Prætoribus, Archontibus & Duumviris ſignabant. Multi Laodicenſium nummi illos iis Magiſtratibus uſos fuiſſe, & ſic Πολιάρχου nomen tantùm dignitatis fuiſſe nos edocent.

ΝΕΡΩΝ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Nero Laodicenſium.* Caput Neronis.

ΕΤ. ΙΓ. ΖΗΛΩΝΟΣ ΠΟΛΙάρχου ΤΟ Δ. *Anno 13. Præfecto urbis quartùm.* Jupiter Philalethes ſtans, dextrâ aquilam, ſiniſtrâ haſtam.

ΓΑΙΟΣ ΠΟΣΤΥΜΙΟΣ ΛΑΟδικέων Β. *Caius Poſtumus Laodicenſium iterùm.* Num. alter *Neronis.* An non ſubaudiri debet, ut in ante-

riore, *Præfectus urbis*, cùm sit idem Imperator, & idem Jupiter pro typo.

ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΣ. *Legatus.*

In divisione provinciarum ab Augusto factâ, Populi fuerunt duodecim provinciæ, Augusti quatuordecim. Populus more veteri suos Rectores in suas mittebat: at qui Asiæ præerat, Ἀνθύπατος Proconsul vocabatur. Cæsar verò suas provincias divisit, ut in quasdam mitteret Legatos Proprætoribus: hi Proconsulum locum obtinebant, atque Legionibus præerant; in quasdam verò Procuratores, qui Proprætoriâ dignitate eas provincias administrarent. Thraciæ urbes quæ Cæsaris erant, Ἡγεμόνας, in nummis Præsides, unâ exceptâ Bizyâ, quæ ut in Galatiâ & Cappadociâ quæ Cæsaris erant, πρεσβευτὰς appellabat.

ΥΠ. ΕΙΤΕΙ ΡΟΥΦΟΥ ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ ΚΑΙ ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΥ ΤΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΒΙΖΥΗΝΩΝ. *Sub Itio Rufo Legato & Propratore Augusti Bizyenorum.* Num. *Hadriani.*

Itius Rufus Legatus Cæsaris in Thraciâ, ad differentiam aliorum Legatorum qui in plurimis ejus provinciæ urbibus semper vocantur Ἡγεμόνες, in hoc solo Bizyæ dicitur πρεσβευτὴς & Ἀντιστρατηγός.

ΕΠΙ Μ. ΝΕΡΑΤΙΟΥ ΠΑΝΣΑ ΚΟ. ΓΑ. *Sub Marco Neratio Pansa Commune Galatarum.* Num. *Titi Vespasiani.*

ΕΠΙ ΤΙΤ. ΠΟΜΠ. ΒΑΣΣΟΥ ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ. *Sub Tito Pomponio Basso Legato.* Num. *Domitiani.* Mons Argæus nummum in Cappadociâ signatum denotat.

ΠΟΜΠΩΝΙΟΣ ΒΑΣ. ΠΡ. ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΙΑΣ. *Pomponius Bassus Legatus, Commune Galatiæ.* Num. *Nervæ.*

Hi duo nummi Cappadociam & Galatiam sub eâdem esse provinciâ demonstrant.

ΣΟΦΙΣΤΗΣ. *Sophista.*

Sophistæ appellatio erat olim communis iis omnibus qui in arte aliquâ excellebant, unde Sapientiæ Professores & Philosophi dicti sunt Sophistæ; deinde verò ad Rhetores transiit Sophistarum nomenclatio, de quibus Aristoteles scribit lib. 10. Ethic. Scientiam gubernandarum rerum publicarum Sophistæ profitentur, quorum nullus Rempublicam gerit; sed quando Romam vel ad aliquas legationes pro rebus publicis fuerant missi, honoris causâ Sophistæ

nomen

nomen ipsis deferebatur, quod in titulis sibi arrogabant.

ΣΤΡ. ΑΙΛ. ΠΡΟΚΛΟΣ ΣΟΦΙΣΤΗΣ Σμυρναίων. *Prætor Ælius Proclus Sophista Smyrnæorum.* Num. *M. Aurelii.*

Vides Ælium Proclum Smyrnæ Prætorem, sibi Sophistæ titulum assumere.

ΑΤΤΑΛΟΣ ΣΟΦΙΣΤΗΣ ΤΑΙΣ ΠΑΤΡΙΣΙ Σμυρ. Λαο. *Attalus Sophista Patriis Smyrnæ Laodiceæ.* Num. *M. Aurelii, Faustinæ jun.*

Attalus nomen Prætoris reticet, Sophistæ appellatione contentus.

ΚΛ. ΠΡΟΚΛΟΣ ΣΟΦΙΣΤΗΣ Σμυρναίων. *Claudius Proclus Sophista Smyrnæorum.* Num. *Hadriani.*

ΣΤΡ. ΚΛ. ΡΟΥΦΙΝΟΣ ΣΟΦΙΣΤΗΣ Σμυρναίων. *Prætor Claudius Rufinus Sophista Smyrnæorum.* Num. *Severi, Caracallæ.*

ΣΤΡ. ΚΛ. ΡΟΥΦΙΝΟΣ ΣΟΦ. Σμυρναίων. *Prætor Claudius Rufinus Sophista Smyrnæorum.* Num. *Gordiani Pii, Tranquillinæ.*

ΑΡ. ΟΥΑΡΟΣ ΣΟΦΙΣΤΗΣ Κηβησσέων. *Archon Varus Sophista Cebessensium.* Num. *Philippi.* Varus Archon & Sophista.

ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΣ. *Stephaneforus.*

Stephanephorus erat dignitas annua; eligebatur ille à Sacerdotibus ut curam haberet sacrorum quæ ad Deos spectabant, tanquam Summi Pontifices in aliis urbibus. Apud Athenæum Stephanephorus Tarsi tunicam purpuream indutus, albo distinctam, coronam lauream ferebat, quam Plato lib. de Leg. semper gerere ait, cùm alii Sacerdotes nisi inter sacra celebranda illam portarent.

ΑΥΡ. ΑΠΦΙΑΝΟΣ ΤΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΥ ΑΡΧ. Α. ΚΑΙ ΣΤΕΦΑΝΗΦ. Μαιώνων. *Aurelius Apphianus Archon Primus & Stephanephorus.* Num. *Trajani Decii.*

Apphianus cùm esset Archon primus, factus est Stephanephorus Mæonum in Lydiâ.

ΑΥΡ. ΑΠΦΙΑΝΟΣ ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. ΣΤΕΦΑΝΗ. Μαιώνων. *Aurelius Apphianus Archon Primus iterùm, Stephanephorus Mæonum.* Num. *ejusdem Traj. Decii.*

Apphianus, cùm Stephanephori dignitatem assecutus fuisset in medio Archontis magistratûs, in eodem videtur continuatus.

ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ. *Prætor.*

Στρατηγὸς vox in nummis Prætor est, summus urbis Magistratus, & ut in civitatibus Latinis Duumvir, Magistratus ille ab Athenienſibus, ut Archontum auctoritatem minuerent, est introductus: at cùm uterque Magistratus ab iis in Ioniam cum Colonis transiisset, hinc factum est ut aliæ urbes sibi Archontes adhuc pro Magistratibus retinuerint, aliæ Prætoribus uterentur: hoc tamen observandum in nummis ante Domitiani tempora Στρατηγοῦ nomen vix reperiri.

ΑΓΑΘΕΙΝΟΣ Ἀπολλωνιατῶν, num. *Iul. Mamææ.*
ΑΓΑΘΟΚΛΗΣ Κολοφωνίων, num. *Caracallæ, Her. Etruscillæ.*
ΑΙΛ. ΑΝΤΙΦΑΝΗΣ ΤΟ Β. Περπερίων, num. *Sept. Severi.*
ΑΙΛ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ Σμυρναίων, num. *Iul. Domnæ.*
ΑΙΛ. ΑΝΤ. ΤΑΤΙΑΝΟΣ Ὑπαιπηνῶν, num. *Gordiani Pii.*
ΑΙΛ. ΑΠΙΩΝ Ὑπαιπηνῶν, num. *Sept. Severi.*
ΑΙΛ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ Σμυρναίων, num. *Caracallæ.*
ΠΟ. ΑΙΛ. ΑΡΙΖΗΛΟΣ Σμυρναίων, num. *Commodi.*
Π. ΑΙΛ. ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ Κυζικηνῶν, num. *Gordiani Pii.*
ΠΟ. ΑΙΛ. ΑΤΤΑΛΟΣ Β. Ἐρυθραίων, num. *Alex. Severi, Iul. Mamææ.*
ΑΙΛ. ΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ Λακεδαιμονίων, num. *Commodi.*
Μ. ΑΙΛ. ΚΟΥΙΝΤΟΣ Σμυρναίων, num. *ejusdem.*
Τ. ΑΙΛ. ΝΕΙΚΗΦΟΡΟΣ Σμυρναίων, num. *ejusdem.*
ΑΙ. ΠΟΛΛΙΩΝ Β. Περγαμηνῶν, num. *Faustinæ Iun.*
ΑΙΛ. ΠΡΟΚΛΟΣ Σμυρναίων, num. *M. Aurelii.*
Π. ΑΙΠΙΟΣ Περγαμηνῶν, num. *Commodi.*
Λ. ΑΙΤΩΔΙΟΣ Μαγνητῶν ΣΙΠΥΛΟΥ, num. *M. Aurelii, Commodi, Crispinæ.*
Τ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ Γερμηνῶν, num. *Elagabali.*
ΑΜΑΡΑΝΤΟΣ ΠΟΛΛΙΑΝΟΥ Θυατειρηνῶν, num. *Alex. Severi.*
Τ. ΑΝΝΙΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ Ὑπαιπηνῶν, num. *Gordiani Pii.*
ΑΝΤΙΟΧΟΣ Σμυρναίων, num. *Mæsæ, Mamææ.*
ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΣ Ἱεραπολειτῶν, num. *Caracallæ cum Plautillæ.*
Μ. ΑΝΤΙΦΑΝΗΣ Περπερηνῶν, num. *Sept. Severi.*
ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ Τημνειτῶν, num. *Philipporum, Otaciliæ.*
Λ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ Υρκανῶν, num. *Commodi.*
ΑΝΤΩΝΙΟΣ Ἀπαμενέων, num. *Alex. Severi.*
ΑΝΤ. ΙΟΥ. ΑΕΩΝΤΕΥΣ Μυπληναίων, num. *Caracallæ.*
Μ. ΑΝΤ. ΘΕΟΔΟΣΙΑΝΟΣ ΤΟ Β. Φωκαέων, num. *Alex. Severi.*
Μ. ΑΝΤ. ΤΥΦΩΝΙΑΝΟΣ Μυπληναίων, num. *M. Aurelii.*

ΑΠΕΛΛΑΣ Β. ΜΕΝΕΚΡΑΤΟΥΣ Μυτιλωναίων, num. *Commodi.*
ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΣ Κλαζομενίων, num. *Caracallæ.*
ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΣ Υπαιπηνῶν, num. *ejuſdem.*
ΑΠΟΛΛΩΜΕΔΗΣ Αὐρελιοπολιτῶν, num. *Commodi.*
ΑΡΤΕΜΑΣ Μαγνητῶν σιπύλου, num. *Etruſcillæ.*
ΑΡΤΕΜΑΓΟΡΑΣ Θυατειρηνῶν, num. *Alex. Severi.*
ΑΤΤΑΛΙΟΣ ΚΡΑΤΙΠΠΟΣ περγαμηνῶν, *M. Aurelii, Veri, Commodi.*
ΑΥΡ. ΑΣΙΑΝΟΥ ΠΙΟΝΙΤΩΝ, num. *Juliæ Piæ.*
ΑΥΡ. ΜΑΡΚΟΥ Κολοφωνίων, num. *Gordiani Pii.*
Λ. ΑΥΡΗΛΙΟΣ Κυζικηνῶν, num. *Commodi.*
Λ. ΑΥΡΗΛΙΟΣ ΜΑΡΚΟΥ Φωκαιέων, num. *ejuſdem.*
Μ. ΑΥΡ. ΠΟΒΛΙΟΥ ΤΟ Β. ΠΙΤΑΝΑΙΩΝ, num. *Alex. Severi.*
Μ. ΑΥΡ. ΠΟΠΛΙΟΣ ΠΡΟΚΟΥΛΕΙΑΝΟΣ ΣΜΥΡΝ. *Maximini cum Maximo,*
Π. ΑΥΡΗΛΙΟΣ Φωκαέων, num. *Jul. Domnæ.*
Μ. ΑΥΡ. ΑΓΑΘΟΚΛΗΣ Θυατειρηνῶν, num. *Macrini.*
ΑΥΡ. ΑΘΗΝΑΙΟΣ Κολοφωνίων, num. *Voluſiani.*
Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ περγαμηνῶν, num. *Caracallæ.*
ΑΥΡ. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΣ Ιεραπολειτῶν, num. *Plautillæ.*
Μ. ΑΥΡ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΗΣ Διοσπολειτῶν, num. *Caracallæ.*
ΑΥΡ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ περγαμηνῶν, num. *ejuſdem.*
ΑΥΡ. ΑΠΦΙΑΝΟΣ Φωκαιέων, num. *Maximini.*
ΑΥΡ. ΑΡΙΣΤΟΜΑΧΟΣ Μυτιλωναίων, num. *Caracallæ prætermiſſas.*
ΑΥΡ. ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ Τηίων, num. *Philippi, Traj. Decii.*
Τ. ΑΥΡ. ΒΑΡΒΑΡΟΣ Θυατειρηνῶν, num. *Commodi.*
Μ. ΑΥΡ. ΓΑΙΟΥ Μαγνητῶν σιπ. num. *Caracallæ.*
Μ. ΑΥΡ. ΓΑΡΟΣ Β. Αφραμυτηνῶν, num. *Alex. Severi.*
Μ. ΑΥΡ. ΓΑΡΟΣ Λαοδικέων, num. *Elagabali.*
Μ. ΑΥΡ. ΓΕΜΙΝΟΣ Σμυρναίων, num. *Juliæ Piæ.*
ΑΥΡ. ΓΑΥΚΩΝ Θυατειρηνῶν, num. *Sept. Severi, Jul. Domnæ.*
ΑΥΡ. ΔΑΜΑΣΙΑΣ περγαμηνῶν, num. *Valeriani.*
ΑΥΡ. ΔΙΟΓΕΝΗΣ Μητροπολειτῶν, num. *Gordiani Pii.*
Μ. ΑΥΡ. ΔΙΟΔΩΡΟΣ ΜΗΝΟΦ. Αχαίων, num. *L. Veri.*
Μ. ΑΥΡ. ΔΙΟΔΟΤΟΣ Θυατειρηνῶν, num. *Diadumeniani.*
ΑΥΡ. ΔΙΟΝΤΣΟΣ Κλαζομενίων, num. *Valeriani.*
ΑΥΡ. ΕΛΠΙΔΗΦΟΡΟΣ Κυμαίων, num. *ejuſdem.*
ΑΥΡ. ΕΡΜΕΙΑΣ Μειλητοπολειτῶν, num. *Gordiani Pii.*
ΑΥΡ. ΕΡΜΕΙΑΣ Τραλλειτῶν, num. *Maſſæ, Alex. Severi, Mamææ.*
ΑΥΡ. ΕΡΜΕΙΑΣ ΙΠΠΙΚΟΥ Μαγνητῶν Σιπ. num. *Philippi Jun.*

ΑΥΡ. ΕΥΠΟΡΟΣ Μηξοπολειτῶν, num. *Salonin.*
ΑΥΡ. ΕΥΤΥΧΗΣ ΤΟ Β. Φωκαίων, num. *Gordiani Pii.*
ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝ. ΕΥΤΥΧΗΣ Σμυρναίων, num. *Caracallæ.*
ΑΥΡ. ΖΕΥΞΙΣ ΛΟΥ. ΤΙΛΔΟΣ Μοσηνῶν, num. *Gallieni.*
ΑΥΡ. ΘΕΟΔΟΤΟΣ Β. Μαγνητῶν Σιπ. num. *Gordiani Pii.*
ΑΥΡ. ΘΕΩΝ Μηξοπολειτῶν, num. *Otacil.*
Μ. ΑΥΡ. ΙΟΥΛΙΑΝΟΣ Τραμπηνῶν, num. *Elagabali.*
ΑΥΡ. ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΣ Β. Μαγνητῶν Σιπ. num. *Philippi Sen.*
Π. ΑΥΡ. ΛΟΓΙΣΜΟΣ Περγαμηνῶν, num. *Gordiani.*
ΑΥΡ. ΜΗΤΡΟΝΙΚΤΟΣ Ασίων, num. *Alex. Severi.*
ΑΥΡ. ΝΕΙΚΩΝ Ερυθραίων, num. *Elagabali.*
ΑΥΡ. ΝΕΙΚΩΝ Θυατειρηνῶν, num. *Jul. Mamææ.*
ΑΥΡΗΛΙΟΣ ΝΙΚΟΜΑΧΟΣ Μυτιληναίων, num. *Jul. Domnæ.*
ΑΥ. ΝΕΙΚΟΣΤΡΑΤΟΣ ΤΟ Β. Τημνειτῶν, num. *Gordiani Pii.*
ΑΥΡ. ΟΝΗΣΙΜΟΣ Τημνειτῶν, num. *Philippi Sen.*
ΑΥΡΗΛ. ΠΛΑΤΟΣ Περγαμηνῶν, num. *Caracallæ.*
Μ. ΑΥΡ. ΠΑΤΛΟΣ Αἰγαίων, num. *Decii.*
ΑΥΡ. ΠΟΒΛΙΟΥ. Πιτανaίων, num. *Alex. Severi.*
ΑΥΡ. ΠΡΟΔΙΚΟΣ Κυζικηνῶν, num. *ejusdem.*
ΑΥΡ. ΠΡΟΣΔΕΚΤΟΣ ΠΑΡΔΟΛΟΣ Μυτιληναίων, num. *ejusdem.*
Μ. ΑΥΡ. ΠΡΩΤΕΑΣ Μυτιληναίων, num. *Commodi.*
Μ. ΑΥΡ. ΡΟΥΦΟΣ Φωκαίων, num. *Jul. Domnæ.*
ΑΥΡ. ΣΕΞΤΟΣ Β. Μηξοπολειτῶν, num. *Alex. Severi.*
Μ. ΑΥΡ. ΣΕΞΤΟΣ Σμυρναίων, num. *Gallieni.*
ΑΥΡ. ΣΥΜΦΕΡΩΝ Κυμαίων, num. *Gordiani Pii.*
ΑΥΡ. ΤΑΤΙΑΝΟΣ Μαγνητῶν Σιπ. num. *Philippi Jun.*
ΑΥΡ. ΤΕΡΤΥΛΛΟΣ Απολλωνιέων ἐν Ιωνίᾳ, num. *Alex. Severi.*
Μ. ΑΥΡ. ΦΙΛΗΤΑΣ ΙΠΠΙΚΟΥ Σμυρναίων, num. *Valeriani.*
ΑΥΡ. ΦΡΟΝΤΩΝ Μαγνητῶν Σιπ. num. *Gallieni.*
ΒΑΛΑΙΕΙΟΣ Μηξοπολειτῶν, num. *Philippi Jun.*
ΒΑΛΕΙΕΙΟΣ ΑΡΙΣΤΟΜΑΧΟΣ Μυτιληναίων, num. *Jul. Domnæ.*
Β. ΛΟΛΛΙΑΝΟΣ Μηθυμναίων, num. *Faustinæ Jun.*
ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΑΠΕΛΛΑ Β. Απολλωνιδέων, num. *Caracallæ.*
ΔΗΜΟΣΤΡΑΤΟΣ ΣΕΜΝΟΣ Σμυρναίων, num. *Domitiani cum Domitia.*
ΔΗΜΟΣΤΡΑΤΟΣ ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ Μαγνητῶν Σιπ. num. *M. Aurelii.*
ΔΙΟΔΩΡΟΣ Περγαμηνῶν, num. *Domitiani.*
... ΔΙΟΔΩΡΟΣ Περγαμηνῶν, num. *Commodi.*
ΔΙΟΝΤΣΙΟΣ Μυτιληναίων, num. *Crispinæ.*

ΕΛΠΙΔΙΟΣ ΚΡΑΣΣΟΣ Κυζικηνῶν, num. *Tranquillinæ.*
ΕΠΙΚΡΑΤΗΣ Τηίων, num *Valeriani.*
ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ Νικομηδέων, num. *Etruscillæ.*
ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ Περγαμηνῶν, num. *Caracallæ.*
ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ Β. Τραγιλιτῶν, num. *Getæ.*
ΕΡΜΟΛΑΟΣ Νικομηδέων, num. *Valeriani.*
ΕΥΑΡΕΣΤΟΣ Περγαμηνῶν, num. *Sept. Severi.*
ΕΥΤΥΧΗΣ Αἰγαίων, num. *Alex. Severi.*
ΕΥΤΥΧΗΣ Μειλητοπολειτῶν, num. *Lucillæ, Crispinæ.*
ΕΥΤΥΧΗΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ Μειλητοπολειτῶν, num. *M. Aurelii, Commodi.*
ΕΥΤΥΧΗΣ ΤΥΧΙΚΟΥ Σμυρναίων, num. *Otaciliæ Sev.*
ΠΑΤΑ. ΕΥΤΥΧΗΣ Ἀδραμυτηνῶν, num. *Caracallæ.*
ΤΙ. ΖΗΛΟΣ Σμυρναίων, num. *Lucillæ.*
ΖΩΣΙΜΟΣ ΔΙΟΜΟΛΟΥ Κερεταπέων, num. *Sept. Severi.*
ΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ Σμυρναίων, num. *Commodi.*
ΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ ΑΣΚΛΗ. ΤΟ Β. Φωκαέων, num. *Commodi.*
Α. ΗΡΩΔΗΣ Τημνειτῶν, num. *Elagabali, Jul. Mæsæ.*
ΙΟΥΛΙΑΝΟΣ Ἐφεσίων, num. *M. Aurelii cum Faustina.*
ΙΟΥΛ. ΑΝΘΙΜΟΣ Περγαμηνῶν, num. *Jul. Domnæ.*
ΙΟΥΛ. ΑΠΟΛΛΙΝΑΡΙΟΣ Ἀδραμυτηνῶν, num. *Domitiani.*
ΙΟΥΛΙΟΣ ΕΥΠΟΡΟΣ Κυζικηνῶν, num. *Sept. Severi.*
ΙΟΥΛ. ΗΡΑΚ. Μηζοπολειτῶν, num. *Tranquillinæ.*
ΙΟΥ. ΚΕΛΣΟΣ Πεϊνθίων, num. *Trajani.*
ΙΟΥΛΙΟΣ ΜΑΡΚΟΥ Περγαμηνῶν, num. *Elagabali.*
ΙΟΥΛ. ΠΑΤΛΟΣ Βαργυλιητῶν, num. *Commodi.*
ΙΟΥΛ. ΠΟΛΛΙΩΝ Περγαμηνῶν, num. *Sept. Severi.*
Μ. ΚΑΙΡΕΑΣ ΑΤΤΑΛΟΣ Περγαμηνῶν, num. *Caracallæ.*
ΚΑΛΛΙΝΕΙΚΟΣ Κολοφωνίων, num. *Gordiani Pii.*
ΚΑΛΛΙΣΤΕΥΣ Περγαμηνῶν, num. *M. Aurelii.*
ΚΑΠΙΤΩΛΕΙΝΟΣ Χίων, num. *Philippi.*
ΚΕΦΑΛΙΩΝ ΤΟ Β. Περγαμηνῶν, num. *Hadriani.*
ΚΛΑΥΔΙΟΣ Σμυρναίων, num. *Jul. Domnæ.*
ΚΛ. ΑΙΣΙΜΟΣ Περγαμηνῶν, num. *Ælii Cæsaris, Ant. Pii.*
ΚΛ. ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΗΣ Σμυρναίων, num. *Sept. Severi, Jul. Domnæ.*
ΤΙΒ. ΚΛ. ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ Κολοφωνίων, num. *Macrini.*
Μ. ΚΛ. ΒΥΡΡΟΣ Κυζικηνῶν, num. *M. Aurelii.*
ΚΛ. ΔΙΟΔΑΛΑΣ Περγαμηνῶν, num. *Antonini Pii.*
ΚΛ. ΚΑΛΛΙΣΤΟΣ Κολοφωνίων, num. *Galli, Volusiani.*

ΤΙΒ. ΚΛ. ΚΡΗΤΑΡΙΟΣ Σμυρναίων, num. *Caracallæ.*
ΚΛ. ΜΕΣΣΑΛΑΣ Σμυρναίων, num. *Crispinæ.*
ΤΙΒ. ΚΛ. ΜΥΡΩΝ Κολοφωνίων, num. *Elagabali.*
ΚΛ. ΝΙΚΟΜΗΔΗΣ Περγαμηνῶν, num. *Commodi.*
ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΝΕΙΚΟΣΤΡΑΤΟΣ Μειλητοπολειτῶν, num. *Macrini.*
ΚΛ. ΠΡΟΚΛΟΣ Σμυρναίων, num. *Faustinæ jun.*
ΚΛ. ΡΟΥΦΙΝΟΣ Σμυρναίων, num. *Getæ.*
ΚΛ. ΡΟΥΦΙΝΟΣ ΣΟΦΙ. Σμυρναίων, num. *Severi, Caracallæ.*
ΚΛ. ΡΟΥΦΙΝΟΣ, in alio ΣΟΦΙ. Σμυρναίων, num. *Gordiani Pii.*
ΚΛ. ΣΕΒΗΡΟΣ Κυζικηνῶν, num. *Faustinæ jun.*
ΚΛ. ΣΚΡΕΙΒΩΝΙΑΝΟΣ Φωκαέων, num. *Philippi Sen. & jun.*
ΚΛ. ΣΤΡΑΤΟΝΕΙΚΙΑΝΟΣ Θυατειρηνῶν, num. *Caracallæ.*
ΚΛ. ΣΤΡΑΤΟΝΕΙΚΟΣ Σμυρναίων, num. *Severi, Jul. Donnæ.*
ΚΛΕΩΝ Φωκαέων, num. *Sabinæ.*
ΛΟΥΚ. ΚΟΜΟΔΙΑΝΟΣ Υπαιπηνῶν, num. *Saloninæ.*
ΚΟΡ. ΛΟΛΛΙΑΝΟΣ Κυμαίων, num. *Commodi.*
ΚΟΥΑΡΤΟΣ Β. Περγαμηνῶν, num. *Ant. Pii.*
ΚΟΥΙΝΤΙΑΝΟΣ Περγαμηνῶν, num. *Commodi.*
ΚΥΡΙΝΟΣ Σμυρναίων, num. *Elagabali.*
ΠΟ. ΛΕΑΣΤΗΛΟΣ Σμυρναίων, num. *Commodi.*
ΛΕΟΝΙΔΑΣ Κυζικηνῶν, num. *Valeriani.*
ΛΕΠΙΔΟΣ Κυζικηνῶν, num. *Elagabali.*
ΠΟ. ΛΙΚΙΝΙΟΣ ΣΕΒΕΡΕΙΝΟΣ Κολοφωνίων, num. *Gallieni.*
ΛΟΓΓΕΙΝΟΣ ΤΟ Β. Μαγνητῶν Σιπ. num. *ejusdem.*
Π. ΛΟΓΙΣΜΟΣ Περγαμηνῶν, num. *Gordiani Pii.*
ΛΟΛΛΙΑΝΟΣ Μηθυμναίων, num. *Alex. Severi.*
ΛΟΥΓΙΟΣ Ελαιτῶν, num. *Sept. Severi.*
Μ. ΛΟΥΓΙΟΣ ΤΕΙΜΩΝΟΣ Ελαιτῶν, num. *ejusdem.*
ΜΑΞΙΜΕΙΝΟΣ Β. Τημνειτῶν, num. *Tranquillinæ.*
ΜΑΡΚΟΣ Ταβαλέων, num. *Commodi.*
ΠΟ. ΜΕΝΕΚΛΗΣ Σμυρναίων, num. *Gordiani Pii.*
ΠΟ. ΜΕΝΕΚΡΑΤΗΣ Μυπλωαίων, num. *Commodi, Crispinæ.*
Λ. ΜΙΛΩΝ Β. Νακρασιτῶν, num. *L. Veri.*
ΜΟΣΧΙΩΝ ΦΙ. Θυατειρηνῶν, num. *Commodi.*
ΜΟΣΧΟΣ Θυατειρηνῶν, num. *Caracallæ.*
ΝΑΙΒΙΟΣ ΚΟΥΙΝΤΟΥ Σμυρναίων, num. *Sept. Severi.*
ΝΙΚΟΜΗΔΗΣ Μηθυμναίων, num. *Sept. Severi.*
ΟΝΗΣΙΜΟΣ Τημνειτῶν, num. *Philippi Sen.*

ΟΥΑΛ. ΝΕΙΚΙΑΣ Μητροπολειτῶν, num. *Gallieni.*
ΟΥΕΩΝ Εφεσίων, num. *Domitiani.*
ΠΑΙΤΟΣ Περγαμηνῶν, num. *Commodi.*
ΠΑΚΙΑΝΟΣ ΤΟ Β. Αδραμυτηνῶν, num. *Jul. Domnæ, Caracallæ.*
ΠΑΤΑΙΝΟΣ Μητροπολειτῶν, num. *Maximi Cæs.*
ΠΑΤΛΟΣ Σπαρτιατῶν, num. *Faustinæ Jun.*
ΠΑΥΛ. ΕΥΤΥΧΗΣ Αδραμυτηνῶν, num *Caracallæ.*
Μ. ΠΑΥΛΟΣ Βλαιωνιτῶν, num. *ejusdem.*
Γ. ΠΕΡΠΕΡΝΑΣ ΡΟΥΦΟΣ Γερμηνῶν, num. *Philippi Sen.*
ΠΟΛΕΙΤΟΣ ρτο ΙΠΠΟΛΕΙΤΟΣ Σμυρναίων, num. *Alex. Severi.*
ΠΟΛΕΜΩΝ Σμυρναίων, num. *Hadriani.*
ΠΟΛΛΙΑΝΟΣ Σμυρναίων, num. *Gordiani Pii.*
ΠΟΛΛΙΩΝ Περγαμηνῶν, *Domitiani cum Domitia, Sabinæ, Ant. Pii.*
ΠΟΜΠΗΙΟΣ ΡΟΥΦΟΣ Λεσβίων, num. *Commodi.*
ΠΟ. ΠΟΣΙΔΩΝΙΟΣ Μυτιληναίων, num. *Jul. Domnæ.*
ΠΡΕΙΜΟΣ Ερυθραίων, num. *Trajani.*
ΠΡΟΒΟΣ Περγαμηνῶν, num. *Commodi.*
ΠΡΟΚΛΟΣ Σμυρναίων, num. *M. Aurelii.*
ΠΡΟΚΛΕΙΑΝΟΣ Σμυρναίων, num. *Maximini.*
ΠΥΡΑΜΟΣ Ελαιτῶν, num. *Commodi.*
ΡΗΓΙΝΟΣ Μιλησίων, num. *Hadriani.*
ΡΟΥΦΙΝΟΣ Σμυρναίων, num. *Jul. Domnæ, Tranquillinæ.*
ΣΑΒΕΙΝΙΑΝΟΣ Περπερηνῶν, num. *Otaciliæ Sev.*
ΣΕΚΟΥΝΔΙΑΝΟΣ Υπαιπηνῶν, num. *Valeriani.*
ΣΕΚΟΥΝΔΟΣ Κυζικηνῶν, num. *Gordiani Pii.*
Π. ΣΕΚΟΥΝΔΟΣ Σμυρναίων, num. *Sept. Severi.*
Μ. ΣΕΛΛΙΟΣ Σμυρναίων, num. *M. Aurelii, Commodi.*
ΣΕΞΤΟΣ Σμυρναίων, num. *Gallieni.*
ΣΕΞΤΟΣ ΛΟΥΚΙΟΥ Τηίων, num. *ejusdem.*
ΣΚΡΕΙΒΩΝΙΑΝΟΣ Φωκαέων, num. *Philippi Sen.*
ΣΤΕΦΑΝΟΣ ΝΕΙΚΩΝΟΣ Θυατειρηνῶν, num. *Jul. Soæmiadis.*
ΣΤΡΑΤΟΝΕΙΚΙΑΝΟΣ Θυατειρηνῶν, num. *Commodi.*
ΤΕΡΤΙΟΣ Περγαμηνῶν, num. *Alex. Severi.*
ΤΡΑΙΑΝΟΣ Σμυρναίων, num. *Jul. Domnæ.*
Τ. ΦΑΒΙΟΣ ΑΠΟΛΛΙΝΑΡΙΟΣ Θυατειρηνῶν, num. *Gordiani Pii.*
ΚΟΜ. ΦΑΒΙΟΣ ΓΑΤΚΩΝ Περγαμηνῶν, num. *Decii, Q. Herennii.*
ΦΑΥΣΤΟΣ Γερμηνῶν, num. *M. Aurelii.*
ΦΙΛΗΤΑΣ ΙΠΠΙΚΟΥ, num. *Valeriani.*

Π. ΦΙΛΙΠΠΟΣ Τεαλλιανῶν, num. *Gordiani Pii.*

ΦΙΛΟΜΗΤΩΡ Μιλησίων, num. *Trajani.*

ΦΙΛΩΝ ΔΑΜΑ ΤΟ Β. Κλαζομενίων, num. *Jul. Domnæ.*

ΦΛΑΚΚΟΣ Μαγνητῶν Σιπ. num. *Commodi.*

Λ. ΦΛΑΚΚΟΣ Σμυρναίων, num. *Jul. Domnæ.*

ΦΛΑΟΥΙΟΣ Απολλωνιατῶν, num. *Caligulæ.*

ΦΛ. ΑΓΑΘΟΚΛΗΣ Κολοφωνίων, num. *Etruscillæ.*

ΦΛ. ΕΡΜΟΛΑΟΣ Υπαιπηνῶν, num. *Trajani Decii.*

ΦΛ. ΕΡΜΟΛΑΟΣ ΝΕΙΚΩΝΟΣ Υπαιπηνῶν, num. *Etruscillæ.*

ΦΛ. ΙΕΡΑΞ Υπαιπηνῶν, num. *Tranquillinæ.*

ΦΛ. ΜΗΝΟΦΑΝΤΗΣ Κυμαίων, num. *Gordiani Pii.*

Μ. ΦΛ. ΝΕΙΚΟΜΑΧΟΣ Γερμιωῶν, num. *Sept. Severi.*

ΦΛ. ΠΑΤΕΙΝΙΑΣ ΕΡΩΤΟΣ Κυμαίων, num. *Maximi Cæsaris.*

ΦΡΟΝΤΕΙΝΟΣ ΦΥΣΚΟΣ Σμυρναίων, num. *Hadriani.*

ΦΩΚΕΝΑΤΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ Γερμιωῶν, num. *Elagabali.*

Adduntur ad calcem

ΑΙΤΗΣΑΜΕΝΟΣ. *Postulans.*

ΤΙ. ΒΑΣΣΙΛΑΟΣ ΕΦΕΣΙΟΣ ΑΙΤΗΣΑΜΕΝΟΣ ΟΥΟΛΟΣΕΝΝΑ ΑΝΘΥΠΑΤΩ Ιουλιέων Αγκυρανῶν. *Titus Bassilaus Ephesius Postulans Voloseunæ Proconsuli Julienſium Ancyranorum.* Num. *Poppææ.*

ΠΡΟΔΙΚΟΣ. *Curator.*

ΠΡΟΔΙΚΟΣ ΚΑ. ΦΡΟΝΤΩΝ ΑΣΙΑΡΧΟΣ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΙΓ. ΠΟΛΕΩΝ. *Curator Claudius Fronto Asiarcha & Summus Pontifex tredecim Urbium.* Num. *Antonini Pii, M. Aurelii.*

ΣΥΝΑΡΧΗΣ. *Synarcha.*

ΑΤΤΑΛΟΥ ΣΥΝΑΡΧΙΑ. *Attali Synarchia.* Num. *Augusti.*

ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ *Cariæ.* Caput Augusti.

ΜΥΩΝΟΣ ΣΥΝΑΡΧΙΑ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Victoria gradiens, ambabus palmam. *Num. Claudii.*

ΥΠΑΤΟΣ. *Consul.*

ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΠΛΟΥΣΙΑΣ ΥΠΑΤΟΣ. *Cæsar Augustus Plusiæ Consul* in Sicilia. Num. *Augusti.*

ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΕΧΩΝ ΥΠΑΤΟΡΑ. *Potestatem habens Consularem.*

ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ ΕΥΤΥΧΗΣ ΕΞ. ΕΧΩΝ ΥΠΑΤΩΡ. Σμυρναίων. *Aurelius Antoninus Eutyches potestatem habens Consularem Smyrnæorum.* Num. *Caracallæ.*

Magistratus

Urbium Magistratus & Dignitates sine titulo.

ΑΓΛΘΩΝ Θασίων. Num. *Domitiani.*

ΑΓΡΙΠΠΑΣ Νικοπολιτῶν πρὸς Ιςρ. Num. *Macrini*, *Diadumeniani.* Nicopolitani sub Cæsaris in Thraciâ Legato, ejus nomen sine muneris titulo apposuere.

ΑΔΡΙΑΝΟΣ Φιλομηλέων, *Getæ.* Philomelenses Pysidiæ Magistratûs nomen non inscripsere.

ΑΙΛ. ΑΝΤ. ΤΑΤΙΑΝΟΣ Τραμπηνῶι, *Gordiani.* Prætoris nomen.

ΑΙΛ. ΑΡΙΣΤΟΝΕΙΚΟΣ Γερμιωνῶν, *Gordiani.* Nomen Prætoris.

ΠΟ. ΑΙΛ. ΑΤΤΙΚΟΣ Κολοφωνίων, *Decii.* Nomen Prætoris.

ΠΟ. ΑΙΛ. ΔΙΟΝΤΣΙΟΣ Λαοδικέων, *Ant. Pii.* Nomen Scribæ.

ΑΙΛ. ΙΠΠΟΛΕΙΤΟΣ Μιλησίων, *Faustinæ jun.* Nomen Archontis.

ΤΙΤ. ΑΙΛ. ΚΑΠΙΤΩΛΕΙΝΟΣ Βυζαντίων, *Caracallæ.* Nomen Archontis.

ΑΙ. ΠΟΝΤΙΑΝΟΣ Νικοπολιτῶν πρὸς Ιςρ. *Diadumeniani.* Nomen Legati Cæsaris.

ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΣ Βυζαντίων, *Lucillæ*, *Commodi*, *Crispinæ*, *Caracallæ*, *Macrini.* Nomen Archontis.

ΑΙΛ. ΦΗΣΤΟΣ Βυζαντίων, *Macrini*, *Alex. Severi.* Nomen Archontis.

ΑΙΜΙΛΙΟΣ ΣΕΤΗΡΟΣ Βυζαντίων, *L. Veri*, *Al. Sev.* Nomen Archontis.

ΑΙΠΙΟΣ ΙΠΠΙΚΟΣ Μαγνητῶν Σιπ. *Otacilæ.* Nomen Prætoris.

ΑΚΤΑΛΙΟΣ ΠΡΟΚΛΟΣ Ναικολέων, *Trajani.* Incertum.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΚΑΕΩΝ Σαρδιανῶν, *Drusi jun.* Nomen Archontis.

ΑΝΝΙΟΣ Μαγνητῶν Σιπ. *Otacilæ.* Nomen Prætoris.

ΑΝΤΙΟΧΟΣ Αἰζανιτῶν, *Claudii.* Aizanitæ Phrygiæ, Magistratûs nomen non apposuerunt.

ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΝΑΖΩΝ, *Domitiani.* Nomen urbis non scripsit nummus.

ΑΠΕΛΛΑΣ ΦΑΝΙΟΥ, *Augusti.*

ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΣ Τραμπηνῶν, *Caracallæ.* Nomen Prætoris.

ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΑΣ Γερμιανῶν, *Gordiani.* Nomen Prætoris.

ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΑΣ Λαμψακηνῶν, *Decii.* Lampsaceni hunc tantùm Magistratum sine titulo in nummis scripsere.

ΑΡΙΣΤΕΑΣ Νικαίων, *Etruscillæ.* Nicæenses Bithyniæ Magistratûs nomen haud apponere erant soliti.

ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΗΣ ΑΝΘΙΜΟΥ Περγαμιωῶν, *Getæ.* Nomen Prætoris.

ΑΡΤΕΜΑΣ Απαμέων, *Caracallæ.* Nomen videtur Agonotheræ.

ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ ΔΟΚΙΜΟΥ Φιλαδελφέων, *Severi.* Nomen Archontis.

ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ Ἀμαστριανῶν, *Domitiæ.* Amastriani Magistratûs titulum non posuere.

ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ Ἰεραπολειτῶν, *Tiberii.* Videtur nomen Prætoris.

ΑΤΕΛΙΑΝΟΣ Ἀθηναίων, *Vespasiani.* Nomen videtur Archontis.

Π. ΑΤΤΑΛΟΣ Σωνασέων, *L. Veri.* Magistratûs titulum non cuderunt.

ΑΥΓΟΥΡΕΙΝΟΣ Γορτυνίων, *Caligulæ.* Ἱεραπυθνίων, *ejusdem.* Ignoratur titulus.

ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΑΝΟΣ Μαρκιανοπολειτῶν, *Elagab.* Nomen Legati Cæs.

Λ. ΑΥΡ. ΑΡΧΕΛΑΟΣ Περγαμηνῶν, *L. Veri.* Nomen Prætoris.

ΑΥΡ. ΓΑΛΛΟΣ Νικοπολειτῶν, πρὸς Ἰερ. *Severi, Plautillæ.* Nomen Legati Cæsaris.

ΑΥΡ. ΓΑΣΟΠΑΤΩΡ Καδηνῶν, *Tranquillinæ.* Nomen Archontis.

Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΣ ΔΗΜΟΣ Σμυρναίων, *Caracallæ* Nomen Prætoris.

ΑΥΡ. ΔΙΟΝΥΣΟΣ Στρατονικέων, *Caracallæ.* Non apposuere titulum.

ΑΥΡ. ΔΙΩΝ Βαργασηνῶν, *Alex. Severi, Maximini.* Non titulum signavere. Porrò cùm Stratonicenses & Bargasæi sint Cariæ, videntur fuisse Scribæ.

Λ. ΑΥΡ. ΗΦΑΙΣΤΙΩΝ Δαλδιανῶν, *Jul. Donnæ.* Nomen Archontis.

Μ. ΑΥΡ. ΙΟΥΛΙΑΝΟΣ Υπαιπηνῶν, *Elagabali.* Nomen Prætoris.

ΑΥΡ. ΚΑΕΩΝ Ἐφεσίων, *Ælii Cæsaris.* Nomen Prætoris.

Μ. ΑΥΡ. ΚΟΥΙΝΤΟΣ ΚΟΥΙΝΤΙΛΙΑΝΟΣ Κοπαέων, *Al. Severi.* Nom. Arch.

ΑΥΡ. ΛΟΝΓΙΝΟΣ Νικοπολιτῶν πρὸς Ἰερ. *Macrini.* Nomen Leg. Cæs.

ΑΥΡ. ΜΑΞΙΜΟΣ Φιλαδελφέων, *Valeriani.* Nomen Archontis.

Μ. ΑΥΡ. ΜΥΤΘΕΝΗΣ Αἰζανιτῶν, *Sabinæ.* Ignoratur Magistr. titulus.

Μ. ΑΥΡ. ΝΑΙΒΙΑΝΟΣ Γερμηνῶν, *Tranquillinæ.* Nomen Prætoris.

ΑΥΡΗΛΙΟΣ ΟΣΤΙΛΙΑΝΟΣ Στρατονικέων, *M. Aurel.* conjicitur esse Scriba.

ΑΥΡ. ΠΟΝΤΙΑΝΟΣ Μαρκιανοπολιτῶν, *Sept. Severi.* Nomen Leg. Cæs.

ΑΥΡ. ΡΟΥΦΟΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ Καδηνῶν, *Valeriani.* Nomen Archontis.

ΑΥΡ. ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΙΑΝΟΣ Ἀπαμέων, *Commodi.* Nomen videtur Ἀρχιερέως.

Μ. ΑΥΡ. ΣΩΤΗΡΙΚΟΣ Βυζαντίων, *Alex. Severi.* Nomen Archontis.

ΑΥΡ. ΤΕΡΤΥΛΛΟΣ Νικοπολίτῃ πρὸς Ἰερ. *Severi* Nomen Legati Cæs.

Μ. ΑΥΡ. ΦΡΟΝΤΩΝ Βυζαντίων, *Macrini.* Nomen Archontis.

ΑΥΡ. ΧΑΡΙΔΗΜΟΣ Σμυρναίων, *Caracallæ.* Nomen Prætoris.

Γ. ΒΑΛΕΙΟΣ ΔΙΟΓΕΝΗΣ Σμυρναίων, *Jul. Maſæ.* Nomen Prætoris.

ΒΕΤΟΥΡΙΟΣ Τοῖς Ἀρχουσι, *Antinoi.* Nomen Legati Cæsaris.

ΒΩΛΑΝΟΣ Σμυρναίων, *Vespasiani, Titi, Domitiani.* Nomen Prætoris.

ΓΑΡΓΙΛΙΟΣ ΑΝΤΙΚΟΣ Φιλιππουπολειτῇ, *M. Aurelii.* Nomen Leg. Cæs.

ΓΕΜΙΝΟΣ Σμυρναίων, *Caracallæ.* Nomen Prætoris.

ΓΕΝΤΙΑΝΟΣ Μαρκιανοπολιτῶν, *Sept. Severi.* Nomen Legati Cæsaris.
Λ. ΓΕΣΣΙΟΣ Αἰζανιτῶν, *Germanici.* Magistratus ignoratur.
Λ. ΓΕΣΣΙΟΣ ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΣ Σμυρναίων, *Agrippinæ.* Nomen Prætoris.
ΤΙ. ΔΑΜΑΣΙΑΣ Μιλησίων, *Neronis.* Nomen Archontis.
ΔΑΡΕΙΟΣ Σαρδιανῶν, *M. Aurelii.* Nomen Archontis.
ΔΕΜΑΡΑΤΟΣ Ροδίων, *Neronis.*
ΔΗΜΗΤΡΙΑΝΟΣ ΘΕΡΜΑΝΔΡΟΥ Περγαμηνῶν, *Severi.* Nomen Prætoris.
ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΤΟ Β. Βυζαντίων, *Sabinæ.* Nomen Archontis.
ΔΗΜΟΣΘΕΝΗΣ Βυζαντίων, *M. Aurelii.* Nomen Archontis.
ΔΗΜΟΣΤΡΑΤΟΣ ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ Σμυρναίων, *Commodi.* Nomen Prætoris.
ΔΗΜΟΦΩΝ περγαμηνῶν, *Augusti.* Nomen Prætoris.
ΔΙΟΓΕΝΗΣ Αφριανοθυρειτῶν, *Domnæ.* Nomen Archontis.
ΔΙΟΔΩΡΟΣ ΤΟ Β. Βυζαντίων, *Sabinæ.* Nomen Archontis.
ΔΙΟΝΤΣΟΣ ΤΟ Β. Βυζαντίων, *Gordiani Pii.* Nomen Archontis.
ΔΙΟΝΤΣΟΣ περγαμηνῶν, *Augusti.* Nomen Prætoris.
ΔΙΟΝΤΣΙΟΣ Λαοδικέων, *Hadriani.* Nomen Scribæ.
ΔΙΟΝΤΣΙΟΣ ΚΟΛΥΒΑΣΙΟΥ Σμυρναίων, *Augusti.* Nomen Prætoris.
ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΗΣ Λαοδικέων, *Domitiæ* Nomen Scribæ.
ΔΙΩΣΚΟΥΡΙΔΗΣ Μαγνητῶν, *Ant. Pii.* Nomen Scribæ.
ΔΟΡΥΛΛΟΣ Σαλειτῶν, *Q. Herennii.* Magistratus ignoratur.
ΕΜΙΛΙΟΣ ΠΡΟΒΟΣ, conjicitur Nicomediæ. *Domitiani.*
ΕΠΙΓΕΝΗΣ Σαρδιανῶν, *Sept. Severi.* Nomen Archontis.
ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ Σμυρναίων, *Neronis.* Nomen Prætoris.
ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ Υπαιπηνῶν, *Getæ.* Nomen Prætoris.
ΕΡΜΟΚΛΗΣ Σμυρναίων, *Augusti.* Nomen Prætoris.
ΕΡΜΟΚΛΗΣ ΠΑΓΚΡΑΤΙΔΟΥ Τραλλιανῶν, *Caracallæ.* Nomen Scribæ.
Λ. ΕΡΜΟΛΑΟΣ Κυζικηνῶν, *Gallieni.* Nomen Prætoris.
ΕΥΤΥΧΗΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ Μειλητοπολειτῶν, *M. Aurelii.* Nomen Præt.
ΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ Σμυρναίων, *Commodi.* Nomen Prætoris.
Λ. ΘΑΛΛΟΣ Σμυρναίων, *Caligulæ.* Nomen Prætoris.
ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΗΣ Μιλησίων, *M. Aurelii.* Nomen Archontis.
ΘΑΛΑΤΟΣ Μυλασέων, *Augusti.* Nomen Scribæ.
ΠΟ. ΘΕΡΜΑΝΔΡΟΣ Μιλησίων, *Jul. Domnæ.* Nomen Archontis.
ΙΕΡΑΞ Αἰζανειτῶν, *Claudii.* Aizanitarum Magistratus ignoratur.
ΙΕΡΑΞ Υπαιπηνῶν, *Domnæ.* Prætoris nomen.
ΙΕΡΩΝΥΜΟΣ Κυμαίοις, *Antonini Pii.* Prætoris nomen.
ΙΕΡΩΝΥΜΟΣ Σμυρναίων, *Antinoi.* Prætoris nomen.
ΙΟΥΒΕΝΤΙΟΣ ΚΕΛΣΟΣ Πεδιναιωτῶν, *M. Aurel.* Magistr. nomen deest.

ΙΟΥΛΙΑ ΣΕΟΥΗΡΑ Ἀγριππέων, *Agrippinæ*. Archontis uxor videtur.
ΙΟΥΛΙΑ ΣΕΟΥΗΡΑ Βυζαντίων, *Alex. Severi*. Archontis uxor.
ΙΟΥΛΙΑ ΦΑΥΣΤΕΙΝΑ Βυζαντίων, *M. Aurelii*. Sine viri nomine, an Archontis uxor?
Μ. ΙΟΥΛ. ΑΓΥΡΟΣ Σμυρναίων, *Domitiani cum Domitia*. Præt. nom.
ΙΟΥΛ. ΑΝΤ. ΣΕΛΕΥΚΟΣ Μαρκιανοπολειτῶν, *Elagab*. Legati Cæs. nomen.
ΙΟΥΛΙΟΣ ΚΕΛΣΟΣ Αἰζανιτῶν, *Claudii*. Magistratûs nomen ignoratur.
ΙΟΥΛ. ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ Ὑπαιπηνῶν, *Antonini Pii*. Prætoris nomen.
ΙΟΥΛ. ΣΑΤΟΡΝΙΝΟΣ Ἀλκυρανοῖς, *Antinoi*. Archontis nomen.
ΙΟΥΛΙΟΣ ΥΙΟΣ Κοπαίων, *Claudii*. Archontis nomen.
ΤΙΒ. ΙΟΥΛ. ΦΗΣΤΟΣ Μαρκιανοπολιτῶν. Legati Cæsaris nomen.
ΚΑΙΣΕΝΝΙΟΣ ΓΑΛΛΟΣ. Urbis & Magistratûs nomina desunt.
ΚΑΛΛΕΝΤΙΟΣ Ἰλιέων, *Augusti*. Magistratûs titulus ignoratur.
ΚΑΣΣΙΟΣ Ἀντιοχέων, *Claudii*. Syriæ Præsidis nomen.
ΚΕΣΤΙΟΣ Ἀντιοχέων, *Neronis*. Syriæ Præsidis nomen.
ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΑΡΙΣΤΕΑΣ Σαρδιανέων, *Ant. Pii*. Scribæ nomen conjicitur.
Π. ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΑΤΤΑΛΟΣ Λαοδικέων, *M. Aurelii* Scribæ nomen.
ΚΛ. ΚΟΥΙΝΤΙΛΙΑΝΟΣ Νικοπολειτῶν πρὸς Ἴστρ. *Maximi*. Leg. Cæs. nom.
ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΡΟΥΦΟΣ Ἀπολλωνιατῶν, *M. Aurel.* Non constat de titulo.
ΚΛΕΟΒΟΥΛΟΣ Τημνοθύρεσι, *Gallieni*. Archontis nomen.
ΚΛΕΩΝ Φωκαιέων, *Sabinæ*. Prætoris nomen.
Λ. ΚΟΥΙΝΤΙΛΙΑΝΟΣ Μαρκιανοπολιτῶν, *Severi, Domnæ*. Leg. Cæs. nom. Al. ejusdem urbis, *Philippi Sen.* Legati Cæsaris nomen.
ΚΟΥΛΕΩΝ Αἰγιαίων Æolidis, *Tiberii*. Prætoris nomen.
ΚΟΥΠΕΔΙΟΣ Καισαρέων Palæstinæ, *Augusti*. Magistratus ignoratur.
ΚΡΗΤΑΡΙΟΣ Σμυρναίων, *Jul. Domnæ*. Prætoris nomen.
ΚΡΙΝΑΚΙΔΗΣ Ἀσίων, *Commodi*. Prætoris nomen.
ΚΡΙΝΑΚΙΔΗΣ Ἀσυριωέων, *Ant. Pii*. Magistratûs titulus ignoratur.
ΛΑΚΙΝΙΟΣ Σαρδιανέων, *Gordiani Pii*. Scriba conjicitur.
ΛΕΟΝΙΔΑΣ Ἀρπασιωῶν, *Antonini Pii*. Scribæ nomen.
ΛΕΟΝΤΙΣΚΟΣ ΙΠΠΟΜΕΔΟΝΤΟΣ Σμυρναίων, *Augusti*. Prætoris nomen.
ΛΙΒΙΑΝΟΣ ΚΟΡΩΝΟΣ Σμυρναίων, *Augusti*. Prætoris nomen.
ΛΟΓΓΕΙΝΟΣ ΤΟ Β. Μαγνητῶν πρὸς Σίπ. *Gallieni*. Prætoris nomen.
ΛΟΛΛΙΟΣ ΚΛΑΣΣΙΚΟΣ Αἰζανιτῶν, *Caligulæ*. Magistratus ignoratur.
ΛΥΣΑΝΙΑΣ ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ Αἰζανιτῶν, *Claudii*. Magistratus ignoratur.
ΜΑΡΙΟΣ ΚΟΡΔΟΣ Ἀπαμεῖς, *Agrippinæ Min.* Quis fuerit, dubium.
ΜΑΡΚΟΣ Βυζαντίων, *M. Aurelii, Lucillæ*. Archontis nomen.
ΜΕΛΙΤΩΝ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ Καδόλων, *Claudii*. Archontis nomen.

ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ Καισαρέων Palæstinæ, *Augusti.* Magistratus ignoratur.
ΜΕΝΕΚΛΗΣ Σμυρναίων, *Caracallæ, Gordiani Pii.* Prætoris nomen.
ΜΕΝΕΚΡΑΤΗΣ Τραππηνῶν, *Crispinæ.* Prætoris nomen.
Γ. ΜΕΣΣΑΛΑΣ Μαρκιανοπολειτῶν, *Philippi Sen.* Legati Cæs. nomen, & non Scribæ, cùm nullus eorum in Thraciæ nummis occurrat.
ΜΗΝΟΦΑΝΗΣ Περγαμηνῶν, *Caligulæ.* Prætoris nomen.
ΜΗΝΟΦΑΝΤΗΣ Νικομηδέων, *L. Veri.* Prætoris nomen.
ΜΗΝΟΦΙΛΟΣ Μαρκιανοπολιτῶν, *Gordiani Pii.* Legati Cæs. nomen.
ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΣ Μυρεινέων, *Ant. Pii.* Magistratûs titulus ignoratur.
ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΣ ΤΟ Β. Σαρδιανῶν, *Domitiani.* Archontis nomen.
ΠΟ. ΜΙΜΟΣ Σμυρναίων, *Caracallæ.* Prætoris nomen.
ΜΟΥΚΙΑΝΟΣ Αντιοχέων, *Galbæ.* Syriæ Præsidis nomen.
ΜΟΥΣΑΙΟΣ Σαρδιανῶν, *Augusti.* Archontis nomen.
ΜΟΥΣΑΙΟΣ ΓΑΜΑΛΙΑΣ Περγαμηνῶν, Prætoris nomen.
ΝΕΟΚΤΗΣ Θυατείρων, *Domitiani.* Magistratus ignoratur.
Μ. ΝΕΡΑΤΙΟΣ ΠΑΝΣΑ Γαλατίας, *Titi.* Galatiæ Præfecti nomen.
ΝΙΚΑΓΟΡΑΣ Κωιῶν, *Augusti.* Archontis nomen.
ΝΕΙΚΗΤΑΣ Βυζαντίων, *Macrini.* Archontis nomen.
ΝΙΚΟΜΑΧΟΣ Θεσσαλῶν, *Hadr.* Quis fueris Magistratus, ignoratur.
ΝΟΒΙΟΣ ΡΟΥΦΟΣ Νικοπολιτῶν πρὸς Ιστρ. *Elagabali.* Leg. Cæs. nomen.
Π. ΟΠΤΙΜΟΣ Β. ΕΥΔΑΜΟΣ Κωιῶν, *Caligulæ.* Archontis nomen.
Μ. ΠΑΤΑΙΝΟΣ Φιλομηλέων, *Al. Sev.* Magistratûs titulus ignoratur.
ΠΕΔΟΥΣΙΟΣ Σαρδιανῶν, *Plotinæ.* Archontis nomen.
Γ. ΠΕΡΠΕΡΝΑΣ ΡΟΥΦΟΣ Γερμηνῶν, *Philippi Sen.* Prætoris nomen.
ΠΕΤΡΩΝΙΟΣ Αντιοχέων, *Claudii.* Syriæ Præsidis nomen.
ΠΛΑΥΚΙΟΣ ΟΥΑΡΟΣ Απαμείς, *Vespasiani.* Asiæ Proconsulis nomen.
ΠΟΠΑΙΟΣ Γορδιωῶν, *Trajani.* Archontis nomen.
ΠΟΛΕΜΩΝ Σμυρναίοις, *Antinoi.* Prætoris nomen.
ΠΟΛΕΜΩΝ ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΔ Λαοδικέων, *Augusti.* Scribæ nomen.
ΠΟΛΛΙΑΝΟΣ Σμυρναίων, *Gordiani Pii.* Prætoris nomen.
ΠΟΛΛΙΩΝ Καισαρέων Palæst. *Augusti.* Ignoratur quis Magistratus.
ΠΟΛΛΙΩΝ Περγαμηνῶν, *Sept. Severi.* Prætoris nomen.
ΠΟΜΠΩΝΙΟΣ ΒΑΣΣΟΣ Καισαρείας, *Traj.* Cappadociæ Præfecti nom.
ΠΟΝΤΙΑΝΟΣ Μαρκιανοπολιτῶν, *Macrini.* Legati Cæsaris nomen.
Γ. ΠΟΣΤΥΜΙΟΣ Β. Λαοδικείας, *Neronis.* Vide in Polyarchis; an Scribæ?
ΠΥΘΟΝΙΚΟΣ Κωιῶν, *Augusti.* Archontis nomen.
ΡΟΥΦΕΙΝΟΣ Σαρδιανῶν, *Gordiani Pii.* Archontis nomen.
ΡΟΥΦΟΣ Αἰζανιτῶν, *Caligulæ.* Quis fuerit Magistratus, ignoratur.

ΡΟΥΦΟΣ Μιλησίων, *Hadriani.* Archontis nomen.
ΣΑΒΙΝΙΟΣ ΜΟΔΕΣΤΟΣ Νικοπολιτῶν πρὸς Ισρ. *Gord. Pii.* Legatus Cæſ.
Γ. ΣΑΛΛΟΥΣΤΙΟΣ ΑΡΙΣΤΑΙΝΕΤΟΣ Βυζαντίων, *Macrini.* Archontis nomen.
ΣΕΒΑΣΤΙΑΝΟΣ Πεϱινθίων, *Hadriani.* Legati Cæſaris nomen.
ΣΕΚΟΥΝΔΙΑΝΟΣ Τπαγπινῶν, *Valeriani.* Prætoris nomen.
ΣΕΡΟΤΙΝΙΟΣ ΚΑΠΙΤΩΝ Αγμονέων, *Agrippinæ fun.* Archontis nomen.
ΣΕΡΟΤΙΟΣ ΤΑΤΙΑΝΟΣ Μαρκιανοπολιτῶν, *Elagabali.* Cæſaris Legatus.
ΣΕΥΗΡΟΣ Βυζαντίων, *Alex. Severi.* Archontis nomen.
ΣΙΚΙΝΙΟΣ ΡΟΥΦΟΣ Αὐγουστῆς Τϱαιανῆς, *Plautillæ.* Cæſaris Legatus.
ΣΙΛΑΝΟΣ Αντιοχέων & Σελευκέων, *Tiberii.* Syriæ Præſes.
ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΙΑΝΟΣ Απαμέων, *Commodi, Decii.* Magiſtratus ignoratur.
Μ. ΣΥΛΛΑΙΟΣ ΑΝΤΙΟΧΟΣ Ιεϱαπολιτῶν, *Tiberii.* Prætoris nomen.
ΣΩΚΡΑΤΗΣ Κυζικηνῶν, *Alex. Severi.* Prætoris nomen.
ΣΩΚΡΑΤΗΣ ΔΙΟΔΟΤΟΥ Αἰζανιτῇ, *Claudii.* Magiſtratus ignoratur.
ΣΩΣΘΕΝΗΣ Λοαδικέων, *Auguſti.* Videtur Scriba.
ΣΩΣΘΕΝΗΣ Σιωαδέων, *M. Aurelii.* Magiſtratûs titulus ignoratur.
ΣΩΤΕΙΡΙΚΟΣ Χαλκιδέων Syriæ, *Trajani.* Magiſtratus ignoratur.
ΤΕΡΕΒΕΝΤΙΝΟΣ Μαρκιανοπολιτῶν, *Elagabali.* Cæſaris Legatus.
ΤΕΡΤΥΛΙΑΝΟΣ Μαρκιανοπολιτῶν, *Gordiani Pii.* Cæſaris Legatus.
ΤΡΑΙΑΝΟΣ Βυζαντίων, *Trajani.* Archon Byzantii.
ΤΡΥΦΩΝ Τειπολειτῇ, *Auguſti.* Magiſtratus ignoratur.
ΦΑΒΙΟΣ ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΟΣ Πεϱινθίων, *Antonini Pii.* Cæſaris Legatus.
ΦΑΝΝΙΟΣ Μυπλωαίων, *Jul. Donnæ.* Prætoris nomen.
ΦΑΛΚΚΟΣ Αντιοχέων, *Tiberii.* Syriæ Præſes.
ΦΑΛΟΤΙΟΣ Ιεϱαπυδνίων, *Caligulæ.* Magiſtratus ignoratur.
ΦΑΛΟΤΙΟΣ Νικοπολιτῇ πρὸς Ισρ. *Caracallæ.* Cæſaris Legatus.
ΦΑ. ΜΗΝΟΦΑΝΤΗΣ Κωιαῆν. Archontis nomen.
ΦΑ. ΟΤΑΠΙΑΝΟΣ Μαρκιανοπολιτῶν, *Severi, Caracallæ.* Cæſ. Legatus.
ΦΡΟΝΤΩΝ Βυζαντίων, *Alex. Severi, Mamææ.* Archontis nomen.
ΧΑΡΙΔΗΜΟΣ Σμυρναίων, *Donnæ, Plautillæ.* Prætoris nomen.
ΧΑΡΜΥΣ Κωιαῆν, *Auguſti.* Archontis nomen.

FESTA ET CERTAMINA Urbium.

ΑΚΤΙΑ.

ANTIQUUM erat ad Promontorium Actium in Epiro Apollinis templum ante bellum Peloponnesiacum, huic Deo sacrum, teste Thucydide, ab Argonautis exstructum, si Callimacho fides, ad quod Ludi erant Actiaci, quos Augustus devicto Antonio, novo templo condito honorificentiùs edidit; si quidem, inquit Strabo, Trieretici solebant hîc celebrari, Augusti verò ætate Quinquennales. Stephanus tribus Certaminibus insignes fuisse tradit, gymnico, equestri & navali. Instante hoc Festo bovem muscis immolabant, ut ejus sanguine saturatæ avolarent, & Festum hoc celebrantibus nullam crearent molestiam. Æl. Hist. Annal. lib. II. cap. 8.

ΑΝΚΥΡΑC ΜΗΤΡ. Β. ΝΕ. *Ancyræ Metropolis bis Neocoræ.* Urna in quâ ΑΚΤΙΑ, & desuper palmæ ramus. *Num. Saloninæ.*

Actia, festum quod Acarnanes primùm in urbe Actio Apollini ΤΩ ΑΚΤΙΩ celebrabant, deinde Nicopoli ab Augusto exstructâ, Ancyræ Galatiæ Metropoli, fuisse transmissum ex nummo videtur, & quidem Gallieni, vel forsan Valeriani à quo secundam urbs Neocoriam acceperat, tempore celebratum. Palmæ ramus, victoris est præmium.

ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ Β. ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Actia Pythia iterùm Thessalonicensium.* Cabyrus coronam Athletæ nudo porrigit, arâ intermediâ, & urna in quâ palmæ ramus. *Num. Philippi Sen.*

Actia Thessalonicæ edita fuisse cum Pythiis sub Philippo, denotant nummi: at si tunc Quinquennalia erant, illa initio ejus imperii celebrata sunt; si quidem vix tres menses anni sexti inchoavit. *Vide quæ de Pythiis infrà in Thessalonicensibus nummis sumus dicturi.*

ΕΠΙ CΤ. ΙΟΥ. ΜΑΡΚΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Sub Prætore Julio Marco Pergamenorum.* Mensa supra quam duæ urnæ decumbentes, in quarum priore ΑΚΤΙΑ, in alterâ ΟΛΥΜΠΙΑ, infrà duæ palmæ. *Num. Elagabali.*

Actia diximus ex Stephano tribus certaminibus fuisse insi-

gnia, gymnico, equestri & navali; sed cùm Pergamus non esset maritima, pro navali musicum fuisse certamen videtur. De Olympico dicemus suo loco. Porrò etiam sub Valeriano in eâdem urbe illa celebrata fuisse nos edocet sequens nummus.

ΕΠΙ C. ΑΤΡ. ΔΑΜΑ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Sub Prætore Aurelio Damasia Pergamenorum.* Mensa supra quam ΟΛΥΜΠΙΑ, & desuper in areâ ΑΚΤΙΑ, supra mensam corona, hinc & inde urna in quibus palma, infrà vas diotum. *Num. Valeriani.*

Non idem & unum est Certamen, sed diversa sunt, neque eodem tempore celebrata, sed sub Valeriano variâ tempestate utrumque editum.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ. *Perinthiorum Neocororum Actia Pythia.* Duo templa quatuor columnarum, desuper duæ urnæ, in quâlibet palmæ ramus. *Num. Severi, Caracallæ.*

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. Mensa supra quam urnæ duæ cum palmâ in quâlibet, infrà vas & poma. *Num. Getæ.*

Perinthiis jura & privilegia Byzantiorum qui Pescennii partibus nimis acriter studuerant, Severus adjudicavit; ideò sub ejus auspiciis Actia Certamina Pythia, imò & nova, ab illis dicta Philadelphia, de quibus suo loco dicemus, lætantes celebrarunt; templa etiam ipsi Principi & Caracallæ ejus filio erexerunt.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΙΩΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, in areâ hinc ΑΚΤΙΑ, inde ΠΥΘΙΑ. Mulier stolata stans, dextrâ templum, in apice alterum, hinc pro pedibus urna, inde altera pomis referta. *Num. Alex. Severi.*

Sub Alexandro Severo Perinthii se Actia & Pythia Certamina iterùm celebrasse hoc nummo denotant. Bis Neocori dicuntur, ab Elagabalo facti. Duo adsunt templa, Sept. Severo & Caracallæ erecta: sed urna in quâ poma, ad Pythia spectat, quæ in hoc Certamine præmium erant, de quibus infrà.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ, Certamen indicatur à Strabone lib. 14. Supra Clazomenios Chalcidonenses jacet lucus Alexandro Philippi filio consecratus, & Certamen Communitati Ionum indicitur, ibique peragitur, quæ ALEXANDREA nominantur. Alexander, etsi gene-

raliter

raliter ab Athletarum natione abhorrebat, neque pugillatûs neque pancratii ſtudiosè certamina exhibuit, ex Plutarcho in ejus Vitâ; tamen alia non reſpuebat. Porrò Athenæus refert illum ad Calani Philoſophi Indi tumulum gymnicos ludos ac muſicos edidiſſe: forſan illi duo in Alexandreo certamine celebrabantur, ut denotant duæ urnæ in eorum iconibus ex nummis.

ΕΠΙ ΑΡ. ΔΙΟΝΥCΟΥ ΤΟ Β. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. *Sub Archonte Dionyſo iterùm Byzantiorum Alexandrea.* Menſa ſupra quam duæ urnæ. *Num. Gordiani.*

Byzantini ex Plutarcho in Philippi poteſtatem redacti ſunt; nil mirum igitur ſi in Alexandri ejus filii toto terrarum orbe celeberrimi honorem certamina, ab iis dicta Alexandrea, inſtituerint, quæ poſt tot ſæcula ſub Gordiano Imperatore, qui Thraciam barbaris liberaverat, adhuc celebrarent.

ΟΔΗCCΕΙΤΩΝ. Urna in quâ palmæ ramus, ſupra eam ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. *Num. Gordiani Pii.*

Odeſſus Mœſiæ urbs Gordiano, quòd barbaros ex provinciâ ſuâ expulerit, memor nummos cudit. Audi Capitol. in ejus Vitâ: *Fecit iter in Mœſiam, atque in ipſo procinctu quidquid hoſtium in Thraciis fuit, delevit, fugavit atque expulit.* Alexandrea certamina in nummis Gordiani expreſſit Odeſſus, celebrare ſolita, quòd illi tanquam alter Alexander adfuerit.

ΚΟΙΝΟΝ ΘΡΑ. ΑΛΕΞΑΝ. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙ. *Commune Thracum Alexandrea Philippopoli.* Menſa, ſupra eam urna in quâ quatuor poma, infra menſam vas & palmæ ramus. *Num. Carac.* Multi diverſi.

Philippopolis, Thraciæ urbs & Metropolis, olim Eumolpias, à Philippo Macedonum Rege reſtaurata, ſic vocata eſt, quæ in Alexandri ejus filii honorem Alexandrea dicta certamina inſtituit, ex quâ urbe in alias illa forſan tranſmiſſa ſunt. Hæc in frequentibus Caracallæ nummis expreſſa videntur, quòd ex Communis Thraciæ impenſis in ejus Principis conſpectu celebrata ſint, cùm Alexandri M. amantiſſimus fuerit, ex Dione. Poma, Pythia eſſe demonſtrant. Vide infrà in Pythiis.

ANTΩNEINIANA.

Antoniniana fuere certamina, in honorem Antonini Elagabali à Nicomedienſibus inſtituta, dum ex Syriâ Macrino devicto & occiſo victor Romam proficiſcens, in eorum urbe hybernа age-

ret, ex nummis & Dione lib. 79. Sed quæ fuerint, incertum; aliquando ANTΩNEINIANA CEBACTA fuere appellata.

ANTΩNEINIAνα BYZANTIΩN. in altero ANTΩNEINIAνα CEBACTA BYZANTIΩN. Urna in quâ duæ palmæ: in ultimo, infrà vas. *Num. Alex. Severi.*

Byzantini ſe Antoniniana certamina edidiſſe per nummos ſuos denotant; & ſi conjecturæ locus, Nicomedienſium imitatione, qui ea in Elagabali honorem, dum per hyemem in urbe ſuâ moraretur, inſtituerant. Nummus Elagabali percuſſus Byzantii, exhibet figuram equeſtrem Pacificatoris habitu, illius in ſuam urbem adventum denotantem, forzan cum illa certamina celebraturi eſſent, quæ ſub Alex. Severo ab eodem Elagabalo adoptato hîc renovarunt.

ANTΩNINIANA NIKOMHΔEΩN ΔIC NEΩKOPΩN. *Antoniniana*, ſcilicet Certamina, *Nicomedienſium bis Neocororum* Urna in quâ duæ palmæ. *Num. Elagabali.*

Nicomediæ Elagabalum hyberna egiſſe tradit Dio lib. 79. dum Romam interfecto Macrino properaret. Nummus Nicomedienſes Antoniniana ſub illo certamina edidiſſe denotat. Hæc videntur de illius nomine in ejus honorem inſtituta, ut illum ludis & certaminibus oblectarentur.

ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ.

Aſclepia, erant feſta & certamina in Æſculapii honorem inſtituta, primùm & quidem magnificè Epidaurii celebrata, ex hac urbe poſteà Pergamum tranſlata, Ancyræ verò ſub Caracallâ edita, ubi CΩTHPEIA in nummis, & MEГAAA in lapidibus appellantur; parva, ut auguramur, Soteria, ob ſanitatem huic Imperatori de Ancyrâ bene merito reſtitutam dicta, quæ annua: magna verò Pentaeterica, ut erant Epidaurii, in quâ urbe Rapſadorum certamen, & cæteræ muſices ut & pugillatûs & pancratii.

ACKΛHΠIA CΩTHPEIA ICΘ. ΠYΘIA MHTP. ANKYPAC. *Aſclepia, Soteria, Iſthmia, Pythia Metropoleos Ancyræ.* Mulier turrita ſedens, dextrâ urnam in quâ palma, ſiniſtrâ templum extaphylum. *Num. Caracallæ.*

Ancyra beneficiis à Caracallâ acceptis, Antoninianam de ejus nomine, ut ex altero nummo liquet, ſe appellavit: in hoc autem urbis Genius lævâ templum ſex columnarum in illius

honorem exſtructum ſuſtinet : fanum enim Æſculapii duabus tantùm columnis ſuffultum conſpicitur. Dextrâ urnam in certaminum Aſclepiorum, Iſthmiorum & Pythiorum ſub iſto Principe celebratorum memoriam gerit : tria erant diverſa, ſed cùm anno quo Aſclepia Ancyræ inſtituta fuere, Iſthmia trieterica, & Pythia pentaeterica, Vere omnia occurrerent, unâ tantùm urnâ, quaſi quædam omnium eſſet continuatio, comprehenduntur.

ACKAHΠIA ſupra urnam, CΩTHPEIA ſupra alteram, ICΘ. ΠYΘIA ſub iis, MHTPOΠOA. ANKYPAC circa ambitum. *Num. Caracallæ.*

Ut tot urnas pro tot certaminibus in nummis appoſitas eſſe obſervavimus, mox reclamat amicus, tria ſunt in nummo tuo ſcripta certamina, nempe Aſclepia, Iſthmia, & Pythia, & duæ tantùm urnæ adſunt : ſed ſciat dexteriorem pro Iſthmiis, & ſiniſteriorem pro Pythiis ſignari, & vocem ACKAHΠIA in priore, & alteram CΩTHPEIA in poſteriore, non ibi certamina notare, cùm non ſint duo, uti præferunt urnæ, Aſclepia ſeparatim & Soteria, ſed feſta Æſculapii in hoc nummo tantùm indicare, in quorum celebratione Iſthmicus & Pythicus agones occurrerunt celebrandi.

ACKAHΠIA CΩTHPEIA circa ambitum, ICΘ. ΠYΘIA in areâ, MHTPOΠOAE. ANKYPAC in imo. Duæ urnæ cum palmâ, vaſe dioto cum duabus intermedio. *Num. ejuſdem Imperatoris.*

Duæ ſignantur urnæ, & vas amplum illud diotum tertiæ vicem ſupplet ad indicanda Iſthmia, Aſclepia & Pythia certamina Ancyræ eâdem anni tempeſtate, id eſt Vere, celebrata. Vas in medio poſitum eſt, quòd poſt Iſthmia novem finitis diebus Aſclepia inciperent, & deinde Pythia ederentur. Duæ palmæ duo Aſclepiorum præmia fuiſſe indicant : at cùm Aſclepia in Caracallæ gratiam fuerant inſtituta, eo mortuo, annua ſcilicet CΩTHPEIA ceſſaſſe videntur, quandoquidem nulla ipſorum mentio in nummis occurrat, ſed MEΓAΛA ſeu Pentaeterica duraſſe, lapides nos edocent.

ATTAΛEIA.

Attalea ab Aphrodiſienſibus Lydiæ certamina in honorem Attali Pergami Regis inſtituta ſunt. Hic frater erat Eumenis Regis, qui pro Romanis contra Antiochum Magnum partes ſuſcepit :

ideò hoc devicto, ab illis Lydiam cum aliis provinciis proximis in præmium obtinuit, apud Polyb. de Legat. ipso autem mortuo, Attalus regnum habuit, Stratonice fratris sponsâ in uxorem ductâ, Eumeniam in fratris honorem & Attaliam de suo nomine condidit, Aphrodisiensibus multa beneficia contulisse videtur, quorum memores, certamina de ipsius nomine instituerunt.

ΑΦΡΟΔΕΙCΙΕΩΝ. *Aphrodisiensium.* Mensa supra quam urna cum epigraphe ΑΤΤΑΛΕΙΑ ΓΟΡΔΙΑΝΕΙΑ, *Attalea Gordianea* scilicet *Certamina*. In orâ mensæ ΚΑΠΙΤΩΛΙΑ. *Num. Gordiani Pii.*

Aphrodisiensium meminit Tacitus Annal. lib. 3. inter urbes quæ Asylorum jus apud se tuebantur, eos Dictatoris Cæsaris ob vetusta in partes merita, & recens D. Augusti decretum attulisse, & Veneris religionem defendisse narrat; unde illi ab hoc cultu Veneris nomen: sed nummus Attaleorum certaminum in honorem Attali Philadelphi Pergami Regis in hac urbe celebratorum memoriam revocat.

ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ.

Augustea fuere certamina de nomine Augusti, in ejus honorem instituta; Marmor Oxonium Angliæ allatum, illud Pergami celebratum nos edocet. Tacitus Annal. lib. 4. templum huic Principi à Pergamenis erectum narrat. Nummi Pergæ etiam edita fuisse nos docent. Pamphyliam sibi provinciam constituit Augustus; at cùm Perga una de celeberrimis ejus civitatibus fuerit, quam illustrabat fanum Dianæ, cujus asylum forsan confirmavit Augustus, in ejus honorem Pergami exemplo Augustea edidit certamina.

ΠΕΡΓΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΙΕΡΟC. *Pergensium Neocororum Sacrum*, id est, *Certamen.* Mensa in quâ scriptum ΑΥΓΟΥCΤΕΙΑ, supra eam urna inter duo vasa. *Num. Cornelii Salonini.*

ΙΕΡΟC vox *Sacrum* significat, id est, Certamen, quod per excellentiam in nummis plurimis intelligitur Pythium. De illo Pergæ celebrato nihil dubium, de quo infrà dicturi sumus, sed nummus cum illo exhibet Augustea: at cùm duo vasa sub mensâ sint, unum videtur Augusteorum præmium fuisse, sicut alterum in Pythiis concedebatur victoribus, ut notum est.

ΑΥΓΟΥCΤΙΑ CΕΥΗΡΙΑ ΝΙΚΑΙΩΝ. *Augustia Severia Nicæensium.* Duæ urnæ, in quâlibet palmæ ramus. *Num. Philippi Sen.*

ΑΥΓΟΥΣΤΙΑ ΚΑΙ ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Augustia & Philadelphia Nicæensium.* Capita Caracallæ laureati, & Getæ nudi. *Num. Jul. Domnæ.*

Nullus dubito quin Augustea & Severea illa certamina, duo sint diversa, unum in honorem Augusti à Nicæensibus editum ex communicatione ludorum istorum à Pergamo in quo erant instituta, per ὁμονοίαν seu societatem ΝΕΙΚΑΕΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΙΑΒΙΑΝΩΝ in nummis ita frequentem: adde quòd in imo duæ sunt urnæ, duo ludorum genera haud dubiè designantes; sed Domnæ nummus sententiam hanc confirmat per conjunctionem καὶ, quæ & differentiam invehit, nec ad ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑ referri possunt Augustea, cùm in nummo Caracalla sit solus Augustus ex lauro, & Geta sit tantùm Cæsar per caput nudum.

ΓΟΡΔΙΑΝΕΙΑ.

Ut nummi in plurimorum Principum Romanorum honorem ab urbibus certamina de illorum nomine instituta fuisse declarant, sic perrarus ille Aphrodisiensium Lydiæ, Gordianea in Gordiani tertii celebrata nos edocet, qui teste Capitolino in ejus Vitâ, charus fuit omnibus. *Amatus est*, inquit, *à populo, à Senatu & à militibus, ita ut nemo Principum.* Aphrodisienses solemne aliquod ab eo beneficium accepisse videntur. An non Misitheus illius socer ipsis natales debuerit?

ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΕΩΝ. *Aphrodisiensium.* ΓΟΡΔΙΑΝΕΙΑ ΑΤΤΑΛΕΙΑ supra urnam mensæ impositam, in cujus orâ ΚΑΠΕΤΩΛΙΑ. *Num. Gord. tertii.*

Præclarus ille nummus non modò Gordianea certamina nobis indicat, sed illa sub ipso Imperatore exhibet, quæ cum Atteis in honorem Attali Philadelphi Pergamenorum Regis institutis, de quibus suprà diximus, imò & Capitolia Jovi Capitolino sacra conjungit, de quibus etiam infrà nobis erit sermo, ut illa omnia sub eodem Principe, forsan continenter vel pauco intervallo, edita nobis demonstret.

ΔΗΜΗΤΡΙΑ.

Ceres Dea tanquam Geres à gerendis fructibus dicta apud Ciceronem lib. de Nat. Deorum, à Græcis verò Δημήτηρ quasi Γημήτηρ appellata, id est, Terra mater, de ejus nomine Festa sunt instituta, imò & Certamina, Demetria dicta. Festa erant Eleusi-

nia magna in urbe Eleusi, parva autem Athenis, & Thesmophoria; in illis multa ad frugum, in his plurima ad legum inventionem fiebant. Epharmostus Eleusinio certamine dicitur apud Pindarum superasse: Interpres ejus in Demetriis præmium fuisse hordeum refert.

ΔΗΜΗΤΡΙΑ ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Demetria Nicomediensium bis Neocororum.* Urna cum duobus palmæ ramis. *Num. Carac.*

Certamina hæc in Cereris honorem à Nicomediensibus instituta fuere, cùm illa sit tutelaris urbis Dea, ut frequentes eorum nummi cum ejus effigie sparsim in hoc Opere denotant, & hic Commodi templi illius quatuor columnis suffulti prospectum exhibet. Id planè confirmat Libanius in Vitâ suâ, qui de Nicomediâ loquens, eam Cereris oppidum appellat.

ΤΑΡCΟΥ ΤΗC ΜΗΤΡΟΠ. circa ambitum, in coronâ ΔΗΜΙ. pede posteriori ærugine deleto.

Nicomediensium exemplo ad Certamina Demetria seu Cerealia Caracallæ nummum spectare existimavi; sed Illustr. Spanhemius in Ep. 5. ad Morellium, hanc epigraphen ΔΗΜΙΑ, id est, Festa publica, explicat: unde δημοτέλεις ἑορταὶ, nempe apud Chrysost. de Sacerdot. Alterum Alex. Severi nummum ex Tarso protuli, in quo legitur ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ πόλεως ΤΑΡCΟΥ ΔΗ. has ultimas voces Δημάρχια, ob duos serpentes Cereri dicatos, & ejus currui frequenter junctos, explicui.

ΕΠΙΝΙΚΙΑ.

Certamina à populis vocata sunt, quæ in victoriæ Imperatoris alicujus memoriam celebrabantur, ΕΠΙΝΙΚΙΑ, id est, Victricia. Horum meminit Dio Cassius lib. 51. πρὸς τοὺς ἐπινικίους ἀγῶνας, ut & apud Athenæum, ἐπινίκιος ἀγὼν, *ludi ob victoriam.* Sic Augustus M. Antonio ad Actium profligato, Appianus post expugnatam à Scipione Carthaginem, ait, ἐτέλει τὴν ἀγῶνα ἐπὶ τῇ νίκῃ, *fecit & certamina propter victoriam.* Herodianus de Severo ait, ἐπετέλεσε δὲ καὶ ἐπινίκιον ἀγῶνα, *& proposuit victricem agonem.* Faber ludos victoriales post actum triumphum, sacrificiaque solemnia editos, Ἐπινίκια vocat.

ΕΠΙΝΙΚΙΑ ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Victricia Thessalonicensium Neocororum*, id est, *Certamina.* Lebes in quo palmæ ramus. *Num. Gordiani Pii.*

Theſſalonicenſes, cùm à Gordiano Pio ut eſſent Neocori, impetraſſent, beneficii memores, quòd Princeps Perſas ex Syriâ expuliſſet, Meſopotamiam recuperaſſet, & toties de hoſtibus victor evaſiſſet, Certamina in illius honorem Ἐπινίκια inſtituerunt. Apud Plutarchum Ἐπίνικια feſtum erat, in eo convivium ſummâ cum lætitiâ agitabatur, Polyæno lib. 5. Choreæ fiebant, Pæaneſque cantabantur, uti docet Euſthatius lib. 10. de Amoribus Iſmeniæ.

CEVHPEIA OAVMПIA ЕПINEIKIA OPOIC KIAIKΩN EN KOΔPIГAIC AΔP. CEVHPIANHC TAPCOV MHTPOПOΛEΩC. *Severia Olympia Epinicia ad fines Cilicum in quadrigis Hadrianæ Severianæ Tarſi Metropoleos.* Urna prægrandis. *Num. Sept. Severi.*

Ad Olympia Certamina videtur ſpectare nummus, quæ in Severi honorem ideò *Severia*, & victoriam quam reportavit de Peſcennio, unde *Epinicia*, ad Cilicias portas, ideò ὅροις Κιλικῶν, *in finibus Cilicum*, quaſi aliud trophæum, cùm eodem loco Alexander Darium viciſſet. Unde vides Epinicia modò eſſe certamina, modò alia certamina vocari Epinicia, ſed ſemper in victoriæ ab Imperatore relatæ memoriam.

ΕΦΕΣΕΙΑ.

Ludi publici Feſtorum ſpecies erant, ſed non omnia Feſta Ludos comites habebant. ΕΦΕCEIA autem feſta ſunt & certamina, feſta in Dianæ Epheſiæ honorem celebrata, Polluc. lib. 1. cap. 1. peragebantur verò multâ cum hilaritate & temulantiâ, pleno per totam noctem foro, Achill. Tatius lib. 6. agitabant autem viri; Pauſan. in Meſſen. etiam virgines; mulieri verò nulli ingenuæ templum accedere permiſſum: ſi quæ feciſſet, ea crimen morte luebat, ac ſervæ tantùm aditus patebat, dominum nempe apud Deam accuſare cupienti, Ach. Tatius lib. 7. Præerant ſacris οἱ Ἀρχιθέαται appellati. Heſychius.

ΕΦΕCIΩN Δ. NEΩKOPΩN. *Epheſiorum quater Neocororum.* Urna ſupra quam ΕΦΕCIA. ex eâ tres palmæ rami erumpunt. *Num. Gallieni apud D. Medham Anglum.*

Urna ludos demonſtrat, tres palmæ tria certaminum genera. De agone Epheſio Heſychius: Ἐφέσια, ἀγὼν ἐν Ἐφέσῳ ἐπιφανὴς, *Epheſia, certamen Epheſi clarum.* Marmor apud Sponium nominat Aur. Demoſtratum Epheſium, quòd Epheſi certamen

vicerit. Oxonius Lapis refert L. Antonium Septimium Ephesium, quòd Ephesi Ephesia superarit Barbillea, ita dicta à Barbillo Astrologo, qui permissu Vespasiani eos agones Ephesi instituit, sicut Dio docet in Excerpt. Henr. Valesii.

ΗΛΙΑ.

Helia, seu Doricè Alia, certamina Apollini seu Soli dicata sunt. Aristides in Rhodiaco eorum meminit alloquens Rhodios, quæ ab iis instituta videntur cùm Apollini insula in sortem cessisset. Septimius in Marmore Oxoniensi hæc certamina bis vicit. Vide quæ dixit illius Commentator. Sed non modò illa Rhodi celebrata sunt; nummus Odessitarum in Mœsiâ pariter edita nos docet, ut alter in Coloniâ Emisenâ sub Elagabalo cusus, & in nostro de Coloniis libro, quem consule, descriptus, in quo pariter duo palmæ rami, ut in Odessi nummo, duo præmia indicantes.

ΗΛΙΑ ΟΔΗϹϹΕΙΤΩΝ. *Helia Odessitarum.* Urna seu lebes cum duobus palmæ ramis. *Num. Gordiani Pii.*

Jam apud Odessitas Mœsiæ certamina Alexandria in honorem Alexandri M. ab iis instituta, in Gordiani nummis suprà protulimus; nunc alia in Solis seu Apollinis honorem pariter sub eodem Principe celebrata profert hic nummus, cùm ille in Mœsiam iter faceret ad bellum Persicum properans, ut juvenem Imperatorem ejusmodi ludicris recrearent Odessitæ.

ΘΕΟΓΑΜΙΑ.

Ut Theogamia festum erat in Plutonis & Proserpinæ nuptiarum honorem apud Siculos, in quorum terra nata erat, instituta, ex Polluce; sic etiam apud Nysæos Cariæ certamen fuisse arguit eorum nummus, ob lucum & templum, à Strabone descriptum lib. 14. Πλούτωνος τε καὶ Κόρας Doricè, pro Ηρας; quam emendationem notaveramus antequàm Illustr. Spanhemius in lucem edidisset: illius vide eruditam de hoc nummo ad Cl. Morellium Epistolam, in quâ ex Hesychio Festum Jovis & Junonis ob sacras eorum nuptias fuisse etiam celebratum commemorat.

ΘΕΟΓΑΜΙΑ ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ supra urnam in quâ duæ palmæ. ΕΠΙ ΓΡ. Μ. ΑΥΡ. ΛΑΙΑΝΟΥ circa ambitum. *Num. Valeriani.*

In Cariæ urbibus Scribarum nomen frequenter adesse, suprà in Urbium Magistratibus observavi, quòd illi provinciæ oppida veluti

veluti Prætores seu Archontes administrarent : Nysæ autem sub M. Aurelio Laiano Theogamia Oecumenica Certamina Valeriano Imperatore celebrata ab Athletis non modò provinciæ, sed ex toto terrarum orbe admissis. hic nummus demonstrat, ut aliud Oecumenicum ab Hierapolitanis Syriæ in nostro de Coloniis libro sub hoc Principe edita protulimus.

ΘΕΟΓΑΜΙΑ supra urnam tripodi impositam, in quâ caduceus, spica, & palmæ ramus. ΚΟΡΥΚΙΩΤΩΝ ΑΣΥ. ΝΑΥΑΡΧΙΣ. Bacchus stans ante urnam. *Num. Valeriani.*

Jam hunc nummum inter maximos Musæi Cl. V. Abbatis de Camps descripsimus, ubi supra urnam fugientes litteras ΘΕΟΓΑΜΙΑ exposuimus: at cùm scalptor ad litteras ΘΕ adjunxerit Μ, quidam de verâ epigraphe dubitare videntur; porrò Lector nostrâ conjecturâ uti poterit, & Theogamia certamina Coryciotas Ciliciæ Asperæ urbis, ut & Bacchi cultum à Nysæis accepisse, sibi persuadebit : interim videat quæ eo loco diximus.

ΙΣΘΜΙΑ.

Isthmia inter quatuor sacra certamina nuncupantur Neptuno in Melicertæ honorem dicata, sic dicta à Peloponnesi Isthmo, in cujus faucibus edebantur; Trieterica erant, ex iis victores ex toto terrarum orbe admissi, qui Isthmionici dicebantur, primùm pino, deinde pinu coronati sunt, per novem dies durabant. Quando erant celebranda, putabant Neptunum adventare, ideoque juvenes tibiarum cantu, fistulis, & instrumentis musicis hilariter illum excipiebant; decertabatur equis curru junctis, Pancratio, Musicâ & Poësi. Vide facundam & ornatam de iis Illustr. Spanhemii ad Cl. Morellium Epistolam.

ΙΚΘ. ΠΥΘΙΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΑΝΚΥΡΑΣ. *Isthmia Pythia Metropoleos Ancyræ.* Duo lebetes cum palmâ, supra dexteriorem ΑΓΩΝΙΑ, & sinisteriorem ΣΩΤΗΡΕΙΑ. *Num. Caracallæ.*

Ancyram Galatiæ Metropolim pro Caracallâ corpore pusillo & ægro publica sacra fecisse, imò in Æsculapii urbis suæ tutelaris Dei honorem Isthmia & Pythia certamina edidisse liquet, cujus rei memor, plurima Ancyræ beneficia contulit munificus Imperator, unde urbs se Antoninianam appellavit; sed id sub finem ejus Imperii accidisse videtur, cùm

nummi sint Ancyræ quamplurimi sine ejus nomenclatione, & unicus tantùm occurrat cum Antoninianæ appellatione.

ΙCΘΜ. ΠΥΘ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Isthmia Pythia Nicæensium.* Mensa supra quam tres urnæ, in mediâ duæ palmæ, in aliis una. *Num. Valeriani.*

Isthmia anteponuntur Pythiis, quòd illa celebrarentur ante ea, & non modò certamina Ancyræ Metropoleos Galatiæ, sed etiam Nicææ Bithyniæ cum Pythiis celebrata sub Valeriano hîc observamus. Adsunt autem tres urnæ, & duo tantùm notata sunt certamina. Alter ejusdem Principis nummus in hac urbe cum suis filiis percussus, tertium illud certamen ΜΕΓΙCΤΩΝ ΑΡΙCΤΩΝ, id est, *Maximorum Optimorum*, appellatum fuisse; nec te morentur omissa in plurimis nummis certaminum nomina, sparsim in nostro Opere designata, quæ ideò prætermisimus.

ΚΑΒΕΙΡΙΑ.

Cabiria fuere certamina de Cabirorum nomine dicta, in eorum honorem instituta. Pherecides eos Vulcani filios ex Cabirâ Prothei filiâ existimat, quod confirmare videntur nummi, qui illos dextrâ malleum gerentes exhibent, cùm æris & ferri fabricam patris instar docuerint; & ideò Dei habiti sunt, multisque urbibus templa illis erecta sunt, atque illud de iis traditur, quòd qui eorum sacris initiati, omnem maris tempestatem evadere crederentur. Festa fuere Cabiria in eorum honorem instituta. Vide Meursium.

ΚΑΒΕΙΡΙΑ ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Cabiria Thessalonicensium Neocororum.* Urna in quâ palmæ ramus. *Num. Gordiani Pii.*

Thessalonicenses à Gordiano ut essent Neocori, obtinuisse suprà diximus, beneficii memores, ei Cabiria certamina à se in illius honorem edita dedicant: summus eorum erat apud illos cultus, tanquam tutelares essent urbis Dei. Alter eorum nummus nobis illorum templum ex duabus columnis suffultum exhibet, in cujus aditu unus ex Cabiris stans visitur: nam plures existimabantur, nec de eorum numero apud Græcos scriptores constat.

ΚΑΙCΑΡΕΑ CΕΒΑCΤΑ.

Urna in nummis, certamina denotat; hæc in illis Cæsarea Augustalia appellantur, si conjicere liceat, ad distinctionem co-

rum quæ in Julii Cæsaris honorem alicubi instituta, dicta sunt *Cæsarea*, & cùm Augusto adularentur alii, sua nominavere *Cæsarea Augusta*. Ephesii & Nicæenses apud Dionem Julio Cæsari templa construxerunt, Augusto Pergameni & Nicomedienses, eorumque cultus velut Deorum in plurimis Asiæ urbibus certatim se prodidit, ludique in illorum honorem editi sunt.

ΚΑΙCΑΡΕΑ CΕΒΑCΤΑ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Cæsarea Augustalia Metropolitarum.* Urna ludorum, in quâ palmæ ramus. *Num. Otaciliæ Severæ.*

Metropolis urbs nomine multiplex, decem commemorat Stephanus, tres tantùm in nummis occurrunt, una ἐν Ἰωνίᾳ, altera ἰσαυρικὴ appellatur, tertia sine vocis adjectione, tanquam præcipua, Phrygiæ nempe adscripta, quam à Matre Deorum conditam tradit idem Stephanus. Quâ de causâ verò Metropolitæ certamina in Augusti honorem ediderint, obscurum est. Eadem epigraphe. Urna prægrandis, in quâ duo palmæ rami. *Num. Valeriani, Gallieni.*

Metropolitæ Phrygiæ Cæsarea Augustalia certamina, quæ sub Philippo edidisse suprà in nummis signarunt, eadem sub Valeriano & Gallieno ejus filio celebrasse demonstrant. An verò Quinquennalia, ut Julio à Senatu Romæ decreta, & pariter Ægypto subactâ, Augusto, Gymnicum nempe, & posteà Scenicum additum est, ut duæ palmæ indicare possunt.

ΚΑΠΕΤΩΛΙΑ.

Capitolia certamina in Jovis Capitolini honorem Romæ instituta sunt, ut indicat Marmor apud Sponium pag. 364. ΚΑΠΕΤΩΛΙΑ ΕΝ ΡΩΜΗ. Ut autem Jovis Capitolini cultus per varias Imperii Romani urbes traductus est, teste Antiochensium Cariæ nummo ΖΕΥC ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΥC ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, sic certamina ipsi dicata sunt, ut videre est in nostro de Coloniis libro in urbe Syriæ Heliopolitanâ. In iis omnia ingenii & corporis certamina celebrari existimat Tristanus lib. 3. ex Grùteri Marmore, quòd L. Valerius Pudens annorum XIII. Romæ certamine Jovis Capitolini coronatus esset inter Latinos Poëtas.

ΚΑΠΕΤΩΛΙΑ in orâ mensæ, supra quam urna ludorum, cui inscripta leguntur ΓΟΡΔΙΑΝΕΙΑ ΑΤΤΑΛΕΙΑ, circa ambitum ΑΦΡΟΔΕΙCΙΕΩΝ. *Num. Gordiani Pii.*

Tria possunt esse ab Aphrodisiensibus instituta certamina, nempe ΑΤΤΑΛΕΙΑ in honorem Attali Philadelphi Bithyniæ Regis, ut suprà dictum est; ΓΟΡΔΙΑΝΕΙΑ, de nomine Gordiani Pii Imperatoris; & tertia Capitolino Jovi dicata, quod satis arguit alter Valeriani nummus ab iisdem Aphrodisiensibus cum duabus urnis duo certamina indicantibus. Porrò qui dixerit Capitolia ab Attalo Rege primùm instituta, sic dicta Attalia Capitolia, & tandem intermissa, à Gordiano restaurata, deinceps Gordianea etiam appellata, non erit injucundum.

ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ.

Communia Asiæ, erant certamina ita dicta, quòd communibus Asiæ Proconsularis urbium impensis, & communi earum concursu ederentur, modò Smyrnæ, Ephesi, Pergami, Sardibus, Philadelphiæ, prout Occitaniæ Conventus in diversis urbibus alternatim tenentur; iis præsidebat Asiarcha, ut suo loco diximus, & victores civicâ coronabantur, ut ex superstitibus eorum nummis evincitur.

ΚΟΙΝΟΥ ΑΣΙΑΣ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. *Communitatis Asiæ Sardianorum*, in querceâ: ΓΑΙΩ ΚΑΣΣΙΩ ΠΟΛΛΙΩΝΙ ΑΝΘΥΠΑΤΩ. *Caio Cassio Pollioni Proconsuli*, circa ambitum. *Num. Drusi & Germani sedentium.*

ΚΟΙΝΟΥ ΑΣΙΑΣ. *Communitatis Asiæ*, in querceâ: ΕΠΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΚΛΕΩΝΟΣ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. *Sub Alexandro Cleone Sardianorum*, circa ambitum. *Num. eorundem.*

Subintelligitur in nummo vox *Certamina*, à Communitate Asiæ celebrata, nempe Sardibus Lydiæ: Asia enim Proconsularis Ioniam, Phrygiam, Lydiam & Cariam comprehendebat. Marmor apud Sponium Miscell. sect. 10. eadem esse Philadelphiæ etiam edita nos monet: ΚΟΙΝΑ ΑCΙΑC ΕΝ ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑ. Ob Cassii Pollionis nomen tunc Proconsulis dignitate ornati, urbem quotannis ab eo in quâ illa erant celebranda, designari volunt. Quercea corona in nummo, victoris præmium est. Sedent Drusus & Germanicus, tanquam illa spectassent.

ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΑ ΑCΙΑC CΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Prima Communia Asiæ Smyrnæorum*, in querceâ: ΕΠΙ CΤΡ. ΚΛ. ΡΟΥΦΙΝΟΥ CΟΦΙ. *Sub Prætore Claudio Rufino Sophista*, circa ambitum. *Num. Severi inter filios sedentis.*

ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΟΥ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΕΝ ΣΜΥΡΝΗ. *Prima Communitatis Asiæ in Smyrna*, in quercâ: ΕΠΙ ΣΤΡ. Μ. ΑΥΡ. ΠΟΜΠΑΙΟΥ ΠΡΟΚΛΕΙΑΝΟΥ. *Sub Prætoribus Marco Aurelio, Publio Proculeiano*, circa ambitum. *Num. Maximini cum filio sedentis, dextrâ globum gerentis.*

ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ ΕΝ ΣΜΥΡΝΗ. *Prima Communia Asiæ in Smyrna*, in quercâ: ΕΠΙ ΣΤΡ. ΠΟΥ. ΜΕΝΕΚΛΕΟΥΣ. *Sub Prætore Publio Menecle*, circa ambitum. *Num. Gordiani, an sedentis, non notavi.*

ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ ΕΝ ΣΜΥΡ. *Primæ Communia Asiæ in Smyrna*, in quercâ: ΕΠ. ΣΤΡ. Μ. ΑΥΡ. ΣΕΞΤΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Sub Prætore M. Aurelio Sexto Smyrnæorum ter Neocororum*, circa ambitum. *Num. Gallieni.*

Smyrna cùm à Severo, & non à Caracallâ, ut credebamus, Primatum Asiæ, ut Ephesus, impetrasset, etiam certamina ΚΟΙΝΟΥ ΑΣΙΑΣ communibus Asiæ impensis ad Proconsulis libitum in quâdam ejus provinciæ urbe celebranda, ut in solâ suâ civitate ederentur; ab eodem Principe obtinuisse videtur: unde illa deinceps in nummis ΠΡΩΤΑ vocavit, cùm priùs apud se celebrata ΚΟΙΝΟΥ ΑΣΙΑΣ tantùm, ut patet ex Marmoribus, & in aliis urbibus appellarentur.

ΚΟΜΟΔΕΙΑ.

Commodiana de nomine Imp. Commodi, certamina fuisse dicta arguunt nummi veteres; quomodo celebrabantur, pronuntiare difficile est. Lampridius in ejus Vitâ, multùm gladiatorum certaminibus delectatum fuisse refert. *Commodianum etiam P. R. dixit, quo sæpissimè præsente gladiator pugnavit.* Ideò urbes quædam adulatrices certamina, ut Ægæ, Ælia Capitolina, Nicopolis Syriæ, Tarsus & aliæ urbes quæ illius nomen tulerunt, in ejus honorum instituisse videntur. Vide Gruterum pag. 337. & Sponium sect. 368.

ΚΟΜΟΔΕΙΑ in zophoro templi decem columnarum: ΑΜΙΣΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ ΕΤ. ΧΙΘ. *Amisi Liberæ anno* 219. circa ambitum. *Num. Commodi.*

ΚΟΜΟΔΕΙΑ VOX, certamina de Commodi appellatione indicat, quòd templo adscripta sit, illud in ejus Principis honorem ab Amisenis exstructum arguit, in quo Athletæ priusquàm decertaturi libabant; magnificum est, quippe decem columnis

ſuffultum. Lapis Oxonienſis illa Pergami celebrata, & Antium Septimium Athletam illa bis viciſſe memorat.

ΚΟΜΟΔΕΙΑ in areâ templi quatuor columnarum: ΝΙΚΑΙΕΩΝ circa ambitum. *Num. Commodi, ex Gaza Regia.*

Nicææ Bithyniæ templum etiam in Commodi honorem exſtructum, ut & certamina de ejus nomine celebrata, teſtatur hic nummus, & quidem eo vivente; non autem in ejus memoriam à Severo inſtituta, ut quidam exiſtimarunt, cùm illius caput exhibeant nummi, nec ΘΕΟΥ epigraphen inſcribant.

ΚΟΜΟΔΕΙΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Commodiana Nicæenſium.* Vas utrinque anſatum. *Num. Commodi.*

Vas illud, phiala eſt, teſte Euſtathio, *Δύο ἔχων ὦτα, duas habens aures*, ideò frequenter *diotum* vocatur. Pythiorum ludorum præmium, ſeu aureum, ſeu argenteum, ut notat Pindarus Enarr. in Nemeor. Od. 9. unde hæc certamina in Commodi honorem à Nicæenſibus celebrata, & de ejus nomine *Commodiana* ad majorem adulationem nuncupata teſtatur nummus, ut alter ejuſdem Principis, in quo ΙΕΡΟΣ ΑΓΩΝ ΝΙΚΑΙΕΩΝ.

ΚΟΜΟΔΕΙΟΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΣ ΤΑΡΣ. ΜΗΤΡΟΠ. ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΥ. *Commodianus* Ἀγὼν *Oeconomicus Tarſi Metropoleos bis Neocoræ.* Corona ex radiis compoſita. *Num. Commodi.*

Tarſum Ciliciæ Metropolim, ſecundam à Commodo Neocoriam accepiſſe ſuprà diximus; ideò illi templum decem columnarum exſtruxit memor, imò & certamina in illius honorem inſtituit; etſi nomen eorum deſit, corona ex radiis compoſita, Pythia denotat. Commodus autem Apollo vocari gloriabatur, teſtibus nummis APOLLO MONETALIS. Vox ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΣ, Oecumenicum certamen, id eſt, Univerſale, ad quod ex toto terrarum orbe Athletæ reciperentur, ut in noſtro Coloniarum libro jamdudum retulimus.

ΟΛΥΜΠΙΑ.

Olympia fuere certamina ab Hercule in honorem Jovis circa Olympiam Elidis regionis (unde nomen) inſtituta; hæc primitùs circa annum Mundi 2766. ſed renovata denuò 430. annis, poſteà menſe Julio, ſeu plenilunio poſt Solſtitium, celebrabantur, cæſtibus, curſu, ſaltu, diſco & palæſtrâ, muſici & ſcenici ſub

Nerone addito quinto die, huic certamini finis imponebatur, victores oleastro coronabantur, finitis quadrienniis peragi consueverant: unde Quinquennalia dicta.

ΟΛΥΜΠΙΑ ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ ΕΦΕCΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. circa ambitum. Elagabali caput minutum. *Num. Elagabali.*

Ephesii ex plurimis eorum nummis Elagabalo percussis, ipsi plurimùm devoti fuisse videntur, in cujus honorem Olympia certamina etiam celebrarunt, ut ejus effigies, prout in stadio exponebatur, demonstrat, & quidem Oecumenica; nam solita, privata erant, id est, in quibus provinciæ tantùm Athletæ decertare poterant.

ΟΛΥΜΠΙΑ ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Olympia Thessalonicensium Neocororum.* Lebes in quo palmæ ramus. *Num. Gordiani.*

Thessalonicenses Neocori à Gordiano facti, plurima in ejus honorem certamina celebrarunt, Epinicia scilicet & Cabiria, de quibus nos suprà. Hic verò nummus ut & alter Pythia exhibet, ad denotandam suam erga munificum Imperatorem beneficii gratitudinem.

ΙΕΡΕΙΑ ΑΓΩΝ. ΟΛΥΜ. ΕΠ. CΤΡ. . . . . ΑΡΤΕΜΑΓΟΡΟΥ ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. *Sacra, Certamen*, nempe Pythium, *Olympium sub Prætore . . . Artemagoræ Thyatirenorum.* Duo lebetes cum palmis supra mensam. *Num. Alex. Severi.*

Pythium certamen per ΙΕΡΟC ΑΓΩΝ in Nicæensium & Sidetarum nummis exprimitur: in hoc Thyatirenorum solùm ΑΓΩΝ vocatur; sed vox ΙΕΡΕΙΑ supplere videtur, quæ Pythio & Olympico convenit, cùm hoc etiam ex quatuor sacrorum numero habeatur. Duæ urnæ duo certamina denotant; Pythium verò Olympico anteponitur, quòd illud Vere, hoc mediâ Æstate celebrarentur. Ambo in Alex. Severi nummo, quòd eodem anno forsan edita sint, exhibentur.

ΑΚΤΙΑ supra lebetem: ΟΛΥΜΠΙΑ supra sinisteriorem, infrà duæ palmæ: ΕΠ. CΤ. ΙΟΥ. ΜΑΡΚΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. circa ambitum. *Num. Caracallæ.*

Olympia à Pergamenis celebrata fuisse indicat nummus; hi autem Ephesiorum exemplo illa sub eodem Elagabalo peragere voluerunt, quæ ab iis per communionem forsan receperant; in iis autem eâ distinctione, quòd apud Ephesios Oecumenica dicuntur, à Pergamenis tantùm à provinciæ Athletis sunt edita.

Eadem Olympica ſub Valeriano celebrata fuiſſe, teſtantur ejus Principis nummi.

ΟΛΥΜΠΙΑ ΟΙΚΟΥΜ. CIΔH ΝΕΩΚΟΡΟC circa ambitum: in areâ verò caput iterùm Elagabali in coronâ oleaſtri. *Num. Elagabali.*

Side Pamphyliæ urbs, Neocora ab Elagabalo, & non à Valeriano, ut in Neocoris urbibus dixeramus, facta, beneficii memor, Olympia certamina, ab Athletis provinciæ ſolito more edenda, Oecumenica in ejus honorem celebravit, ut teſtatur ejus imago in coronâ oleaſtri, quæ in ſtadio exponebatur, quaſi ipſe præſens eſſet, & coronas ex oleaſtro certaminum præmia diſtribueret.

CEYHPEIA ΟΛΥΜΠΙΑ ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ ΟΡΟΙC ΚΙΛΙΚΩΝ ΕΝ ΚΟΔΡΙΓΑΙC ΑΔΡ. & ΤΑΡCΟΥ. *Severiana Olympia Victricia in finibus Cilicum in quadrigis Hadr. & Tarſi.* Urna prægrandis. *Num. Sept. Severi.*

Tarſus cùm prima contra Peſcennium acclamaſſet, adeò beneficiis ab illo cumulata, non modò ſe Severianam appellavit, ſed Olympia certamina de ejus nomine Severiana vocavit; & quaſi eſſet alter Alexander qui Darium vicerat, locum eundem ubi Peſcennium fugavit, exprimere voluit, ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ ΟΡΟΙC ΚΙΛΙΚΩΝ, *Victricia in finibus Cilicum.* Sed cur vox *in quadrigis* addita eſt, an non indicaret Severum ipſum quadrigis victorem evaſiſſe, ut Philippus in iiſdem ludis victor refertur apud Diodorum Siculum & Plutarchum, & ſic alluderet Philippi & Alexandri victoriis ſimiliter à Severo relatis.

ΠΥΘΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ ΕΠ. ΓΡ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΚΕΝΤΟ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. Duæ coronæ ſupra menſam pro victoribus. *Num. Tranquillinæ.*

Tralliani beneficiis Gordiani devicti, ut ſuprà diximus, nummos Tranquillinæ ejus uxori dicarunt; in hoc Olympia cum Pythiis certamina in eorum honorem ſe edidiſſe demonſtrant. Pythia Olympiis anteponuntur, quòd illa Vere, & hæc mediâ tantùm Æſtate ederentur. Coronæ ſupra menſam exhibentur; ſiniſterior ex oleaſtro eſt, Olympiorum præmium; dexterior, laurea eſſe deberet, ab Apolline victoribus conceſſa, niſi ſit ut in Sidetis.

ΛΗΤΩΕΙΑ.

Latonia, an ſint certamina, vel Pythia vocata Latonia. Pindarus Nem. Od. 9. ait, *μητέρι καὶ διδύμοις, matri & gemellis.*

Pindari

Pindari Enarrator Latonam matrem, geminosque ejus filios Apollinem & Dianam, Pythiorum ludorum pari jure & sorte esse Præsides refert: ideò ad hæc Pindari verba innuere voluisse illum non Apollini tantùm, sed & Dianæ matrique Latonæ consecrata fuisse Pythia commemorat. Una tantum corona in nummo, & quidem ex lauro composita, Latonia eadem esse quæ Pythya, demonstrare videtur: porrò sunt qui diversa esse existimant.

ΛΗΤΩΙΑ ΠΥΘΙΑ. *Latonia Pythia*, in laureâ: ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ, *Tripolitarum*, circa ambitum. *Num. Gallieni.*

Tripolitæ qui nummum cuderunt, Cariæ sunt ad Mæandrum; hos Latonam Cæi filiam coluisse indicat alter nummus apud Tristanum lib. 1. pag. 226. ΛΗΤΩ ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ, *Latona Tripolitarum*, cum ipsius figurâ sedente: at cùm Pythia certamina in urbe celebrarentur, ipsa ob suum erga Latonam cultum Latonia Pythia vocarunt, quod asserit, ut ex Pindaro vidimus, matri Latonæ & gemellis Apollini & Dianæ filiis consecrata: unde Διδυμοτόκος cognominata, hoc est, *Gemellipara.*

ΠΡΩΤΑ.

ΘΕΥΗΡΙΑ ΠΡΩΤΑ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. *Severiana Prima Perinthiorum.* Urna ludorum supra mensam, in quâ palmæ ramus. *Num. Severi.*

Perinthum inter alia à Severo privilegia, ut Prima provinciæ certamina ederet, obtinuisse hic nummus arguit, quasi illius Primatûs, ut inter Asiæ civitates Ephesus, Smyrna & Pergamus, dignitatem sibi vindicant; sicque Smyrna illa certamina vocavit ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΑ ΑCΙΑC: sed Perinthii suo de nomine munifici Principis *Severiana* appellarunt.

ΠΡΩΤΑ ΠΑΜΦΥΛΩΝ circa ambitum, CIΔΗΤΩΝ sub mensâ, supra quam urna in quâ duo palmæ rami. *Num. Gallieni.*

Sidetæ pariter à Gallieno obtinuisse videntur ut Prima Pamphyliæ certamina ederent, quasi provinciæ Primatum haberent, quod apertè ΠΡΩΤΑ ΠΑΜΦΥΛΩΝ, *Prima Pamphyliorum*, epigraphe arguit: illa verò diversa sunt à Pythiis & Olympicis, quæ celeberrima apud Siden agitari solebant, nec ulla eorum symbola præferunt, sed qualia fuere non liquet.

ΠΥΘΙΑ.

Pythia, erant certamina in Apollinis honorem ob cædem Pythonis instituta, quæ finitis quadrienniis peragi consueverant, ideò Pentaeterica dicta, non procul à Vere edebantur; in iis agones Poëtici, Musici, citharœdarum ac tibicinum, seriùs hymnici & equestres inducti, ut & scenici. Victores dicti Hieronicæ lauro coronabantur, additis pomis ex Apollinis templo desumptis; præmium etiam phialæ argenteæ & aureæ, ideò frequenter sunt in nummis Pythia commemorantibus cum pomis.

ΑΣΚΛΗΠΙΑ ΣΩΤΗΡΕΙΑ ΙΣΘ. ΠΥΘΙΑ. in areâ templi duarum columnarum, ΜΗΤΡ. ΑΝΚΥΡΑΣ. circa ambitum. *Num. Caracallæ.*

Inter plurima certamina Ancyræ celebrata, nummus Pythia in hac urbe esse edita nos edocet. Templum duarum columnarum, Æsculapii est, in quo ante eorum celebrationem sacra fiebant, cum illa festis in ejus Dei honorem institutis ab Isthmiis incipientibus, deinde Asclepiis, denique Pythia Vere agitarentur. Vide quæ in Asclepiis & Isthmiis fusè diximus.

ΠΥΘΙΑ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Urna in quâ palmæ ramus. *Num. Gordiani Pii.*

Pythia certamina Thessalonicæ aliquando instituta, & sub Gordiano Pio, uti ΕΠΙΝΙΚΙΑ, ΚΑΒΕΙΡΙΑ & ΟΛΥΜΠΙΑ anteà vidimus, fuisse celebrata, luculenti nobis testes sunt nummi ejus Imperatoris superstites: nihil mirum si tot certamina in illius honorem ediderint, cùm munificus Princeps de Thessalonicensibus benemeritus illis Neocoriam concesserit, & ejus majestatis devoti, tot illi nummos percusserint.

ΠΥΘΙΑ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Templum quatuor columnarum à latere. *Num. ejusdem Gordiani.*

Templum in nummo hujus Imperatoris, in illius honorem non exstructum, sed Apollinis est, in quo sacra pro Pythiorum celebratione ab Athletis facta sunt; id confirmat eorum ludorum circa ambitum epigraphe & vox ΠΥΘΙΑ: quantùm inde nummis Architectura debet, qui tot templorum prospectus ejus scientiæ cultoribus exhibent, eosque varios pro variis Deorum rationibus; de quibus vide Vitruvium lib. 1. cap. 2.

ΠΥΘΙΑ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Tripus supra quem mensa ad ludos exposita. *Num. ejusdem Principis.*

Etiamsi vox ΠΥΘΙΑ, certamina illa Thessalonicæ edita non indicaret, tripus Apollini sacer ceu solenne ejus symbolum satis argueret: eo dicatus autem erat Deo propter numeri ternarii perfectionem, vel propter tres cæli circulos, quorum unum secat Sol, omnem cursum perficiens, sed præcipuè in nummo Pythia indicante certamina signatur, quòd illius Hieronicis seu Victoribus pro præmio in iis concedi soleret, ut Pindarus & Horatius ostendunt.

ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ Β. *Thessalonicensium Actia Pythia bis.* Cabirus humero malleum, porrigit coronam Athletæ nudo, sinistrâ submissâ ramum, arâ intermediâ, & urnâ in qua palma. *Num. Philippi Senioris.*

Si duæ urnæ duo indicant certamina, cur tantùm una pro Actio certamine & Pythio in hoc nummo apponitur, cùm in Perinthiis Caracallæ suprà duæ urnæ pro his duobus agonibus, ut solitum est, exhibentur: sed cùm Actii & Pythii hoc anno eâdem anni tempestate occurrerent, & eodem Deo sacri essent, quasi unus alterius esset quædam continuatio, urna tantùm ad duos exprimendos signata est. Cabirus Athletam coronans, hæc certamina Cabiricis festis in hac urbe solenniter celebratis fuisse edita demonstrat.

ΠΥΘΙΑ ΚΟΙΝΟΝ ΘΡΑΚΩΝ. *Pythia Commune Thracum.* Athleta nudus, dextrâ palmæ ramum, pro pedibus vas ansatum. *Num. Caracallæ.*

Pythia à Communi Thraciæ celebrata indicat nummus; sed cùm desit urbis nummus, plurimi alii ejus Imperatoris illa Philippopoli totius provinciæ Metropoli edita fuisse nos admonent, de quibus infrà in illâ urbe sumus dicturi. Vas diotum, eorum certaminum præmium fuisse sæpè retulimus, quod erat aliquando aureum, sed sæpiùs argenteum, ut apud Pindarum & ejus Enarratores colligere potes.

ΠΥΘΙΑ ΕΠΙ ΣΤΡ. ΚΛ. ΣΤΡΑΤΟΝΕΙΚΙΑΝΟΥ ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. *Pythia sub Prætore Claudio Stratoniciano Thyatirenorum.* Imperator paludatus dextram jungit cum Amazone supra aram ignitam, hæc bipennem gerit: in vertice nummi urna. *Num. Caracallæ.*

Thyatiræ certamina Pythia præsente Caracallâ celebrata fuisse, indicare videtur nummus: Imperator enim dextram urbis Genio sub Amazonis effigie ad felicem suum in civitatem

adventum denotandum porrigit. Amazon Pelopeia apud Stephanum, si conjecturæ locus, appellabatur.

ΠΥΘΙΑ in coronâ ex lauro compositâ: ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ circa ambitum. *Num. Elagabali.*

Hierapolitæ in Phrygiâ sub Elagabalo Pythia certamina edidisse commemorat eorum nummus in honorem hujus Principis percussus: in eo lauream victorum præmium exhibent; alii verò nummi urnam seu lebetem, solenne certaminum symbolum, repræsentant.

ΛΗΤΩΙΑ ΠΥΘΙΑ. *Latonia Pythia* in laureâ: ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Tripolitarum Cariæ*, circa ambitum. *Num. Gallieni.*

Vide quæ suprà diximus ad Latonia certamina.

ΠΑΝΙΩΝΙΑ ΠΥΘΙΑ ΜΙΛΗCΙΩΝ. *Panionia Pythia Milesiorum.* Urna mensæ imposita, sub eâ duæ palmæ. *Num. Saloninæ.*

Apollinem cognomine Didymæum summâ veneratione coli etsi nemo nesciat, certamina in ejus honorem celebrari solus indicat hic nummus, & quidem communibus Ioniæ impensis, ut vox ΠΑΝΙΩΝΙΑ nos edocet. Vide Strabonem de templo Apollinis in hac urbe, & celeberrima illius Dei oracula ex aliis disce Scriptoribus.

ICΘM. ΠΥΘ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Isthmia Pythia Nicæensium.* Mensa supra quam tres urnæ: in mediâ duæ palmæ. *Num. Valeriani.*

Ut urnas, tot certamina in nummis denotare sæpè diximus, at in hoc Valeriani nummo duo tantùm certamina scripta sunt, & tres urnæ exhibentur, sed tertium in honorem Valeriani, Gallieni & Valeriani Minoris sub ΜΕΓΙCΤΩΝ ΑΡΙCΤΩΝ, *Maximorum Optimorum*, nomine à Nicæensibus editum honoris causâ per urnam tantùm indicatur, sæpè certaminum nomina in nummis non apponuntur, sed sequens nummus apertè id demonstrabit.

ΑΥΤ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC ΓΑΛΛΙΗΝΟC ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC ΚΑΙCΑΡ CΕΒΒΒ. Capita Valeriani patris, Gallieni, & Valeriani Junioris.

ΜΕΓΙCΤΩΝ ΑΡΙCΤΩΝ, subaud. *Certamen*, ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Tres urnæ cum palmâ in quâlibet.

Urbes de nomine Imperatoris certamina in illius honorem instituta, & ipsi Nicæenses de Commodi appellatione, ΚΟΜΟΔΕΙΑ vocarunt; sed ut patris & filiorum appellatione non confunderent, agonem ab iis pro Valeriano, Gallieno, & Vale-

riano Juniore decretum, *Maximorum Optimorum* nominarunt, quem in hoc nummo cum Isthmiis & Pythiis copularunt; unde tres urnæ, non quòd sint tres Imperatores, ut nummus superior arguit.

ΙΕΡΟC ΑΓΩΝ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Sacrum Certamen Nicæensium.* Urna in quâ palmæ ramus. *Num. Commodi.*

Al. Athleta nudus dextrâ coronam sibi imponit, sinistrâ palmam. *Num. ejusdem.*

Etiamsi certamina quatuor *Sacra* dicerentur, usus tamen in nummis invaluit ut κατ' ἐξοχὴν Pythium, ΙΕΡΟC ΑΓΩΝ inscriberetur, ut infrà in Pergensium & Sidetarum Pamphyliæ nummis ampliùs observare est. De urnâ ludorum symbolo, & de Athletâ certaminis victore, passim actum est.

ΠΥΘΙΑ supra urnam mensæ impositam: ΠΕΡΓΑΙΩΝ ΑCΥΛΟΥ ΙΕΡΟC, *Pergensium Inviolabilis Sacrum*, circa ambitum. *Num. Gallieni cum Salonina.*

Pergenses Pamphyliæ in Gallieni & Saloninæ ejus uxoris honorem Pythia certamina se celebrasse per nummos abundè testantur. ΙΕΡΟC per excellentiam illud appellant, licèt quatuor celeberrima certamina sint Sacra appellata, de quibus Archias:

Τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἐν Ἑλλάδι τέσσαρες ἱεροί.

Olympia, Pythia, Nemea & Isthmia hîc institutionis, & non celebrationis, ordine scripta sunt.

ΠΥΘΙΑ in sinisteriore urnâ, ΟΛΥΜΠΙΑ verò in dexteriore supra mensam impositis: ΕΠΙ CΤΡ. ΙΟΥ. ΜΑΡΚΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΤΡΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ, circa ambitum. *Num. Caracallæ.*

Pergameni Pythia & Olympia certamina sub Caracallâ se celebrasse per nummos indicant; sed cur in hoc Olympia in dexteriore parte, & sic Pythiis anteponuntur, cùm hæc Vere, illa autem Æstate ederentur: at cùm nihil sine causâ in nummis signatur, an quòd Olympia, finitis jam Pythiis, priùs sub Caracallâ agitata sint, cùm ille hoc tempore aut Cæsar vel Augustus renuntiatus esset.

ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Duæ urnæ supra mensam, in quâlibet palmæ ramus: infrà vas & poma. *Num. Severi.*

Perinthii beneficiorum à Severo acceptorum memores, plurimos ei nummos cuderunt; in hoc Actiorum & Pythiorum

celebrationem ab iis editorum renovant. Vas diotum & poma, ſunt eorum præmia: urnæ duæ utrumque indicant.

Al. Duo templa quatuor columnarum à latere, deſuper duæ urnæ, in quâlibet palmæ ramus. *Num. Caracallæ.*

Eorum ludorum memoriam in Caracallæ nummis celebrant Perinthii. Duo templa, unum Severo, alterum fratribus Caracallæ & Getæ tribuunt, cùm illi Byzantiorum jura à Principe munifico accepiſſent.

ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Menſa ſupra quam urnæ duæ cum palmâ in quâlibet, infrà vas & poma. *Num. Sep. Getæ.*

Tria videntur diverſa certamina, nempe Actia, Pythia, & Philadelphia; ſed cùm duæ tantùm ſint urnæ, duo tantùm denotant, nempe Actia & Pythia, à Perinthiis pluries celebrata: ſed cùm ſingulari cultu Caracallam & Getam benefactoris ſui Principis filios proſequerentur, illa in eorum honorem celebrarunt, & ideò Philadelphia nuncuparunt.

ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Duo templa quatuor columnarum, & duæ urnæ cum palmis. *Num. Elagabali.*

Elagabalus qui Caracallæ filius credi ambiebat, Perinthios bis Neocoros pronuntiavit, ideò illi nummos frequenter percuſſerunt: hic Actiorum & Pythiorum certaminum ſub ejus Imperio celebratorum memoriam exhibet; Actia verò præponuntur Pythiis, cùm ante illa peragi conſueverant, & quidem ſæpè conjunguntur, quandoquidem ea erant quaſi aliorum continuatio.

ΑΚΤΙΑ hinc in aream, ΠΥΘΙΑ illinc, ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ in ambitu. Mulier ſtolata ſtans, dextrâ templum, ſiniſtrâ cornucopiæ, in apice alterum templum; hinc pro pedibus urna, inde altera pomis referta. *Num. Alex. Severi.*

En Actiorum & Pythiorum etiam certaminum ſub Alex. Severo celebratorum recordatio; prior urna præmium denotat; poma in poſteriore, Pythia declarant. Duo illa templa, ut in Elagabali nummo, ad Severum & ejus filios ſpectant, ut ſuprà diximus, cùm Elagabalus & Alexander ab iis originem trahere gloriabantur. Patris fanum ſuſtinet Concordia, inter parentes ſemper optanda.

ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΣ ΣΙΔΗΤΩΝ. *Universale Sidetarum.* Apollo tunicatus ſtans, dextrâ demiſsâ laurum, ſiniſtrâ lyram; ante eum urna tripodi impoſita, in quâ lauri ramus. *Num. Tranquillinæ.*

Certamen illud haud dubiè Pythium indicatur, quod ſatis Apollo cui dicatus erat, laurus, ut & tripus huic Deo ſacræ arguunt. Univerſale dicitur, quòd in eo Athletæ ex toto terrarum orbe admitterentur.

ΙΕΡΟΣ ΠΥΘΙΟΣ ΜΥΣΤΙΚΟΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΣ. *Sacrum Pythium Myſticum Univerſale.* Menſa cum duabus urnis, ſuper quas ſcriptum legitur ΣΙΔΗΣ ΝΕΩΚΟΡΟΥ. *Num. Valeriani.*

Pythium certamen non modò Sacrum & Univerſale in nummo dicitur, de quo nos aliàs, ſed Myſticum, cùm myſtica quædam ſacrificia ante ejus celebrationem peragerentur, καὶ πάσας μυστικὰς θυσίας, inquit Strabo lib. 14. Duæ urnæ duplicia Pythia indicant, nempe Oecumenica indigetis communicata, quaſi diceres majora & privata, ſeu Municipalia, inter Provinciales.

ΠΥΘΙΑ ſupra urnam, in quâ duo palmæ rami: ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ circa ambitum. *Caracallæ, Elagabali.*

Philippopolis Thraciæ cùm à Sept. Severo Metropolis dignitatem obtinuiſſet, ut conjicere licet, nil mirum ſi non modò Caracallæ ejus filio totius provinciæ impenſis Pythia certamina, ut infrà videbimus, celebravit, ſed & Elagabalo Imperatori, qui ejus nomine aſſumpto filius ipſius exiſtimari volebat, quorum memoriam in illius nummis conſignare voluerit.

ΚΟΙΝΟΝ ΘΡΑΚΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙ. *Commune Thracum Alexandria Pythia in Philippopoli.* Jupiter ſedet, dextrâ victoriam coronam gerentem, ſ. haſtam. *Num. Caracallæ.*

Al. Imperator paludatus ſtans, dextrâ globum ſupra quem victoria, ſiniſtrâ haſtam. *Num. ejuſdem Principis.*

Al. Athleta nudus ſtans, d. coronam, ſ. palmam. *Num. ejuſdem.*

ΠΥΘΙΑ. Urna in quâ duo palmæ rami inſcripta ſupra menſam, infrà vas & poma. ΚΟΙΝΟΝ ΘΡΑΚΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ ΕΝ ΦΙ. *Commune Thracum Alexandria in Philippopoli. Num. ejuſdem*

Hi omnes nummi ad Pythia certamina ſpectant à Communi Thraciæ in urbe Philippopoli provinciæ Metropoli à Severo facta, in Caracallæ ejus filii, qui Philippopolitas Neocoros pronuntiarat, ut ſuprà diximus, gratiam celebrata: hi verò tot

beneficiorum memores, Alexandria à se in Alexandri Magni honorem edita, cum Pythiis conjunxerunt, cùm Caracalla ejus Herois esset amantissimus; itaque illa Alexandria Pythia appellavere.

ΚΕΝΔΡΕΙCΕΙΑ ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙ ΝΕΩΚΟΡΩ. Templum octo columnarum. *Num. Elagabali*, ad quem pertinet idem à nobis per transennam M. Aurelio datus.

Al. Mensa supra quam urna ludorum, infrà vas in quo duo palmæ rami. *Num. ejusdem Elagabali.*

Pythia in superiore nummo cum Alexandriis certaminibus conjuncta, vel juxta quorumdam mentem in Caracallæ Alexandri M. studiosi gratiam sic vocata, in hoc ipsa Pythia ΚΕΝΔΡΕΙCΕΙΑ, *Cendrisia*, quæ Cendris vel Cendrisius instituit vel restauravit, juxta alios appellantur, ut ΕΦΕCΙΑ, *Ephesia Barbillea* à Barbillo quodam Astrologo sub Vespasiano vocata.

ΚΕΝΔΡΕΙCΕΙΑ, non unâ voce juxta eruditum Scriptorem exprimuntur, sed in tres distrahuntur, nempe ΚΕΝ. hoc est, Κένζῳ vel Κεντύρων, ΔΡ. hoc est, Δρόμῳ vel Δρομέων, ΕΙCΕΙΑ, pro ΙCΕΙΑ, *Isia*, in nummis Gazensium, pro ΙΩ est. Decursione equestri, pedestrique cursu sive Aurigarum Cursorumque certamina, edita Philippopoli in honorem Isidis & Apollinis Pythii. Eligant vel dijudicent rei antiquariæ periti.

ΣΕΒΑΣΜΙΑ.

Plurima fuere in Augusti honorem in diversis locis institùta certamina, si quidem Suetonius in ejus Vitâ: *Provinciarum pleræque super templa & aras, ludos quoque quinquennales penè oppidatim constituerunt.* Forsan ad imitationem eorum quæ ad Actium decreverat, hæc Græci ΑΥΤΟΚΤΙΑ, ΣΕΒΑCΜΙΑ, ΣΕΒΑCΤΑ, ΚΑΙCΑΡΕΙΑ instituerunt. In duobus autem illis prioribus agonibus eandem ex quercu compositam reperimus pro præmio coronam, in posterioribus urna tantùm exhibetur; unde illa diversa fuisse suspicamur.

ΣΕΒΑCΜΙΑ. *Augustalia*, in coronâ querceâ: ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ ΜΗΤ. ΚΑΙ ΕΝΔΟΞΟΥ circa ambitum. *Num. Maximi Cæs.*

ΣΕΒΑCΜΙΑ eadem videntur quæ ΑΥΤΟΚΤΕΙΑ certamina in Augusti honorem in diversis urbibus instituta, si quidem amborum ex quercu composita est corona: an verò Pentaeterica ut Cæsarea

Cæsarea Palæstinæ. Anazarbus ab Augusto beneficia acceperat, unde Diocæsarea teste Suida, antequàm terræmotu diruta fuisset, vocabatur: quare ab hoc tempore certamina Augustalia memor instituit.

CEBACMIA. *Augustalia*, in querceâ coronâ: ΔΑΜΑCΚΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC circa ambitum. *Num. Elagabali*, *Alex. Severi.*

In nostro de Coloniis libro CEBACMIA certamina à Nicolao Damasceno in Augusti honorem instituta retulimus, cùm urbs ejus interventu Metropoleos Cœlesyriæ dignitatem accepisset. Quercea verò victori pro præmio in memoriam coronæ quam ob cives servatos à Senatu receperat Augustus, concessa est. Damascus tandem sub Philippo Imperatore Colonia Romana deducta est.

ΣΕΥΗΡΙΑ.

Severiana fuere certamina in Septimii Severi Imperatoris honorem in variis urbibus instituta, quæ ad Commodi exemplum in nummis signari cœperunt, ut ΚΟΜΟΔΕΙΑ: antè enim hunc Principem, etsi Marmora Trajanalia, & Hadrianalia, & Eusebea nos docet, tamen in nummis Augustalia, quasi præ honore, cum Deorum agonibus tantùm occurrunt. Vox etiam CEYHPIA additur eorum certaminibus in Severi honorem celebratis, ut suprà ΟΛΥΜΠΙΑ vocata vidimus.

CEOYHPEIA NIKAIEΩN. *Severiana Nicæensium.* Imperator togatus st. dextrâ pateram, sinistrâ scipionem eburneum. *Num. Severi.*

Nicæenses aliquod beneficium à Severo accepisse videntur, cujus memores, certamina in ejus honorem instituerunt, quod eorum nummi superstites nos edocent. Figura Imperatoris statuam à Nicæensibus huic Principi erectam indicat. Patera quam dextrâ tenet, sacra ante certaminum celebrationem pro Severi salute facta denotat.

CEYHPEIA ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ NIKAIEΩN. *Severiana Philadelphia Nicæensium.* Mensa supra quam duæ urnæ cum palmis, infrà vas. *Num. Sept. Getæ.*

Postquàm Severo patri Nicæenses Severiana certamina decrevissent, ut benevolentiam ejus majorem adhuc sibi conciliarent, novum quidem in illius filiorum Caracallæ & Getæ gratiam agonem instituerunt, quem ad testandam eorum inter fratres concordiam ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ nominarunt; utriusque verò

& Severiani & Philadelphii certaminis memoriam per duas illas ludorum urnas in nummis consecrarunt.

ΑΥΓΟΥΣΤΙΑ CETHPIA NIKAIEΩN. *Augustalia Severiana Nicæensium.* Duæ urnæ, in qualibet palmæ ramus. *Num. Philippi patris.*

Nicæenses Severiani certaminis in Severi honorem à se instituti memoriam sub Philippo Imperatore per nummos revocant, quod sub ejus Principis imperio ut Augustale celebrarunt, ut duæ ludorum urnæ in iis repræsentatæ demonstrant: forsan hæc certamina eodem anno edita fuerunt, cur simul ea exhibuerunt; Augustalia jure & merito Severianis anteponuntur, quòd illa essent longè vetustiora, & fortè priùs agitarentur.

CETHPEIA MEΓAΛA NIKOMHΔEΩN ΔIC NEΩKOPΩN. *Severiana Magna Nicomediensium bis Neocororum.* Duæ urnæ cum palmis supra mensam. *Num. Sept. Severi.*

Nicomedienses cùm essent Bithyniæ provinciæ Metropolitæ, ut Nicæenses Severiana certamina instituerant; Magna quidem nomine appellarunt, quæ majori pompâ edebantur; vel Parva autem quotannis, Eleusiniorum exemplo, & Magna quinquennio: magna enim parva supponunt, quod confirmare videntur duæ ludorum urnæ duo certamina arguentes.

CETHPIA ΠPΩTA ΠEPINΘIΩN. *Severiana Prima Perinthiorum.* Urna supra mensam, in quâ palmæ ramus. *Num. Severi.*

Perinthii beneficiorum à Severo acceptorum, qui illis Byzantinorum jura adjudicaverat, memores, templum erexere, & certamina instituêre: at cùm subjecti essent Perinthiis Byzantini, & hi in urbe eorum disceptarent, illi Primatum habentes, ut jam diximus in Urbibus Primatu gaudentibus, Severiana ideò certamina vocaverunt ΠΡΩΤΑ.

ΦIΛAΔEΛΦEIA.

Philadelphia vocata sunt certamina, in Caracallæ & Getæ Severi filiorum gratiam, ad excitandam raram inter fratres concordiam, à quibusdam urbibus instituta: hæ autem cùm patris beneficiis adstrictæ essent, illum his blanditiis demereri conatæ sunt, & quò plùs Severus filiis illam inter se concordiam prædicabat, Caracalla odio plùs Getam prosequebatur, ita ut patre mortuo in matris gremio illum interfecerit. Vox autem ΦIΛAΔEΛΦEIA non

pro ludis propriè Philadelphiis, ſed quòd Deorum certamina in fratrum Caracallæ & Getæ honorem edita ſint, ut ſuprà de Severianis diximus.

ΑΥΓΟΥCΤΙΑ ΚΑΙ ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Auguſtalia & Philadelphia Nicæenſium.* Capita Caracallæ laureati & Getæ nudi. *Num. Jul. Domnæ.*

Nicæenſes, ut ſuum Severo cui certamina Severiana ediderant, obſequium teſtarentur, alterum in ejus filiorum Caracallæ & Getæ honorem inſtituêre, cujus memoriam in nummis eorum matris, poſteris relinquere æternam voluerunt: nec in re nummariâ tyro quidam Auguſtalia certamina ad Philadelphia hîc ſpectare exiſtimet, duo ſunt diverſa; Caracalla autem laureatus, Geta verò ut Cæſar, & non Auguſtus, exhibetur.

CETHPEIA ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Severiana Philadelphia Nicæenſium.* Menſa ſupra quam duæ urnæ, infrà vas. *Num. Sept. Getæ.*

In ſuperiore nummo Nicæenſes Auguſtalia certamina in Auguſti honorem, & Philadelphia in Caracallæ & Getæ fratrum gratiam à ſe inſtituta exhibuerunt, forſan cùm hoc anno edita ſint: in hoc autem Severiana in Severi eorum patris gratiam cum Philadelphiis repræſentant, ut illæ duæ urnæ ſupra menſam cum palmis impoſitæ demonſtrant, ad nobis indicandum quòd illa in altero anno agitanda occurrerunt.

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Philadelphia Perinthiorum Neocororum.* Hercules nudus ſtans, dextrâ clavam, ſiniſtrâ ſpolia leonis: ex adverſo Salus & arbor, cui ſerpens involutus. *Num. Severi.*

Perinthii ſingulari ita ſtudio Severum ob tot ab eo accepta beneficia proſequebantur, ut non modò certamina in ejus honorem Severiana de ejus nomine appellarint, ſed in filiorum gratiam etiam inſtituerint, quæ cùm de eorum appellationibus cognominare non poſſent, Philadelphia, quaſi fratres ſe mutuò amarent, licèt Getam oderet Caracalla, nominavere. Hercules & Hygia tutelaria ſunt urbis numina.

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ ΠΥΘΙΑ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Philadelphia Pythia Perinthiorum Neocororum.* Urna ſupra menſam. *Num. Severi.*

Philadelphia vox, non in hoc nummo pro ludis Philadel-

phiis assumitur, sed Pythia in Caracallæ & Getæ fratrum honorem celebrata denotat: unde dicta Philadelphia Pythia, quod urna sola pro Pythiis celebratis demonstrat; nam si duo distincti & diversi agones hoc anno editi fuerint, duæ adessent proculdubiò urnæ, quod nummus sequens confirmat.

ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Actia Pythia Philadelphia Perinthiorum Neocororum.* Duo templa quatuor columnarum, supra quæ duæ urnæ cum palmis.

Vidimus in Perinthiorum nummis Actiorum certaminum memoriam, observavimus etiam Pythiorum celebrationem, & in Caracalla utraque exponuntur, quòd eodem anno occurrissent: in hoc autem Severiano simul iterùm exhibentur, ut pariter in utroque duæ urnæ pro iis editis appositæ arguunt; sed cùm ambo in fratrum Caracallæ & Getæ honorem agitata fuerant, Philadelphia honoris causâ nominantur. Duo templa, unum Severo, alterum Caracallæ & Getæ fratribus, erecta.

ΕΠΙ ΕΠΙΓΕΝΟΥΣ ΑΡΧ. ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. *Sub Epigene Archonte Sardianorum bis Neocororum Philadelphia.* sic legendum. Mulier stans, dextrâ extensâ inter Caracallam & Getam paludatos. *Num. Severi.*

Sardiani cùm fuissent Severi munificentiâ Neocori iterùm facti, in ipsius filiorum gratiam certamina etiam Philadelphia ad instar Nicæensium & Perinthiorum instituerunt, eorumque celebrationis sub Epigene Archonte in nummis memoriam consignarunt. Mulier inter Caracallam & Getam media, est Concordia, fratres tanquam ubique comitata.

ΧΡΥΣΑΝΘΕΙΝΑ.

Chrysanthina fuere certamina Sardibus Lydiæ ex nummis & marmoribus celebrata, sic appellata, quod è floribus aureis coronæ præmii loco victoribus concederentur; à Martiano Jurisconsulto quinquennalia fuisse docemur L. 24. *de annuis Legatis.* Quidam enim certam Reipublicæ Sardianorum per quatriennium certaminis Chrysanthini reliquit, quod de quatriennis peractis ut in Pythiis intelligendum.

ΕΠΙ ΑΝ. ΡΟΥΦΟΥ ΑΡΧ. Α. ΤΟ Γ. *Sub Annio Rufo Archonte primo tertiùm*, ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΧΡΥΣΑΝΘΕΙΝΑ. in corona è floribus aureis contexta. *Num. Domnæ, Alex. Severi.*

Al. Mensa supra quam ingens urna, in eâ verò palma. *Num. ejusdem.*

Duo illi nummi Chrysanthina certamina Sardibus edita fuisse demonstrant sub Severo, cujus memoriam in illis quos Juliæ ejus uxori dedicarunt Sardiani, consignare voluerunt; prior coronam ex aureis floribus contextam exhibet; alter urnam, seu lebetem, seu cistam, in quâ palmæ rami pro victoribus sub mensâ exponebantur.

ΧΡΥCΑΝΘΕΙΝΑ, in imo CΑΡΔΙΑΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Mulier turrita stans, & Caracalla paludatus, arâ intermediâ. *Num. Caracallæ.*

Sardis per Genium ante aram cum Caracallâ, se sacra in illius Principis felicem adventum feciisse, & mox Chrysanthina certamina in illius gratiam celebrasse denotat; cùm enim Severus pater ejus secundam Sardianis Neocoriam concesserat, ii Caracallæ plurimùm devoti erant.

ΧΡΥCΑΝΘΙΝΑ supra urnam ludorum prægrandem. ΕΠΙ CΟΥΛ. ΕΡΜΟΦΙΛΟΥ ΑΡΧ. Α. CΑΡΔΙΑΝΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. circa ambitum. *Num. Tranquillinæ.*

Cùm Gordianus Pius tertiam Sardianis Neocoriam concessisset, ipsi & Tranquillinæ ejus uxori plurimos nummos percussérunt. Hic nobis ludorum Chrysanthinorum apud illos sub iis celebratorum memoriam renovat. Urna seu cista non pro præmio, cùm corona Chrysanthina eorum esset, sed tanquam omnium certaminum solenne symbolum.

ΕΠ. ΑΥΡ. ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΥ ΑΡΧ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΧΡΥCΑΝΘΙΝΑ. *Sub Aurelio Claudiano Archonte Sardianorum ter Neocororum. Chrysanthina.* Urna cum duabus palmis. *Num. Otaciliæ Sev.*

Illustria videntur fuisse Sardibus Chrysanthina certamina, cùm tot nummi eorum celebrationem sub plurimis Imperatoribus & quidem Principibus fœminis exhibeant. Si tot palmæ rami in urnis appositi victorum præmia denotent, in Chrysanthino agone ille Otaciliæ nummus duo fuisse nos edocet.

URBIUM FLUVII.

FLUVIORUM ſimulacra in nummis cùm nomine vel ſine appellatione viſuntur; de illis tantùm nobis erit ſermo, cùm hos certò deſignare non ſit facile. Fluvii ſub muliebri vel virili ſchemate ſemper decumbentes, quos vidimus, occurrunt: alii in alios influunt, vel in mare ſe præcipitant; illi primi in alium influentes, plurimùm ſub muliebri ſchemate depinguntur; hi verò aliquando barbati, modò imberbes, qui ſine barbâ ſunt, tanquam ad commercia parùm idonei & navigabiles, aut qui cùm alium receperint, in alterum ſe exonerant, adde quòd ſub Principibus imberbibus ſignantur. Alii barbati, vel quòd magni ſint, vel quòd ſub Imperatoribus barbam nutrientibus, repræſentantur. Populi enim Auguſtorum exemplum in Fluviorum à ſe pro numinibus cultorum ſimulacris depingendis ſequebantur, ut infrà obſervare liquet.

ΒΙΛΛΑΙΟΣ.

ΒΙΛΛΑΙΟC CAPΔΩ TIANΩN. *Billæus Sardo Tianorum.* Bacchus ſupra cippum inter duos Fluvios, quorum alter virilis, ſed imberbis, cum arundine; alter muliebri formâ cum cornucopiæ. *Num. Antonini Pii.*

Billæus Bithyniæ fluvius eſt, parùm navigabilis, ideò imberbis depingitur: ejus meminit Plinius lib. 6. cap. 1. Strabo inquit, *In Elaitide torrens pænè amnem æquans monſtratur, nomine* Κίπον. Ad montis cujuſdam illius provinciæ radicem oritur, non autem in Phrygiâ, ut quidam eruere volunt ex verbis Apollonii Rhodii Enarratoris ad lib. 11. Ἐστι δὲ ποταμὸς Παφλαγονίας, ὁ δὲ Φρυγίας. Billæus *eſt autem fluvius Paphlagoniæ, qui Phrygiæ eſt.* Nam locorum ſitus, & Sangaris intermedius, qui ab eo longè decurrit, obſtant. Ille autem per Bithyniæ campos decurrens, in eum Sardo rivus potiùs quàm fluvius, in nummo ſub muliebri ſchemate depictus, influit, & ad viginti ſtadia Tii Bithyniæ in Paphlagoniæ confinio oppidi in mare ſe exonerat, apud Arrianum in Periplo: Petrus autem à Vico Tium ad Billæi oſtia ſitum commemorat.

ΕΡΜΟΣ.

Hermus, Asiæ Minoris fluvius, è monte Dindymenæ sacro ortus juxta Dorylaum Phrygiæ urbem, per Catacecaumenem, id est, istius regionis partem combustam, decurrit, id est, Sardianos usque campos, & Pactolum è Tmolo delapsum recipit, deinde Hyllus ex Phrygiâ pariter ortus, ad Saïttum urbem cum iis conjungitur, atque hi tres per Æolidem quam ab Ioniâ dividunt, adsumptis etiam ignobilioribus aliis, in mare Phocææ urbi proximum delabuntur.

ΕΡΜΟC CAITTHNΩN. Hermus Fluvius imberbis decumbens, dextrâ arundinem, siniſtrâ urnæ innixâ. *Num Jul. Mamææ.*

Hermus sub virili effigie sed imberbi semper depingi solet, sub virili quidem, quòd in mare se præcipitet; imberbis verò, quòd non sit navigabilis, angustus & haud magnus, quem supra pontem satis angustum Magnesiam Sipyli euntes transivimus. Saïttum Phrygiæ urbem alluit, & sub eâ Hyllus in Hermum se exonerat, ut arguit Tranquillinæ nummus cum epigraphe ΥΛΛΟC CAITTHNΩN, *Hyllus Saïttenorum*, & penitùs confirmat alter Gordiani ejusdem urbis, in quo uterque Fluvius depingitur.

ΕΡΜΟC CAPΔIANΩN. Hermus sub virili effigie sine barbâ decumbit, dextrâ arundinem, siniſtrâ urnæ aquas vomenti impositâ. *Num. Sabinæ.*

Sardis urbs erat magna, Crœsi olim regia, in cujus campis Hermus fluebat, ex Strabone lib. 13. quod confirmat Sardianorum ille nummus, in quo sub virili effigie imberbi depingitur, quòd cymbas non ferens magnas, in mare servato nomine se exonerabat.

ΕΡΜΟC ΤΗΜΝΕΙΤΩΝ. Fluvius sub virili effigie & imberbis decumbens, dextrâ arundinem, siniſtrâ urnæ innixâ. *Num. Otaciliæ.*

Nummus hic Strabonis verba illustrat; ille enim ait, Æolicis quæ nunc sunt urbibus *Ægæ* etiam addendæ sunt & *Temnus*. Sitæ sunt urbes eæ ad montana quæ supra agrum Cumanum, Phocæum & Smyrnæum jacent, per quem Hermus fluit. Temnitæ Fluvium, aut ad indicandum urbis situm, vel quòd illum numinis vice haberent, ut fama est, summo cultu venerabantur.

ΙΣΤΡΟΣ.

Iſter eſt Danubius fluvius, quem Ovidius de Ponto lib. 1. binominem appellat; ex Alpibus oritur, initio exiguus, at verò paulatim aliis atque aliis auctus fluminibus, mox in immenſam magnitudinem excreſcit, per innumeras gentes regioneſque curſum conficit, ab aliis magis versùs fontes Danubius, ab aliis magis versùs oſtia vergentibus Iſter nominatus, mari Pontico ſeptem vadis immergitur.

ΤΠ. ΦΛ. ΟΥΑΠΙΑΝΟΥ ΝΙΚΟΠ. ΠΡΟΣ ΙΣΤΡΩ. Fluvius barbatus decumbens ad ſiniſtras, dextrâ urnæ montibus impoſitæ innixâ, lævâ arundinem. *Num. Sept. Severi.*

Nicopolis, hujus nominis diverſæ ſunt urbes, ſed hæc per epigraphen πρὸς Ἴστρῳ, ad Iſtrum fluvium, & hujus ſimulacrum, in Mœſiâ deſignatur, à Trajano in Decebali Dacorum Regis devicti & occiſi memoriam condita ad montis clivum, ut indicare videntur in nummo monticuli. Iſter fluvius depingitur barbatus, utpote navigabilis, & qui in mare evolvitur, ſubque Imperatore barbam habente ſignatus.

ΚΑΠΡΟΣ.

Caper & Caprus amnis ex Phrygiæ confiniis oriens, non longè à Laodicæâ inter Cariæ urbes à quibuſdam collocatâ, illius latus alluit ad Occidentem, cum Aſopo ab Euromato, qui ſimul juncti, amnis tantùm eſt, nec in Lycum ad 1500. paſſus urbis dilabuntur. Caprus amnis eſt perpetuus, qui fluentis nomen potiùs meretur. Strabo de Laodicæâ loquens, *Ibi*, ait, *etiam Caprus & Lycus in Mæandrum incidunt, Lycus fluvius eſt juſtæ magnitudinis.*

ΛΥΚΟΣ ΚΑΠΡΟΣ ΛΑΟΔΙΚΕΙΑ. Lycus non barbatus eſt ad dextram, Caper muliebri effigie recumbit ad ſiniſtram; ille cymbam lævâ tangit, hic dextrâ cornucopiæ, muliere pro urbis Genio inter eos ſedente, dextrâ icunculam. *Num. Commodi.*

De Capro amne Strabo & Plinius loquuntur: prior Caprum & Lycum in Mæandrum incidere hiſtoricè refert; alter Laodiceam Lyco flumini impoſitam, latera alluentibus Aſopo & Capro, breviter narrat. Itaque Caprus cum Aſopo fluente ad mille & quingentos paſſus Laodiceæ labitur; at cùm Caper in Lycum, & Lycus paulò pòſt in Mæandrum incidat, uterque

ſub

ſub muliebri ſchemate videri deberet, uti inſpecto ſæpiùs regio nummo videtur.

ΚΑΥΣΤΡΟΣ.

Cayſter & Cayſtrus à Cayſtro quodam Heroe nomen habens, ex Strabone, fontes habet in Phrygiâ combuſtâ, deinde per Lydiam fluit, & rigatis Philadelphiâ aliiſque urbibus, & Epheſo, ad mille paſſus versùs Boream in Ionium ſinum delabitur. Philadelphia autem planè ſordet caſulis deformata, & tantùm vicus. Cayſter maximè flexuoſus, & navigio non idoneus eſt.

ΚΑΥΣΤΡΟΣ ΕΦΕΣΙΩΝ. Cayſtrus fluvius virili effigie & imberbi decumbens, dextrâ arundinem, ſiniſtrâ urnæ aquas vomenti innixâ. *Num. Commodi, Sept. Severi, Valeriani, Gallieni.*

Cayſter fluvius, ab Epheſiis potiùs tanquam ab iis cultus, quàm ad deſignandum urbis ſitum, in nummis ſignatus videtur: cùm autem urbes id notare volunt, utplurimùm utuntur voce ΠΡΟΣ, exempli gratiâ, ΠΡΟΣ ΕΥΦΡΑΤΗΝ, ΠΡΟΣ ΙΣΤΡΩ, ΠΡΟΣ ΚΑΥΚΑΔΝΩ, &c. tuncque fluvii ſimulacrum non apponunt. Vide apud Ælianum in plurimis urbibus Fluviorum cultum. Cayſter autem imberbis pingitur, quòd commerciis non ſit idoneus, quia nimis erat vadoſus.

ΚΕΝΧΡΙΟΣ.

Cenchrius amnis eſt in Aſiâ ortus, per Ioniam fluens, tandem per Ortigiam lucum omnis generis arboribus elegantem ſupra Epheſum urbem labitur, antequàm in Cayſtrum ſe exoneret. Pauſanias lib. 7. *Epheſius ager Cenchrium amnem, qui meritò celebratur, habet.* In illo ſe abluiſſe à partu Latonam perhibet Strabo lib. 14. & confirmat Tacitus Annal. 3.

ΚΑΥΣΤΡΟΣ ΚΕΝΧΡΙΟΣ ΕΦΕΣΙΩΝ. Cayſter fluvius decumbens ſub virili ſchemate, ſed imberbi; ex alterâ parte Cenchrius ſub muliebri effigie, Dianâ Epheſiorum Polymammiâ intermediâ. *Num. Sept. Severi.*

Epheſii amnes Cayſtrum & Cenchrium ſibi vindicant; Cayſter ex Strabone, in Epheſi portum, quem ob limum ſæpè vadoſum efficit, ſe præcipitat: ille ſub virili effigie, quòd in mare delabatur, prodit; Cenchrius autem amnis ſub muliebri, quòd in Cayſtrum influat versùs Boream, & ideò à ſiniſtris depingitur; cornucopiæ gerit, ad donotandam locorum per quæ labitur abundantiam.

ΚΕΤΙΟΣ.

Cetius amnis Myſiæ, ex Pindaſo Troadis monte oritur parvo aquarum decurſu, ut narrat Cl. Smith. in Itinere ſeptem Aſiæ Eccleſiarum, mille paſſus ab urbe Pergami. Plinius lib. 5. cap. 3. inquit, longéque clariſſimum Aſiæ Pergamum, quod intermeat *Selinus*, profluit *Cetius* profuſus Pindaſo monte in Selinum urbem intermeantem ſub ejus mœnia ſe exonerat.

ϹƐΛΙΝΟϹ ΚΕΤΙΟϹ ΕΠΙ ΚΑΛΛΙϹΤΕΟΥϹ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Duæ figuræ Fluviorum decumbentes, Æſculapio ſupra cippum intermedio, illa ſub virili effigie, hæc muliebri, utraque cum Apio herbâ. *Num. M. Aurelii.*

Nullum eſt dubium quin Cetius amnis alluens Pergamum, in hoc nummo illius urbis ſub muliebri effigie ſit depictus, cùm ex obſervatione noſtrâ figuræ amnium in fluvios delabentium ferè ſemper ſub muliebri habitu exarentur. Ramum plantæ in ſinu ſuo peculariter creſcentis gerit; an ſit Apium, ut tenet Selinus, de quo dicturi ſumus ſuo loco.

ΚΥΔΝΟΣ.

Cydnus fluvius, à Cydno Anchialæ filio nomen habens, ex Tauri montis radicibus oritur, ex Euſtathio. De illo ſic loquitur Q. Curtius lib. 3. cap. 4. *Cydnus non ſpatio aquarum, ſed liquore memorabilis; quippe leni tractu è fontibus labens, puro ſolo excipitur: nec torrentes incurrunt, qui placidè manantis alveum turbent. Itaque incorruptus idemque frigidiſſimus, multâ riparum amœnitate inumbratus, (Tarſum urbem intermeans) ubique fontibus ſimilis in mare Cyprium evadit.*

ΚΥΔΝΟϹ ΑΔΡΙΑΝΗϹ ΤΑΡϹΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ ΝΕΩΚΟΡΟΥ. Cydnus fluvius ſub virili effigie & imberbi decumbens, urnæ ſolito more inſiſtit. *Num. Antinoi, ex Cypro à D. Sauvant ad Ill. Colbertum miſſus, nunc apud D. Foucauld, à me neſcio quo modo prætermiſſus, ut alii Antinoi Tarſi ſignati.*

Cydnus virili effigie depingitur, ut in mare ſe effundens, ſed imberbis, ut ſolent fluvii qui navigabiles & commercio idonei non ſunt: adde quòd nummus in Antinoi imberbis honorem à Tarſenſibus cuſus, fluvium etiam imberbem utrinque aliquam pro numinibus venerantibus. De Cydno Dionyſius de Situ Orbis:

Κύδνου τε σκολιοῖο μέσην διὰ Ταρσὸν ἰόντος.
Cydnique fluxuosi mediam per Tarsum euntis.

ΛΥΚΟΣ.

Lycus, fluvius est in Phrygiâ ex Cadmo monte ortus, apud Strabonem; ex Curtio supra Cælenas, ubi Marsyas vocatur, sed extra urbis mœnia Lycus dicitur, qui posteà cuniculis subterraneis absorbetur, ac rursùs emergit, de quo Ovid. Metam. 15.

Sic ubi terreno Lycus est epotus hiatu,
Exiſtit procul hinc, alioque renascitur orbe.

Lycus, ait Strabo lib. 12. fluvius est justæ magnitudinis, à quo etiam Laodicea cognomen habet, ut ad Lycum sita dicatur; hæc super sex septemve colles posita est, ille ad mille & quingentos passus urbis fluit, ubi Capro conjungitur, deinde simul non longè in Mæandrum se exonerat.

ΛΥΚΟΣ ΚΑΠΡΟΣ ΛΑΟΔΙΚΕΙΑ. Duo Fluvii imberbes decumbunt, paulò suprà Genio urbis sedente intermedio. *Num. Commodi.*

Supra urbem Laodiceam, inquit Strabo, situs est mons Cadmus, è quo Lycus defluit, & in Mæandrum incidit ad 1500. sub urbis mœnia, qui ideò sub muliebri schemate prodire debet, ut nobis in nummo apparet; at cùm detritus est, non distinguitur an Lycus imberbis, vultu sit muliebri, qui virili potest etiam esse, cùm imberbis pariter sit Commodus: sculptores enim Imperatoris effigiem in fluminibus depingendis sequentes, ut modò Marsyam videbimus nunc barbatum, & deinde imberbem, prout Augusti, in nummis ubi Marsyas signatur, barbam nutriebant vel radebant.

ΜΑΙΑΝΔΡΟΣ.

Mæander, priùs *Anabænon*, id est, retrogradus, deinde à Mæandro Circaphi & Anaxibiæ filio dictus, oritur à Celænorum quodam tumulo, ubi fuit cognominis. Orgam fluvium primò recipit, deinde Marsyam, postquàm hic Apamææ suburbium vehemente atque præcipite fluxu percurrit; hinc jam auctus aquis Mæander, aliquandiu per Phrygiam fluit, deinde Cariam à Lydiâ disterminat apud campum qui Mæandrius dicitur, obliquus & & sinuosus, tandem apud Cariam, Ioniâ ab illa separatâ, inter Miletum & Prienem in mare exit.

ΜΑΙ. ΜΑΡ. ΟΡ. ΟΒΡ. ΠΑΥ. ΒΑΚΧΙΟΥ ΠΑΝΗ. ΑΠΑΜΕΩΝ. Duo Fluvii decumbentes ſub virili ſchemate imberbes, dexterior arundinem, ſiniſterior calamum, Dianâ Epheſiâ intermediâ, in vertice hinc & inde Nympha amnes Orgam & Obrymam exhibens. *Num. Gordiani Pii.*

ΜΑΙΑΝΔΡΟC ΜΑΡCΥΑC ΕΠ. Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΒΕΛ. ΑΠΑΜΕΩΝ ΝΕΩΚ. Iidem Fluvii imberbes decumbunt cum urnis & iiſdem attributis. *Num. Philippi Sen.*

Apamea Phrygiæ urbs, priùs Cibotus (ut diximus) appellata, ab Antiocho in Apames matris memoriam dicta, juxta Strabonem, etſi ad Marſyæ fluvii oſtia, quam hic præterfluit, ſita ſit, non ad aliarum Apamearum nominis urbium diſtinctionem, ad Marſyam, ſed ad Mæandrum cognominatur, ut nobis indicat Tiberii nummus, ΑΠΑΜΕΙΑΣ ΠΡΟΣ ΜΑΙΑΝΔΡΟΝ, cum Dianæ Epheſiæ ſimulacro: unde Mæandrum in ſuperioribus cum Marſya copulavit, quos imberbes Apamenſes depinxerunt, cùm Gordianus & Philippus, quibus dicati ſunt nummi, eſſent imberbes. Duæ Nymphæ Orgam & Obrymam amnes repræſentare videntur.

ΜΑΙΑΝΔΡΟC ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Pons cum ſex fornicibus, ſupra quem à dextris porta urbis, in medio ipſa fluvii ſub virili ſpecie imberbis ſtatua, dextrâ arundinem, ſiniſtrâ cornucopiæ; à ſiniſtris duæ figuræ in urbem venientes. *Num Traj. Decii, Gallieni.*

Antiochiæ urbes plurimæ, ſed hæc in Phrygiâ ſita eſt ad Mæandrum, ut nos docent nummus & Strabo, qui ſe invicem illuſtrant; nam illius deſcriptioni conveniunt ejus eximii Geographi verba. Antiochia mediocris urbs, ad ipſum ſita Mæandrum ab eâ parte quâ is Phrygiam alluit: ponte junctus eſt fluvius. Ipſa ſupra pontem fluvii ſtatua ut numen ſpectatur, ſub virili & imberbi effigie, virili quidem, quòd in mare ſe præcipitet, & imberbi, quòd Decius & Gallienus eſſent imberbes.

ΜΑΙΑΝΔΡΟC ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. Fluvius virilis & imberbis decumbens, dextrâ arundinem, ſiniſtrâ urnæ innixâ. *Num. Mamææ, Q. Herennii.*

Tripolis ter gemina, una Phœniciæ, altera Africæ, utraque maritima; hæc à Ptolemæo & Stephano Cariæ tribuitur, de quâ Plinius lib. 5. Tripolitani Mæandro alluuntur, quod confirmant nummi. Mæander non largus eſt, & ad quindecim tan-

tùm ulnas extenditur, ſed valdè profundus: imberbis eâdem ratione, quâ Auguſti ſub quibus cuſi ſunt nummi, erant imberbes, ut ſæpè diximus, ipſe depingitur.

ΜΑΡΣΥΑΣ.

Marſyas Phrygiæ fluvius, priùs Midæ Regis Fons dictus, poſteà Marſyæ nomen, victo & excoriato ab Apolline Marſya Hyagnidis tibicinis filio, habuit. Vide Plutarchum de Fluviis. Fons ejus, inquit Curtius, ex ſummo montis cacumine excurrens, in ſubjectam petram magno ſtrepitu aquarum cadit: deinde non longè ab urbe cum Mæandro conjungitur, teſte Maximo Tyrio lib. 38. qui illos ex eodem fonte naſci nos edocet. Livius verò Decad. 4. lib. 8. Marſyas, ait, amnis non procul à Mæandri fontibus oriens, in Mæandrum cadit. Strabo autem lib. 12. Ex hac palude aiunt utrumque ſcaturire fluvium, Marſyam inquam & Mæandrum.

ΜΑΡΣΥΑΣ ΚΙΒΩΤΟΣ ΑΠΑΜΕΩΝ. *Marſyas Cibotus Apamenſium*, ut Lutetiæ Pariſiorum. Marſyas fluvius barbâ inſignis decumbens ad rupium radices, dextrâ cornucopiæ. *Num. Hadriani.* Vide Cl. Morellii Specimen.

Marſyæ ortum exhibent Apamenſes per rupes, ad quarum radices decumbit; nam Strabo inquit: Oritur à Celænorum quodam tumulo, ubi urbs fuit cognominis, hoc eſt, quod ait Herodotus eum fluvium καταῤῥήκτῳ ἀνατέλειν ἐξ ἄκρης Κελαινέων. Et Curtius: Fons ejus ex ſummo montis cacumine. Barbatus eſt fluvius, quòd nummus ſub Hadriano barbato cuſus ſit: ſed reclamat amicus, in Mæandrum cadit; ut enim erat gemellus, ex eodem fonte cum Mæandro ortus, & poſteà iterùm coëunt, & ſimul, ut ita loquar, in mare delabuntur, ideò Apamenſes eundem eſſe exiſtimarunt.

ΜΕΛΗΣ.

Meles Ioniæ fluvius, Homeri natalibus illuſtrior eſt, quàm ortu & curſu ſuo; Smyrnæ muros alluebat ad Ortum & Septentrionem. Plinius lib. 5. Smyrna, amne Melete gaudens, non procul orto, Pauſanias lib. 7. Apud Smyrnæos longè pulcherrimus eſt amnis Meles: ad ejus caput antrum, in quo Homerum tradunt carmina ſua feciſſe; nunc enim rivus eſt in mare delabens.

ΜΕΛΗΣ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. Meles fluvius decumbens barbatus, dextrâ

ditis Lariſſam juxta Cumam ejus tractûs appellarunt, & illius fluvium vocarunt Penæum, de quo ait idem Geographus: *Peculiare aliquid omnibus Lariſſæis uſuvenit, Cayſtrianis inquam & Phryconenſibus & Theſſalicis: quòd nimirùm ager eorum ingeſtâ à fluviis terrâ ſolet integi. Id faciunt Cayſter, Hermus & Penæus.* Proximi autem ſunt, hic verò è Lydiâ ortus, in Elaïtinum Sinum delabitur.

